
Scola
Salernitana

1672







REGIMEN SANITATIS

SCHOLA SALERNITANA, DE VALETUDINE TUENDA.

OPUS

NOVA METHODO INSTRUCTUM, infinitis versibus auctum, Commentariis Villanovani, Curionis, Crellii & Costansoni Illustratum.

ADIECTÆ SUNT

Animadversiones novæ & copiosæ Renati MOREAU, *Doctoris Medici Parisiensis.*

Cum Indicibus quatuor, Capitum, Quæstionum, Auctorum & Rerum memorabilium.



LUTETIÆ PARISIORUM.
Apud LUD. BILLAINE.

M. DC. LXXII.
CUM LICENTIIS.

QUANTUM IN MEDICO EST, ſanare venit ægrotum: ipſe ſe interimit, qui præcepta Medici obſervare non vult. *D. Auguſt. tract. 12. in Ioan.*

Vulgatus Salernitarum de tuenda Valetudine libellus, iis qui legunt non parum utilitatis præſtat, illiſque multo majorem qui libelli præcepta obſervant.

Anton. Muſa Braſſavolus.

3 R





ILLUSTRISSIMO CARDINALI DE RICHELIEU.

R. MOREAU ὑγιαίνειν.



SIC est natura comparatum (Cardinalis Illustrissime) *ut sublimia & erecta ingenia corpus invalidum & infirmum; crassa & obtusa sanum & robustum nanciscantur. Herodico apud* Dialog.
Platonem vis animi eximia; valetudo corporis parum firma fuit: Polydoro apud Ælianum mens hebes ac tarda, cutis ipsa corporis ἀδιακόνιστος. *Idipsum non dissimulavit* αὐτόπτης *Ecclesiastes verbis planè aureis insinuans,* καρδίαν σοφῶν ἐν οἴκῳ πένθους, καὶ καρδίαν ἀφρόνων ἐν οἴκῳ εὐφροσύνης. *Ut enim rara est conjunctio* formæ *atque* pudicitiæ, *rara concordia* Majestatis *&* amoris: *sic minus frequens est conjugium* mentis sanæ *cum* corpore sano; *quod in valido pinguique corpore mentis fulgor hebetetur, & dum emicare gestit, offusa mole dissiliat. Ferè adversa valetudo studiosis omnibus & cupidis litterarum cedit tam in præmium, quàm in infamiam. Una* Me-

Dialog. 3. de rep. — Lib 13. variæ hist. ca. 15. — Cap. 7. — Iuvenal Saty. 10. — Ovid. 1. Metã. — Celsus cap. 2. lib. 1.

dicina θεοπρεπὴς illa ἐπιστήμη ab ortu primo ægra corpora parte doloris levat; & festinantia ad mortem salubri victus lege remoratur. (In epist. Hipp.) Quæ Galenum ab incunabulis valetudinis vitio laborantem ad longam senectutem absque ullo corporis tædio transmisit; eadem ars salutari victus ratione Socratem à peste, quæ frequenter Athenas depopulabatur, immunem semper & illæsum servavit. (Gal. 5. de sanit tuend.) Has tuendæ sanitatis leges Medici quondam Salernitani Roberto Normanniæ Principi & Angliæ Regi designato & scripserunt & obtulerunt; (Laert. lib. 2.) quas quidem cum recudendas novisque Animadversionibus illustrandas suscepissem: potior Illustriorve, cui dicarem, non occurrit (Illustrissime Cardinalis) excepto Te, cui multis nominibus & rationibus deberi hoc opus planè animadverti. Et enim cum nobili & divino præditus sis ingenio, compages corporis tibi obtigit tenuis raræque texturæ, valetudo quoque fragilis & nutans; nisi salutaribus Medicinæ præsidiis fulciatur, & commoda victus lege sedulò conservetur. Ad hoc vero licet peritus & fidelis aßideat tibi Medicus, mille officiis, mille experimentis, ingeniique sui monimentis dudum probatus, eruditißimus Citesius: attamen cum à lectione librorum Theologicorum quos utraque manu versas; cum à negotiis imperii quæ sub Te altero velut cardine volvuntur, animi relaxandi gratia ad hortos & viridaria Medicinæ divertes, erunt fortassè hoc in Opere nonnulla, quæ tersum tuum ingenium & grave judicium non lædent; corporis vero saluti atque incolumitati tuendæ sunt profutura. Deinde vero cum tuo Consilio & ductu (caput enim te ejus Consilii Rex Christianissimus constituit) conjugiale fœdus Galliam inter & magnam Britanniam ineatur: suadet ratio ut hoc opus rursum offeratur viro Principi cujus auspiciis tam Sacrum &

Regium pignus *Imperio* Angliæ *contingit. Non est autem quod adjungam* tuam *in viros litteratos benevolentiam, & insignem liberalitatem, qua rempubl. litterariam continuo is adjutum: quamque expertus est ordo Theologorum Parisiensium ad decus æternum* tui *nominis, & nusquam intermoriturum Scholæ Sorbonicæ ornamentum. Hæc, inquam, & similia virtutum* tuarum *argumenta non est quod commemorem, ut nuncupationem hujus operis publico etiam jure adscribendam* tibi *probem. Prætermitto apicem eum dignitatis quam sustines, quamque in* te *non tam suspicio, quàm* te *in illa. Tanta siquidem animi moderatione & sapientia, tanta dexteritate & peritia, tanta integritate & virtute axem utriusque Imperii* Ecclesiastici *&* Politici *torques: ut judicare difficile sit, plusne pietatis & litteraturæ in rebus* Ecclesiasticis, *quàm moderationis & experientiæ in* Politicis *adhibeas. Neque vero hoc in loco & flexu dictionis, laudum* tuarum *interciperetur cursus, nisi* te *in os laudare erubescerem;* quem *ab omni virtutum suarum prædicatione alienum semper & aversum accepi. Quamobrem cætera silentio involvens, quæ blandus ille oris* tui *decor & vultus animi index, quæque gesta & dicta* tua *loquuntur;* te *etiam atque etiam* (Illustrissime Cardinalis) *exoratum venio, ut* devotum tibi *hoc Opus non invitus excipias, & ut officiosè* voventem *clientum tuorum numero adscribas. Vale, & vive diu* Tibi *& Imperio Gallico. Lutetiæ Parisiorum è musæo nostro, Kal. Novemb. anni* 1624.



INDEX CAPITUM totius Operis.

CAPITA PROLEGOMENORUM sunt novem.


PARS PROPHYLACTICE continet sex Sectiones.

Prima Sectio de Aëre continet proœmium & unum caput.

Sectio secunda de cibo & potu, duas partes continet.

Prior est de cibo, continens 77. capita, pag. 88.

Finis Indicis Capitum.




INDEX QUÆSTIONUM

TOTO OPERE AGITATARUM.

PROBLEMA.

Finis Indicis quæſtionum.



INDEX AUCTORUM
qui in toto Opere nominantur, illuſtrantur & emendantur.

Florus

Q

R

S.

T

FINIS.

PROLEGOMENA IN SCHOLAM SALERNITANAM.

CONSILIVM AVCTORIS in hoc opere Salernitano renovando.

CAPVT I.



VM Auditoribus meis rationem conservandæ sanitatis quam *higeinen* vocamus proximo anno pollicitus essem, jamque ex probatis selectisque auctoribus Græcis & Latinis certo quodam & legitimo ordine collegissem atque digessissem longè plura quàm paucis mensibus eis proponi ac exponi possent. Ne tot menses ex uno biennio, quod toti medicinæ demonstrandæ à Facultate nostra nustra Parisiensi mihi definitum erat, surriperem; & difficillimas medicinæ partes intactas desererem; standum promissis nec æquum esse judicavi, nec Philiatrorum utilitati commodum. Etenim licet ea pars medicinæ rerum varietate pulcherrima, & earumdem salubritate habeatur dignissima, quæ non modo Medicis omnibus, sed omni hominum generi perspecta cognitáq; teneatur: Attamen prudentis fuit *Magistri* in illis temporum angustiis, earum rerum seligere argumenta & præcepta tradere, quæ non minùs discenti necessariæ essent aut ignobiles, longè vero majorem continerent obscuritatem, & rudiorum ingenia longioribus difficultatum filis implicarent. Succurrebat autem animo eam medicinæ partem, quæ morborum symptomatumque causas & differentias explicaret, & eam quæ artificiosam morborum prognosin traderet, ut maximè necessarias medico, sic impendio difficiles & perplexas. Accedebat quod è manu medicorum animadvertebam devolutam ad idiotas, plebeios, & aniculas victus præscribendi rationem, cum hactenus nec *Auctoris institutū.*

minem (Reges & Principes si excipias) ex Medici præscripto institutum viveudi singulorum temperaméto, ætati, sexui accommodatum observare deprehendamus. Deinde vero non me fugiebat gravissimos doctissimosq; viros, hanc medicinæ partem tam feliciter excoluisse & absolvisse, ut quod mihi tribuere aut assumere possem, nihil penitùs ab eis relictum atq; omissum sentirem. Tanti equidem hæc apud me fuerunt, ut promissum expungere, *Auditorumque* meorum desiderio, atque expectationi satisfacere neglexerim. Verum enim vero quod ad prudentis & sapientis viri officium pertineat non verba modo, sed capitis quoque nutus servare, hæsit idcirco semper apud me scrupulus obligatæ fidei, qui continuò ad eam liberandam, & quovis pignore redimendam me tacite sollicitabat. Quid egissem hoc œstro agitatus? comparanda ociùs fuit dissolvendæ fidei digna materies, quæ nec ingenioli nostri tenuitatem excederet, nec *discipulorum* vota eluderet. Habebam quidem affectam ac inchoatam inter schedia *placentarum* ἐξήγησιν & ἀρτοπωλίαν ubi *Panis* & *placentarum* genera omnia, species, partes, conficiendi ratio, usus, & facultates, ex veterum recentlumque monimentis excutiebantur, sed quod ex Athenæo & Polluce eluendæ essent pleræque maculæ & aliquot loca concilianda atque restituenda quæ festinantem remorabantur, distuli in aliud otium hoc opus, & operam in novo negotio collocavi. Ex *discipulis* nonnulli cum meum de Schola Salernitana judicium expostularent, quidve de ejus doctrina & instituto sentirem, quærerent: facile apud me obtinuerunt, ut horis succisivis Librum legerem attentius, & nonnihil ad eum commentaret. Imprimis cum omnia in eo opere confusa, nullave merhodo digesta observarem, singula in eum reduxi ordinem quem res ipsæ naturâ suâ postulabant. Deinde vero cum egregium codicem manuscriptum haberem in Bibliotheca, qui longè plures versus quam evulgatus codex contineret, multa ex eo supplevi & emendavi, necnon ex aliis manuscriptis duobus voluminibus, quorum alterum Roberti Tullou Doctoris Medici Parisiensis exercitatissimi mihique amicissimi, alterum quondàm Budæi, jam vero Naudini est adolescentis doctissimi, & in lectione bonorum auctorum versatissimi. Præterea quantum in me fuit iu pristinum nitoré restitui eos versus qui librariorum incuriâ & præpostera commentatorum emendatione deflexerant ab ingenioso assultu atque numero, quo legentium

Standũ promissis.

memoria recreabatur & invalescebat. Et quoniam hominũ judicia libera sunt, mihi temperare non potui quin censuram interdum nostram interpouerem, non modo in scholæ doctrinam, sed scholiorum etiam, ubi scilicet à ratione vel instituto aberrarent. Denique mihi curæ & consilii fuit in renovando hoc opere, ut studiosi medicinæ haberent totam *hegcynen* per sua capita & articulos hono ordine distributam & absolutam: sic ut à nobis adderentur & insererentur ea quæ in versibus Salernitanis deessent. Quod vero ad operis complementum, *institutum scholæ, libri nuncupatio & dedicatio, Salernitanæ Academiæ primordia & incrementum, scribendi ratio, genus carminis*, & id genus alia prætermissa essent à commentatoribus, & aliis omnibus qui de Academiarum & Medicorum rebus scripserunt; idcirco quæ de his singulis nostræ fuerint conjecturæ paucis capitibus explicandum constitui.

De antiquitate & dignitate Academiæ Salernitanæ.

CAPVT II.

NVllus Medicorum est, ne quidem initiatorum & neophytorum qui carmina *Scholæ Salernitanæ* ore non circumferat, & omni occasione non crepet: hactenus tamen nemo est, qui ejus nobis incunabula tradiderit, & quo tempore tam egregium opus compositum & editum exposuerit. Tanta fuit majorum nostrorum incuriâ, & litterarum fatum, ut pleráque priscis temporibus neglecta jacuerint, quæ posteris fuissent profutura. Querimur multas nostra tempestate moveri controversias, & ingenia hominum eruendis & instaurandis veterum ruderiqus insudare: nec accusamus majorum nostrorum torporem qui in singulis commemorandis & observandis negligentiores extitere. Fuit ea sors & calamitas omnium artium, atque inter cæteras *Medicinæ*, cujus illustrationi & historiæ nullus ad hunc diem incubuit. Artis chymicæ, fusionis auri & argenti, quis veterum præter Suidam & Firmicum meminit, quorum idcirco fides & auctoritas in dubiũ revocatur? Asbestini lini, murrhini, gemmarum plurimarum, aurichalci, cinuamomi, folii barbarici, myrrhæ, stactes, bdellii, ammoniaci salis, fructuum variorũ,

Veterũ incuria

placentarum ; lapidum pretioſorum, electri, olei incombuſtilis, ductilis vitri, herbarum multarum nobis à veteribus relicta nomina, uſus & ratio prætermiſſa. Pene in controverſiam adducuntur deſcripta omnia apud Dioſcoridem medicamenta, infinitique ſunt apud Galenum nodi, quos ne Alexandri quidem manus diſſolveret. Lucida erant ſæculis illis hæc nubila minimeq; obſcura doctioribus, proinde neglecta permanſere velut indigna quæ aliqua obſervatione deſignarētur. Quid narremus de priſcis Academiarum legibus & conſtitutionibus, *Coa*, *Cnidia*, *Alexandina* vix habemus. Extiterunt ſuperioribus ſæculis & ætate noſtra plurimi qui Academiarum Medicorumque hiſtorias texuerunt, ſed tam infœlici genio & ſucceſſu, ut trita & vulgaria longo verborum apparatu deſcripſerint, difficilia quæque & illuſtria non niſi lambendo velut canis è Nilo, attigerint. Nam ut publicam querimoniam ad *Scholam Salernitanam* detorqueam, quis ex ſcriptoribus medicis, aut etiam ex hiſtoricis nobis primordia ejus Academiæ, progreſſus & incrementa deſignavit, vel eorum Medicorum nomina collegit, quorum virtute & induſtria Schola tam celebris inclaruit ? Ne ipſe quidem Arnaldus Villanovanus operis Salernitani vindex & illuſtrator, quicquam de dignitate hujus academiæ aut origine monimentis tradidit, quod tamen ejus fuit officium, in illa præſertim opportunitate qua fruebatur apud eum regem qui Salernitanis imperabat. Ioannes præterea Curio & Iacobus Crellius Erphordiani Medici, cum idem opus interpretarentur, ne verbum quidem de ejus *Schola* antiquitate aut operis inſtituto fecere. Quamobrem in tantis tenebris mirum non eſt ſi quid conjecturis noſtris dederim, quæ locum habent in iis rebus, de quibus certi nihil aut explorati conſtat. Salernum Picentinorum civitas in ſinu maris Tyrrhemi poſita ad oſtium fluminis Silari, vel *à ſalis* copia, vel ab ipſo amne *Salaro* denominata eſt ; vetus illud oppidum à Romanis in Picentes & Lucanos, qui ſocietatem cum Hannibale inierant, munitum. A tenui principio ſenſim crevit non magis loci opportunitate, quam ſoli fœcunditate. Fluminis mariſque vicinia, aëris bonitas & ſalubritas incolas allexit, retinuit vini nigri fructuumque omnium præſtantia, quorum tractus eſt ferax *In tuta Italia non eſſere piu delitioſa citta di Salerno, diebat Antonius* Summonte hiſtoriæ Neapolitanæ ſcriptor eximius, *abbondante de Vittovaglie, d'abori, di vini, pomi è*

Sal.

Fœlicitas.

neci, belli palazzi, legiadtissime donne & huomini suavi il cui territorio una parte è piana, è laltra montuosa, della quale si puo andare per mare & per terra in tutti i luoghi. qua desctiptione accuratior dari non potest. Hujus vero urbis incremẽtum cœpit maximè anno Christi 974 cum per Bonifacium VII. Pontificem Maximum regionis totius Metropolis constituta est. In illa quidem florebant eo tempore medicinæ studia, sed nondum Regum & Principum decretis fundata erat Academia. Nec diffiteor Monachos Cassinensis Monasterii, ac præsertim Const Monachum, qui opera sua Medica Abbati Desiderio circa an. Christi 1060. dedicavit, medicinæ rudimenta in ea civitate, cui proximus est mons Cassinensis, posuisse, sed nomine Academiæ fuisse donatam *plane* inficior. Rogerius rex primus Siciliæ & Salerni Princeps cum circa annum Christi 1100. nonnullas leges sanxisset, decimam octavã tulit de *probabili experientia Medicorum*; qua cavebatur ne quis medicinam exerceret nisi priùs à magistratibus & judicibus probatus, qui fecisset secus bonis omnibus spoliaretur. Quam legem annis sequentibus, anno scilicet circiter 1150. Fridericus primus Ænobarbus Rom. Imperator occupato regno Neapolitano amplificavit, atque confirmavit, prohibuitque, *ne quis ad faciendam medicinam admittereiur nisi à Medicis Collegii Salernitani aut Neapolitani probatus & consecutus esset potestatem medendi quam licentiam vocant, sub pœna carceris annui & proscriptionis omnium fortunarum.* Quibus quidẽ privilegiis & honoribus gaudens *Salernitana Schola*, in Academiam tum demum erecta est ob studia præsertim medicinæ quæ in ea vigebant plurimum, necnon etiam Iurisprudentiæ, quemadmodum observat Mildendorpius in Academiarum historia. Sed nõ possum hujus auctoris oscitantiam vel ignorantiam satis admirari, qui cum omnium Christiani orbis Academiarum primordia illustranda suscepisset, de *Salernitana* (ne quid de aliis dicam) prorsus omnino nihil observavit nisi eam Medicis aliquando illustribus & nonnullis Iurisconsultis floruisse quæ observatio diligenti scriptore & ingenioso non indigebat. Quod vero Academiam Salernit. maximè commendauit, & ejus gloriam transmisit posteris, opus est illud *de vita conservanda*, Roberto Duci Normaniæ & Regni Anglieani hæredi consecratum; tum propter dignitatem ejus Principis cui inscriptum est, tum propter utilitatem operis, & insolitũ scri-

Medicorũ fuit schola.

In Academiã erecta urbs.

Mildendorpii oscitantia.

Medici & Philosophi. bendi, genus utile simul & jucundum. Celebris quoque fuit Medicis ac Philosophis non inferioris notæ, Ioan. Plateario, Ioan de Mediolano, Constantino Monacho Salerno, Saladino de Esculo, Simone Ianuensi, Ioan de sancto Paulo, Petro Antonio Rustico, Guillelmo Placentino, de Saliceto, Hieronymo Balduino, Benevenuto Grapheo de Ierusalem, Francisco Alphanio, Ioan. Nicolao Rogerio, Ioan. Salernitano, Gualtero Salernitano Rogero Salernitano, quatuor Magistris in Chirurgia Salernitanis, quorum opera audio asservari in Bibliotheca Oxoniensi & Cantabrigiensi; qui viri omnes ejus Alumni, fuerunt in Philosophia maximi nominis. Tulit quoque scriptores Ecclesiasticos, Iurisperitos, historicos, quos tamen quia medicinæ historiã non illustrant lubens volensq; prætermitto. Sed non omittam quod in ecloga Oxonio Cantabrigiensi posteriore libro observatum legi de libro qui vulgo *Passionarius Galeni* dicitur. *Liber iste*, inquit operis auctor, *Passionarius vocitatur, quia de passionibus agit, quem quidam Galenum composuisse asserunt, sed non est verum: quia hujus libri diversi fuerunt auctores, scilicet Alexander, Galenus, atque Priscianus & non simul neque uno consensu, sed semotim de passionibus corporis & prout cuique visum est tractaverunt: Sed Theodorus Priscianus collegit, & à semetipso, & à quibusdam additis aliter quam nunc sic ordinavit. Febres enim utpotè universales in tractatu præmisit, deinde cætera quasi particularia subjungit; id est de cephalia & aliis hujusmodi. Secundum quosdam vero non prædicti plures unum librum composuerunt, sed unus, scilicet Paulus composuit. Sed sive hi sive illi composuerunt, Vvarmipotus* (lego *Gariopontus*) *quidã Medicus Salernitanus videns eum in multis esse falsum, in pluribus verum, utpote in omnibus inordinatum; cum quibusdam clericis optimis sibi adhibitis hunc librum in quantum ejus & eorum scientia diligens potuit, emendavit, & ordinem tractatus prædictum transmutavit, & errata diluendo, superflua resecando, ambigueque reserando prout nunc ordinavit, à particularibus incipiens ad similitudinem totius integri.* Hæc ille. Inter tot collegii Salernitani laudes unum subjungo vitium, quod erit velut nævus in formoso vultu. Historiam accepi à Iulio Cæsare Capacio Neapolitanæ urbis Secretario, civi, & eximio historico libro de balneis ubi sic habet. *Ab Antonio Ianuario Ladislai Regis familiari accersitum fuisse Notarium Dionysium de Sarno ipsemet te-*

Liber Passionarius Galeni.

Historia notanda.

ſtatur qui publico diplomate ſcriberet apud Regem, marmoream eſſe tabellam Puteolis in loco qui tre colōxe dicitur repertam in qua Salernitanorum Medicorum qui Puteolanas Balneas everterant hujuſcemodi memoria erat.

Ser Antonius Sulimela, Ser Philippus Capograſſus, Ser Hector de Procitn famoſißimi Medici Salernitani ſupra parvam navim ab ipſa civitate Salerni Puteolos trnsfretaverunt cum ferreis inſtrumentis inſcriptionis Balneorum virtutum deleverunt, & cum reverterentur fuerunt cum navi miraculosè ſubmerſi.

Hactenus Capacius cui aſſentire videtur Franciſcus Petrarcha libro 5. epiſtol. 4. ubi hanc hiſtoriam leviter perſtringit.

De Auctore Carminum Schola Salernitana, operis titulo, dedicatione, evulgatione.

CAPVT III.

IOa. Gregorius Schenkius in bibliotheca Medica notat Arnaldum Villanovanum opus poëticum *de bona Valetudine conſervanda* commentariis ſuis enarraviſſe, & nomine Scholæ totius Salernitanæ vero auctore diſſimulato inſcripſiſſe. Auctorem vero libri facit *Ioannem de Mediolano* Medicum & verſificatorem ſuo tempore inſignem, qui *univerſum medicina florem unanimi Salernitana Schola approbatione ad Anglorum regem verſibus circiter mille ducentis triginta novem conſcripſit; quorum tertia pars vix ab Arnaldo iu lucem emiſſa ſit, integrum autem opus manuſcriptum in Bibliotheca Schenckiana aſſervetur.* Iure an injuria Schenckius Arnaldum reum ſiſtat, mearum non eſt partium animadvertere, cum de mente & conſilio Arnaldi non conſtet. Credibile tamen eſt nullo livore aut invidentia commotum, ſed minimè vituperando artificio ductum nomine totius *ſchola* librum evulgaſſe. Quæ enim potuiſſet illi eſſe livoris cauſa in Ioannem de Mediolano qui à ducentis annis obierat? Integrum Villanovano fuit, ſi quidem invidia

Ioannes de Mediolano Auctor Schola Salern.

maceratus esset, aut omittere illustrationem operis, aut censuram suam interponere, cum plurima extarent in eo libro quæ ejus doctrinæ adversarentur: butyrum, caseum, fructus laudat schola Salernit. quæ Villanovanus in regimine sanitatis à se conscripto vituperat, velut à salubritate aliena edulia. Facilè fuisset homini ingenioso ac docto calumniandi & reprehendendi ansam arripere vel supinitatis atq; ignorantiæ insimulare cùm *scholam* tum Ioannem *de Mediolano* si invidisset. Sed aliud fuit ei propositum consilium. Agebat apud Federicum Arragoniæ, Siciliæ, Neapolis Regem qui tunc in Sicilia, Apulia & Calabria commorabatur. Quibus in locis celeberrimum erat *Academiæ Salernitanæ* nomen, & ejus præcepta de conservanda valetudine apud populares omnes momenti maximi. Gallia & Italia profugus Villanovanus ut nonnullam benevolentiam atque gloriam sibi apud Regem & eam gentem conciliaret, quam jampridem prædictionibus suis Astrologicis decoxerat; non opus modo proprium de conservanda sanitate Regi Federico dicavit sed hoc alterum magnæ propter *scholę* dignitatē auctoritatis notis suis illustravit: tam ut stricturam doctrinę suæ & specimen aliquod exhiberet, quàm ne videretur hospes & advena aliam à *schola Salernitana*, hoc est ab usu cō-muni & recepto doctrinam medendique rationem obtinere. Totum vero opus *scholę* tribuit non *Ioanni de Mediolano*, quia eo nomine apud populares circumferebatur, & Regi Angliæ nomine totius Scholæ quam consuluerat, oblatū olim fuisse primus hic scholæ versiculus designabat, *Anglorum Regi scribit schola tota Salerni.* Quod quidem ut dilucidius evadat, res altius repetenda est, & quodnam potuerit esse Anglorum cum Salernitanis commercium atque conjunctio explicandum. Ex Chronici Cassinensis cap 8. lib. 2. observatum habemus quadraginta Equites Normanos Hierosolyma, ubi sepulchrum Christi adoraverant, redeuntes Salernum appulisse quo tempore à Saracenis Guimarus Salerni Princeps admodum urgeretur. Impetratis à principe copiis, Normani Equites Christianæ fidei amore incensi, sic se opposuere Barbaris ut in fugam verterint, & in Siciliam usque expulerint, quo facinore accepti humanissimè à Salernitanis fuerunt, ac præterea invitati multis præmiis à Principe, ut in ea civitate commorarentur. Quod cum non impetrasset Guimarus, nec ullis propositis muneribus ac dignitatibus retinuisset; legatos in Normaniam misit qui

Consilium Villanovani.

Anglorum & Salernitanorum cō-mercium.

precibus,&variis muneribus maximéque felicitate soli omnium rerum feracis trecentos Normanos, & inter eos nabilissimos Principes ac Generosissimos Salernum allexere. Huic Normanoruum coloniæ res in Apulia & Calabria tam feliciter successere contra Mauritanos,ut anno millesimo trigesimo secundo *Aversam* oppidum condiderint, *Salernum* deinde anno millesimo septuagesimo quarto occupaverint,regnum denique *Neapolitanum* atque *Siculum* instituerint, eo ipso fermè tempore quo duce Guillelmo notho è gallia Nortmani in Angliam irruperunt, & in suam potestatem reduxerunt anno circiter millesimo septuagesimo. Quibus quidem ita breviter explicatis minimè obscurum est, vel intellectu difficile, quo modo commercium & amicitiæ inter Anglos & Salernitanos per Normanotum colonias & irruptiones intercesserint,licet nondum perspectum sit & manifestum quis *ex Regibus Angliæ scholam Salernitanam* de valetudine consuluerit. Equidem libenter fateor ac præ me fero nullo in historico rerum Anglicarum Notmanorum, Salernitanarum,aut quovis alio scriptore id me legisse, aut notasse, sed usum esse solis conjecturis, nisi me decipit φιλαυτία, minimè vanis ac futilibus;quas tamen revocare paratus sum ubi certiora argumenta mihi innotuerint.Interim cum uti non liceat certa auctoritate στοχασμοῖς nostris benevolus lector æqui bonique consulere debet.

Colonia Nortmanorum in Calabria.

Guillelmus nothus Normaniæ Dux Regnum Anglicanum adeptus tres filios hæredes reliquit,*Guillelmum Ruffum, Robertum & Henricum. Guillelmo* Ruffo Angliæ Regnum cessit in quo obiit sine liberis ipso tempore quo Godofredus Bullonius Hierosolimorum regnum occupavit. Secutus erat Budonium in bello sacro *Robertus* primogenitus Guillelmi nothi Normaniæ Dux à patre constitutus, totaque hyeme anni millesimi nonagesimi sexti in Apulia apud consanguineos suos Apuliæ & Calabriæ Principes commoratus,quo usque sequenti Vere sese mari committeret & in Palæstinam trajiceret. Capta tandem Hierosolima regnum illud oblatum *Roberto* Normaniæ Duci auctor chronici Normanorum observat, recusatumve ab eo fuisse, quod illi nuntiatum esset obiisse fratrem *Guillelmum* Ruffum cujus proximus erat hæres. Itaque velut designatus *Angliæ* Rex trajecit è Palæstina in Apuliam apud Cognatos, consuluitque Scholam Salernitanam de vulnere in brachio

Quis fuerit Rex Angliæ cui dedicatum hoc opus.

Robertus Dux Nerman.

Robertus Angliæ Rex designatus.

dextro accepto in obsidione Hierosolymitana, quod in *fistulam* degeneraverat. Scribit enim laudatus author chronici Normanorum, vulnus illud quod inflictum fuisset telo venenato abiisse in *fistulam* quam Medici curari posse, negabant nisi frequenti oris suctu. Nolebat vero pius & optimus Princeps sugendam *fistulam* alicui committere; ne quemquam ob venenum in periculum vitæ vocaret. Ejus nihilominus uxor novo amoris exemplo excitata dicitur marito dormiente frequenter fistulam suxisse & obduxisse sine ullo salutis discrimine. Quod autem Medicos *Scholæ Salernitanę de fistula* consuluerit, eosque ad opus istud conscribendum, & illi nuncupandum invitarit, facit ut credam *caput de fistula* huic operi insertum. Cur enim amabo *fistulæ* Medici Salernitani remedia præscripsissent potius quam cancro, ulceri excedenti, strumis, ganglio, meliceridi aliisque externis non minoris momenti morbis, sed longè frequentioribus, nisi quia Principi victus rationem præscribebant qui eos de *fistula* consuluerat? Accommodaverunt sua vivendi præcepta *Regi Angliæ*, qui eorum opem ut credibile est expostulaverat. Fuit, itaque eorun officii atque prudentiæ nihil præscribere quod personæ regiæ accommodari non posset, ut propterea verisimile sit eo fine ab eis propositam *fistulæ* curationem quod Rex *fistula* laboraret. Sic in regimine sanitatis Federico Arragonum Regi à Villanovano præscripto *hæmorrhoidum* curatio instituta est, quod Rex eo fluxu tentaretur; de *fistula* ne verbum quidem egit, Ita *Maynus de Mediolano* qui perperam *Magninus vocatur*, libello de sanitate tuenda in gratiam Antonii de Flisco conscripto quem manuscriptum in bibliotheca habeo, ultimum caput *de continentia venerea* subjunxit, quod Ecclesiastico viro quem castitas decet, vivendi traderet præcepta. *Quia*, inquit, *quidam sunt inde venerabiles clerici & litterati qui eligunt vivere continenter; de quorum numero suppono Domine & amice charissime vos esse: Ideo in hoc. capitulo intendo ponere aliquas regulas seu considerationes per quas homo potest faciliùs continere.* Quemadmodum ergo minime decorum fuisset *Mayno* usum veneris viro clerico & castitatem professo consulere, sed continentiam atque moderationem. ita *medicis Salernitanis*, vitio vertendum fuisset,

Nota.

fuiſſet, *ſi Regi Angliæ* vivendi regulas petenti *fiſtulæ curationem* propoſuiſſent, neque eo morbo laboraſſet. Neque movere quemquam debet, quod opus *Regi Angliæ* nuncupaverint, non Duci Nortmaniæ qui nunquam Rex Angliæ fuit. Siquidem *Robertus* ille redierat, ut dixi è Palæſtina velut Rex proximè futurus Angliæ quæ illi tanquam legitimo hæredi debebatur : ſed ejus frater minimus *Henricus* quod moriente *Guillelmo* Ruffo fratre eſſet in Anglia, arrepta occaſione ob abſentiam *Roberti* fratris in Palæſtina degentis imperium occupavit ſuperavitque poſtea *Robertum* qui magno cum exercitu ad regnum recuperandum in Angliam trajecerat. Hæc eſt meo judicio conſcribendi libri occaſio, hic ille *Dux* cui liber *inſcriptus*. *Tempus* quo evulgatus, anno videlicet circiter milleſimo centeſimo, auctor libri *Ioannes de Mediolano* Salernitanus medicus, inſcriptor *totum collegium Salernitanum* cujus nomine exivit, non alicujus medici particularis, quemadmodum hodie videmus philoſophorum *opus* à collegio Conimbricenſi emiſſum. Titulus operis ſi Arnaldo Villanovano, & recentioribus editionibus credimus, *Medicina Salernitana* ſeu *de conſervanda bona valetudine*, ſi veteribus editionibus *Regimen ſanitatis Salerni*, ſi manuſcriptis codicibus, *flos Medicinæ*. Sic habetur in codicibus MS. in bibliotheca medica, ſic in calce omnium exemplarium manuſcriptorum, & codicum primæ editionis verſus hic apponitur libri titulum circumferens. *Quo tempore ſcriptũ hoc opus.* *Titulus libri.*

Hoc opus optatur quod flos Medicinæ vocatur.

Numerus capitum & verſuum incertus. *Codex Schenckianus* mille ducentos triginta novem verſus complectitur; *vulgatus* trecentos ſeptuaginta duos; *Naudinianus centum octoginta tres*. Tullovianus mille & nonaginta ſex, *noſter* manuſcript. ſexcentos ſexaginta quatuor. Notabis vero in calce Tulloviani codicis Titulum operis, Auctorẽ & inſcriptorem contineri, hæc enim verba illic leguntur: *Explicit tractatus qui dicitur* Flores medicinæ *compilatus in ſtudio Salerni* à Mag. Ioan. de Mediolano *inſtrumenti medicinalis doctore egregio, compilationi cujus concordarunt omnes Magiſtri illius ſtudii*. Porro typis mandatus eſt liber vel conjunctum cum operibus Arnaldi Villanovani, vel ſeparatim in Italia, Romæ, Florentiæ, Venetiis: in Germania Francofurti, Baſileæ: in Gallia Pariſiis, Lugduni; Monſpeſſuli, Genevæ, & aliis in locis, *Numerus verſuum.*

paſſim, modo ſine notis, aliàs cum ſolius Arnaldi Villanovani commentatiis, frequentiſſimè cum enarrationibus Ioannis Curionis, & Iacobi Crellii.

De iis qui materiam Medicam carmine ſcripſerunt, de verſu Leonino, antiquitate & uſu.

CAPUT IV.

LUcianus dialogo de ſcribenda hiſtoria falsè deridet Callimorphum medicum qui ſe ductum ad ſcribendam hiſtoriam profitebatur quod Æſculapius Apollinis eſſet filius, Apollo autem Muſarum Dux & omnis eruditionis parens. Eodem jure & excuſare ſe poſſent medici Salernitani quod opus ſuum verſu conſcripſerint, niſi potiora haberent conſilii ſui argumenta. Equidem novum non eſt nec inauditum ſcribendi hoc genus apud Medicos, cum ſæculis omnibus qui metro ſcriberent, non pauci reperti ſint. Nam ut Orphæum, Muſæum, Homerum, Diagoram, Aratum prætermittam quorum monumenta variis Medicinæ floribus aſperſa ſunt atque illuſtrata; Nicander, Ruffus Epheſius, *Sidites* apud Græcos, Æmilius Macer, Q. Serenus Sammonicus, & Rhamnius Fannius apud Latinos longéque plures, egregia quædam opera medica verſu conſcripta poſteris reliquerunt. Eorum autem cenſum atque catalogum nobis dedit Andreas Tiraquellus de Nobilitate capite trigeſimo primo parag 156. ubi *ſcholam Salernitanam* omiſit, quo conſilio neſcio, cum inter eos qui verſu ſcripſerunt poſtremum locum non obtineat. Quod vero ſcribendi hæc ratio frequentiſſimà ac laudatiſſimà uſurpata fuerit Medicis, perſtrinxit Tiraquellus, ego vero copiopioſiſſimè demonſtravi facta enumeratione Auctorum omnium quos Tiraquellus omiſit, quique ab ejus ſæculo in lucem prodierunt. Eorum vero catalogus, qui eſt pene centum & quadraginta Auctorum, hic aſſuere decreveram; niſi rem curioſam magis quam utilem aut neceſſariam ſtudioſis Medicinæ me facturum propoſuiſſem. Eorum nihilominus auctoritate & exemplo diſcemus non tam ſcribendi licentiam Salernitanorum Medicorum quam carminis genus, Græcis incognitum Latiniſque veteribus inuſitatum ſuſpiciendum. Et quidem quod ad Græcos ſpectat,

Poëtæ Medici.

rythmorum nulla apud eos mentio quod obſervarim, ſeu priſcos ſeu neotericos expendamus: unus, quod ſciam, liber manuſcriptus habetur in bibliotheca collegii Emanuëlis Cantabrigiæ, qui rythmos græcos de anima & corpore continet, an vero illi rythmi pedibus certis ligati ſint, necne mihi non conſtat, cum librum nec legerim nec viderim. Neſcius vero non ſum *alliterationes, annominationes, anadiploſes, reſumptiones, repetitiones rythmicas* interdum à veteribus Græcis & Latinis uſurpatas fuiſſe; non affectatas tamen verſuum illas conſonantias, & aſſultus rythmicos qui in *Leoninis* vulgò dictis audiũtur. ἀλφακισμοὶ, βυτακισμοὶ, γαμμακισμοὶ, δελτακισμοὶ, &c. hoc eſt recurſus earum litterarũ quæ ſingulis pene paginis occurrũt apud Homerum & Virgilium, ut & cęteræ illæ figuræ orationis lumina. At rythmus in Virgilio rarior ac unius tantum modi, ſi credimus Scaligero Poët. lib. 4. cap. 41. videlicet in participio activo eoque caſu quarto ut in his exemplis patet. *Rythmi Virgiliani.*

Atque hic undautem bello magnumque fluentem.

Ora exertantem, & naves in ſaxa trahentem.

Non tulit inſtantem Phlegeus animiſque frementem.

Si ſint alterius modi, ait eos eſſe rariſſimos. Verum omnis ferè generis exempla rythmica diligens lector apud Poëtam deprehendet, & in nominibus, & in verbis, & in participiis nec caſu ſolum quarto, ſed penè omnibus abſque tamen ulla affectata diligentia. Cæterùm rythmi verſuum revocari debẽt ad ὁμοιόπτωτα καὶ ὁμοιοτέλευτα quæ à Quintiliano lib. 9. Inſtit. oratoria. *cadentia ſimiliter, ſimiliter deſinentia*, & *eodem modo declinata* appellantur. Quæ quidẽ figura, ſi adſit temperies, orationem admodum exornat, aliàs ut nimium affectata vituperatur. Hanc ſua ætate exagitavit Lucilius apud Agellium lib. 18. cap. 8. in Thucydide irriſit Dionyſius Hallicarnaſſeus, in Apuſeio, Tertulliano, Afris omnibus poſteritas damnavit. Fuit autem imprimis oratorum propria à quibus repſit ad Poëtas, qui ea in uno aut altero carmine uſi fœliciter, integra tandem opera ingenioſo quodam novitatis luxu ducti eo velut flore diſtinxerunt.

Porro quæ extiterit verſuum rythmicorum antiquitas & denominatio, certè nihil ab auctoribus relictum aut obſervatum habemus. Extat liber manuſcriptus in bibliotheca collegii S. Benedicti Cantabrigiæ de metris reſonantibus, qui nonnullam nobis ſi haberemus lucem poſſet ſuppeditare, cum artem doceat componendorũ carminum qua *Antiquitas verſuũ rythmicorum.*

usi sunt poëtæ posterioris temporis in versibus suis reso-nantibus; sed cum eo careamus, quod huc & illuc dispersum legimus, quod etiam ingenio & judicio consequi potuimus, non inviti largimur. Consensus omnium est, hoc genus carminis *Leoninum* vocari à *Leonio* seu *Leonino* quodam sancti Benedicti Canonico Parisiensi & Monasterii sancti Victoris religioso, qui eorum quidem non fuit auctor, sed eximius & insignis artifex. Sunt qui à *Leone* dictum velint quasi excelsum, & inter cæteros versus primarium ac veluti regium; vel quia Leonis instar caudatum; *sed tametsi leoni cauda est, tamen ea ventri non est vel par vel similis; id quod talibus evenit versibus*, inquit Iulius Scaliger loco laudato. Alii *Æquivocos* appellant, voce sonoq; concordantes, ego ὁμοιοπτώτυς, *Consonantes.* Origo ut diximus vetus, sed incerta; si ullus tamen conjecturæ locus est; arbitror ingeniosos poëtas veneres eas desumpsisse ab Oratoribus quos ea figura videbant commendari. Ex iis autē qui frequentibus ὁμοιοτελεύτοις καὶ ὁμοιοπτώτοις usi sunt, fuit imprimis Caius Plinius cujus opera his flosculis inspersa sunt non sine multa venustate. Vnum tantum exemplum subjiciam ex lib. 9. natural. hist. c. 33. *In conchis*, inquit, *magna ludentis naturæ varietas, tot colorum differentia, tot figuræ planis & concavis, longis, lunatis, in orbem circumactis, dimidio orbe cæsis, in dorsum elatis, lævibus, rugatis, denticulatis, striatis, vertice muricatim intorto, margine in mucronem emisso, foris effuso, intus replicato, jam distinctione virgulata, crinita, crispa, canaliculatim, pectinatim, imbricatim, undata cancellatim, reticulata in obliquum, in rectum expansa, verdensata, porrecta, sinuata, brevi nodo ligatis, toto latere connexis, ad plausum apertis, ad buccinam recurvis.* Ingenium & characterem Plinianum arripuerunt sequentes Afri non pari lepore, spissius enim miscuere ista ὁμοιόπτωτα & veneres affectando venustate caruere. Cyprianus, Tertullianus in Pallio, Apuleius in metamorphosi, Minutius Fœlix his lautitiis creberrimi, & eos secuta scriptorum posteritas: Sidonius Apollinaris, Cassiodorus, D. Augustinus & pene omnes scriptores Ecclesiastici, ac inter eos Innocentius III. Pontifex Maximus lib. de contemptu mundi, ubi ferè perpetua est ὁμοιόπτωσις. Oratorum exemplo ausi aliquid sunt Poëtæ, quibus ex voto in paucis versibus res successit, sic in pluribus non malè cessit. Primus quem viderim hoc carminis genere scripsisse, vocatur *Theodolus* presbyter natio-

Leoninū carmē.

Auctores qui

ne Italus, qui referente Trithemio lib. de scriptoribus Ecclesiasticis sub zenone Augusto vixit anno Domini quadringentesimo octuagesimo. Ejus liber Eglogarum & liber de Contemptu mundi Lugduni typis excusi sunt opera Ioa. Kænerii ann. 1338, Cum Theodolo exivit *Faceti* liber moralis, Leonino quoque versu compositus, sed quo tempore penitus ignoro. Nec mihi constat de libro *Floreti* iisdem rythmis conflato, qui simul cum illis editus est. *VVilleramus* Abbas Marspurgensis ordinis sancti Benedicti anno millesimo septuagesimo mysticam explanationem in Cantica Canticorum eodem versu emisit. Sequenti seculo circa annum millesimum centesimum, floruit quoque *Leonius* ille sancti Benedicti Canonicus, qui quod in illo scribendi genere excelleret, nomen suum versibus rythmicis concessit. Iisdem versibus emisit *Gualterus Disse* Carmelita Burdegalensis de Schismate librum unum anno millesimo trecentesimo nonagesimo. Dicitur etiam *Ioa. de Botonia* versus resonantes de bello Trojano, de conjugio, de confessione, de curia Romana, de Susanna condidisse, qui libri extant manuscripti in bibliothecis Anglorum. Fuit & quidam *Raymundus* hoc carmine celebris, cujus versus nonnulli circunferuntur. Habeo quoque cujusdam *Raymundi* summulam septem sacramenta Ecclesiastica ingenioso hoc carmine complectentem. *Gottofredus* Viterbiensis Notarius Regis Conradi tertii, & Friderici primi Imperatoris, Pantheon sive universitatis libros chronicos viginti, omnes omnium sæculorum & gentium historias complectentes versu Leonino edidit; opus hercle admirabile & elaboratum Alexander dictus de Villa Dei patria Dolensis, Ordinis Fratrum Minorum anno millesimo ducentesimo quadragesimo florens, doctrinale puerorum edidit eodem versu Leónino, quod opus diu loco eodem fuit apud Grammaticos, quo nunc apud nos Donatus, Despauteriusque habentur: cùm juberentur pueri ejus versus memoriæ mandare. *Scholia Salernitana* de valetudine tuenda seu *Medicinæ florem* librum emisit an. 1100. quem *Ioa. de Mediolano* ejus alumnus composuerat. *Otho Cremonensis* versus centum quindecim de electione meliorum simplicium ac specierum medicinalium scripsit rythmo Leonino. *Incertus* quoque auctor de duodecim lapidibus Rationali Pontificis Iudæorum apud Marbodeum de gemmis, ut non recenseam infinita epigrammata, epitaphia, conscriptiones, & alios hujusmodi poëticos flores à qua-

Leonino carmine scripserunt.

tuordecim ferè sæculis extantes quorum tædiosa esset enumeratio.

Prima differentia carminis Leonini.

CAPVT V.

IVcundior erit differentiæ carminis *Leonini* investigatio, cum à nemine exactè tradita sit. Sunt ergo versus Rythmici vel *Artificiosi* qui mesuras, pedes & numeros metri servant, vel *vulgares* & minimè artificiosi. Artificiosi duplices sunt, *Adsonantes* seu *Consonantes* simpliciter, & præterea *Concordantes.* Illi in solo rythmo consistunt, hi voces habent aut rythmos communes duobus aut pluribus versibus.

Adsonantes versus. Concordantes.

Adsonantium duæ species: κοιλιάπτωτος, in quibus venter adsonat caudæ, & συνεχέπτωτοι, in quibus cauda caudæ respondet. Ex iilis duabus mistum quoddam genus exurgit omnium difficillimum, παντάπτωτο, quasi dicas *undique consonans* ventribus & caudis.

Κοιλιάπτωτος tres species habet. Prima species.

Κοιλιάπτωτος versus cum simplex est ventrem habet caudæ respondentem; spectaturque ejusmodi rythmus in uno & solitario versu quemadmodum videre est in hoc Epithaphio Ducis Sicelæ qui obiit anno 1101.

Linquens terrenas migravit Dux ad amœnas
Rogerius sedes, nam cœli detinet ædes.

Aut in isto à Thoma Moro composito

Hic jacet Henricus, semper pietatis amicus
Nomen Abyngdon erat, si quis sua nomina quærat,
VVellis hic Ecclesia fuerat succentor in alma,
Regis & in bella cantor fuit ipse capella,
Millibus in mille cantor fuit optimus ille
Prætet & hæc ista fuit optimus orgaquenista, &c.

Eadem ratio servatur in hoc tetrastico in ludum Scaccorum composito.

Ludus Scaccorum datur hic correctio morum,
Non tantum morum regimen, sed & officiorum
Miles regalis, & corrigitur popularis
Si ludi lusum moram vertamus ad usum.

Secunda species.

Varius autem est & perfectus hic versus cum caput ventri & caudæ adsonat, ut in hoc disticho trito & vulgari.

O Valachi, vestri stomachi, sunt amphora Bacchi

Vos estis, Deus est testis, teterrima pestis.

Et in hoc altero de tribus hominis hostibus dæmone, mundo & carne.

Dæmon agit tumidum, mundus cupidum, caro fœdum;
Dæmon instinctu, mundus factu, caro tactu.

Quodsi caput ventri solum adsonet, non etiam caudæ, erit imperfectus, requirit enim alium versum sequentem, cujus cauda suæ caudæ respondeat. Hoc artificio viginti sex versus continuos Theodolus posuit libro de Contemptu mundi quos hîc appono ob elegantiam non vulgatem. *Tertia species.*

Pauper amabilis, & venerabilis, est benedictus;
Dives inutilis, insatiabilis est maledictus,
Qui bona negligit, & mala diligit intrat abyssum;
Nulla pecunia, nulla potentia, liberat ipsum.
Irremeabilis, insatiabilis illa vorago;
Hîc ubi mergitur, horrida cernitur omnis imago.
Hac cruciamina per sua crimina proveruere
Vir miserabilis. Evaque flebilis, hæc subiere.
Iussa Dei pia, jussa salubria si tenuissent.
Vir neque fœmina nec sua semina morte perissent.
Sed quia spernere, jussaque solvere non timuere,
Mors gravis irruit, hoc merito fuit, & periere.
Ianua mortis, passio fortis crimen eorum
Attulit orbi semina morbi totque malorum.
Illa parentes atque sequentes culpa peremit
Atque piarum delitiarum munus ademit.
Flebile factum dans cruciatum dansque dolorem;
Illa mereri perdere veri Regis amorem,
Tam lacrymosa tamque perosa morte perire
Atque ferorum suppliciorum claustra subire;
Est data sævam causa per Evam perditionis,
Dum meliorem sperat honorem voce draconis.
Hæc malè credens nos quoque lædens crimine magno:
Omne tristi subdidit isti secula damno.
Stirps miserorum plena dolorum postea crevit;
His quoque damnis pluribus annis subdita flevit.

Συνεμπτωτοι versus habent caudam caudæ respondentẽ: Iul. Scalig. vocat *Echicos*. Verum quia ejuscemodi vocabulum potius pertinet ad singulares versus, in quibus adest extremæ vocis responsio ac repetitio per elisionem facta ut in his versibus, *Συνεμπτωτος duas species habet.*

Fœmina dira viri nex est & terribilis lis,
Exercet mentes fraternas grata malis lis;

quam in duobus aut pluribus versibus cauda adsonantibus in quibus consistit ratio hujus rythmi; idcirco malui versus eos vocare *συνουραπτώτους*, id est, *cauda consonantes*. Suntque hi propriè quos Majores nostri *Leoninos* dixerunt. Nam *Leonius* canonicus quadraginta tres versus eodem rythmo consonantes elaboravit ut videre est apud Paschalium de origine rerum Gallicarum lib.7. cap.2 Hoc carminis genere scriptus liber *VVillerami*: *Faceti* & *Gottofredi*. Porro si duo tantum versus cauda adsonent facilis labor; arduus magis ubi idem rythmus in pluribus servatur; velut in carmine prædicto Leonii, & in sequentibus versibus Floreti in quibus de peccatis contra Spiritum sanctum agit.

Prima species. *Altera species.*

Qui peccat nimium præsumens de pietate,
Vel qui desperat de divina bonitate;
Aut induratus non cessat ab impietate:
Et qui fratris odit virtutes improbitate,
Impugnans verum certus sine commoditate
Quem non sine piget de culparum gravitate,
Contra pneuma sacrum peccat spreta deitate
Quæ primæ quinque culpæ vix sunt relevatæ,
Sexta caret venia quia corruit immediate.

Ex *κοιλιαπτώτοις* & *συνουραπτώτοις* simul concurrentibus exurgit genus carminis mixtum, ingeniosum, & artificiale cæterisque longè difficilius; quod *παντάπτωτον* hoc est *undique ventre & cauda adsonans* non inepto prorsus vocabulo diximus appellari. Ejus ut præcedentium diversæ sunt species. Primi generis esto hoc exemplum.

παντάπτωτος multas habet species. *Prima species.*

Funde vinum, funde, tanquam sint fluminis unda
Nec quæras unde, sed fundas semper abunde,

Et istud.

Cum Medicus tu sis, tu scis medicamina tussis,
Tussio non tussis, sum malè, tu benè scis.

Rursusque illud

Stat foris ante fores Michaël, dicens quod honores
Immutant mores, raro tamen in meliores.

Secũda species.

In his primo singulis versibus venter caudæ respondet, in utrisque venter ventri & cauda caudæ. In secundo genere habemus istos versus Theodoti.

Pauper amabilis & venerabilis est benedictus,
Dives inutilis insatiabilis est maledictus.

Tertia species.

In quibus caput & venter primi versus inter se consona, capiti & ventri secundi versus adsonant, cauda caudæ. Tertiæ speciei afferam versus, quos in monasterio quon-

dam Cumlbitzenſi, nunc vero venationi Principis deſtinata domo exſcripſi cum apud Philippum Pomeraniæ ducem agerem anno 1612. Affixi autem erant verſus juxta Chriſti imaginem in cruce pendentis.

Æneus hic coluber cruce luguber, ipſe ſaluber
Atque cruore ruber, vitæ faber, omnibus uber,
Omne fugans tuber & culpæ vexile ſuber
Hunc puer, hunc puber nunc fugat canus & uber.

In quibus quidem carminibus duo priores verſus capire, ventre, cauda conſonant; reliqui duo ventribus & caudis, ſed eodem divite rythmo.

Aliæ differentiæ verſuum rythmicorum artificialium.

CAPVT VI.

HActenus de prima ſpecie artificialium rythmicorum quos *Conſonantes* vocavimus, ſequuntur *Concordātes* verſus qui voces habent vel rythmos communes duobus aut pluribus verſibus. Eorum ut præcedentium aliquot ſtatui poſſunt differentiæ, quæ quia aliqua nomenclatura commodè deſignari à me nequeunt, ſubjectis exemplis demonſtrantur. Primi generis exemplum eſt cum uni ventri ab uno principio enato plures caudæ concordant, ut cernere eſt in ſubjecto exemplo. *Concordantes.* *Primæ ſpecies.*

Dum Manducatis {
Vultus hilares habe
Sal cultello capi
Quid edendum ſit pet
Non depoſitum capi
Rixas, murmur fugi
Membra recta ſede
Mappam mundā tene
Ne ſcalpatis cave
Nullis partem tribu
Morſus non rejici
Medicum ſed crebro bib
Grates Chriſto refer-
} *atis.*

His verſibus affines ſunt ſequentes en Theodolo de contemptu mundi. *Secūdæ ſpecies.*

In re terrena {
Nihil aliud eſt niſi pœ-
Labor eminet atque cate-
Nec lex nec juris habe-
}
A re terrena {
Sanctorum mens alie-
Requies removetur amœ-
Procedunt mille vene-
} *na.*

Pro re terrena { *Procul est homo luce sere-* / *Manus ensem tractat ege-* / *Dives versatur are-* } *na.*

De re terrena { *Non sit tibi plena crume-* / *Tua mens non fiat amœ-* / *Sit tibi gloria ple-* } *na.*

Tertia species. Quibus quidem atque similibus carminibus contraria sunt ea quæ habent ventrem à diversis principiise natum, cum una cauda atque simplici consonantem arque concordantem, cujus generis non memini me ullum exemplum vidisse. Si usquam occuraerjt debet in hunc locum revocari.

Quarta species. Alterius generis exemplum est cum unus venter ex diversis principiis enatus uni caudæ versus varios claudenti atque terminanti respondet atque concordat.

Arbore sub qua-
Quod primus A-
Sed postremus A-
Damna prioris A-
Si non primus A-
Non postremus A- } *dam* { *Dicta clericus A-*
Peccavit in arbore qua-
Natus de Virgine qua-
Reparavit in arbore qua-
Peccasset in arbore qua-
Moreretur in arbore qua- } *dã.*

Quinta species. Tertii generis carmina habent voces & tythmos duobus versibus communes, ut patet in hoc disticho.

Et canis in sylvis venatur & omnia lustrat;
Et lupus in sylvis nutritur & omnia vastat.

Voces utriusque versus communes sunt *in sylvis*, & *omnia*, rythmi communes habentur in *venatur*, *nutritur*, & in *lustrat*, *vastat* quod potes observare in eodem disticho hac ratione ordinato atque digesto.

Et canis / *Et lupus* } *in sylvis* { *venatur* / *nutritur* } *& omnia* { *lustrat.* / *vastat.*

Sexta species. Quarta species & postrema habet omnes syllabas & rythmos duobus ubique versibus communes & concordantes, ut videre licet in sequenti disticho.

Quos anguis dirus tristi mulcedine pavit,
Hos sanguis mirus Christi dulcedine lavit.

Id autem melius observabis si hoc artificio describas,

Qu / *H* } *os* { *an* / *san* } *guis* { *di* / *mi* } *rus* { *tri* / *Chri* } *sti,*
{ *mul* / *dul* } *cedine* { *pa-* / *la* } *vit.*

Salernitanam

Qua quidem ſpecie nihil ingenioſius, nihil difficilius excogitari poteſt.

De rythmis inartificialibus & genere carminum Salernitanorum.

CAPVT VII.

QVi certis pedibus & menſuris ligati ſunt & vincti, artificiales verſus vocavimus, ſeu fuerint in genere Heroico; ſeu Elegiaco, ſeu Epico, ſeu mixto. Heroico ſcripſit *VVilleramus*, Elegiaco *Gottofridus*, ſed eo artificio, ut duos verſus Sexametros præmiſerit, tertium ſemper ſubjunxerit pentametrum. Sic ille in hiſtoria de Enoch & Elia.

Finibus oceani maris eſt locus ultimus orbis,
Qua penitus nullis agitantur tempora morbis.
Eſt ibi temperies, perpetuata quies
Eccleſiam ſancti ſub ea regione Mathæi
Sanctifici tenuere viri, monachi Galilæi
Dantes Britannis dogmata ſancta Dei.

Qui ordo totius eſt operis. Hexametro & Pentametro hoc conflatum eſt epigramma.

In cratere meo Thetis eſt conjuncta lyæo;
Eſt dea juncta Deo. ſed ea major eo.
Nihil valet hic vel ea niſi ſint ambo phariſææ,
Amodo propterea ſit Deus abſque dea.

Legi alicubi elegiam integram Trojæ excidium hoc genere carminis complexam, cujus quatuor priores verſus in memoriam redierunt, quos hic appono ob venuſtatem eximiam.

Pergama flere volo fato Danais data ſolo;
Solo capta dolo, capta redacta ſolo.
Paſſa modo Paridem; Priadem modo, Theſea pridem;
Eſt factura fidem ne redeas in edem.

Longioris eſſet otii ſingula hic velle recenſere. Tranſeo ad verſus rythmicos *inartificiales, vulgares & communes*, qui nullis pedibus adſtringuntur, ſed in ſolo ſyllabarum numero atque rythmo conſiſtunt. Hoc artificio pleroſque habemus compoſitos hymnos Eccleſiaſticos, & quas vocamus *Proſas*, in quibus pia & ſeria tractantur: quod idcirco moneo, quoniam hos rythmos fere ſemper ad nugas & Iocos video detortos fuiſſe, ut in ſubjectis exemplis cernere eſt.

Meum est propositum in taberna mori,
Et vinum apponere sitienti ori,
Vt dicant cum venerint ebriorum chori
Bacchus sit propitius huic potatori.

In Germania dum studiosus juramento Rectori se adstringit,& fit ut dicitur *Scholasticus juratus* ; hanc illi cantilenam concini audivi,à Luthero , ut dicunt , institutam.

Salvete candidi hospites,
Conviviumque sospites,
Quod apparatu divite
Hospes paravit,sumite,
Mos est cibum magnatibus
Condire morionibus
Nos dum jocamur crassius,
Bonis studemus moribus,
Lignum fricamus horridum
Crassum dolamus rusticum,
Cum vũ quod est hoc flectimus ,
Crassum quod est deponimus,
Beanus iste sordidus
Altis spectandus cornibus,
Vt sit Novus Scholasticus ,
Providerit de sumptibus.
Interea dum ludicro
Tempus datis spectaculo,
Frontem severam ponite
Frontem serenam sumite;

His vero rythmis nihil humilius aut facilius est ; operosiores paulò existuut *Gualteri Visse* Carmelitæ rythmi,cui hoc proprium fuit ac peculiare , ut post tres versus nullo pede ligatos,quartum subjiceret pedibus adstrictum , eumque vel ex probatis auctoribus, vel ex parœmiis vulgaribus desumptum. Exordium libri hujuscemodi est.

Heliconis rivulo modice conspersus
Vereor ne pondere sim verborum mersus
Sed quia jam labitur mundus universas
Incipe Mænalios mecum mecum mea tibia versus.
Rythmis dum lascivio ;versus dum propino ,
Rodet forsan aliquis dente me canino;
Quia nec afflatus sum spiritu divino
Neque labra prolui fonte caballino.

Extat & similis lusus qui dicitur cuidam *Raymundo* usitatus fuisse , sed tres ejus priores versus pedibus ligati erant, quartus ex aliquo etiam poëta celebri desumebatur , quod observabis in hoc tetastrico.

Vt mens se videat posita caligine fumi,
Quis vetat apposito lumen de lumine sumi ?
Quod si perfectè nequeo res edere cunctas ,
Vt desint vires, tamen est laudanda voluntas.

Vt est ingenium hominum atque industria , plures excogitari posse versuum rythmicorum differentias non inficior; quas tamen non exequor scrupulosius ut potè ad rem præsentem minimè necessarias.Libuit tamen aliquantulum his,ut ita dicam, nugis immorari , ut in quo genere ryth-

micorum versuum essent Salernitani faciliùs adverteremus. Esse verò ex Artificialibus κοιλιαπτώτοις, nemonon videt, cum ventri cauda adsonet, licèt interdùm occurrant σωυεραπτωτοι, seu *Leonini* proprèdicti in quibus cauda caudæ respondet ut in his duobus. *In quo genere sũt versus Salern.*

Lenit & humectat, solvit sine febre butyrum
Incidit, lavat, ac penetrat, mundat quoque rerum.

Consilium Scholæ Salernitanæ in his rythmis scribendis.
CAPVT VIII,

POst tam longum & tædiosum excursum, tanquam à diverticulo redeuudum tandem est in viam, ut quo consilio adducti sint Salernitani Medici ad *florem* hunc medicinæ carminibus rythmicis consignandum aperiamus. Duæ autem mihi rationes videntur potissimæ hujus instituti. Prior *Consideratio Principis* cui librum adornabant. Is autem erat natione Nortmanus; ut apud Nortmanos genus hoc carminis tritum, familiare, jucundum. Nihil penitus apud eos æterna dignum memoria consignabatur nisi eo carmine. Primi eorum Ducis Rollonis habemus epitaphium hujus compositionis. *Salernitani cur carmine scripserunt.*

Dux Nortmanorum cunctorum norma bonorum,
Rollo ferus, fortis, quem gens nortmanica mortis
Invocat articulo, hoc jacet in tumulo.
Ipsi provideat tua sic clementia Christe,
Vt semper videat cum cœtibus angelicis te,
Filius atque Dei propitietur ei.

Ejusdem farinæ epitaphium positum ejus filio Guillelmo.

Rollonis nalus Guillelmus longa vocatus
Spata, Deo gratus, jacet hic tumulatus.
Panem canonicis in honore Dei genitricis
Contulit: ergo pia juvet ipsum virgo Maria;
Et qui cuncta videt, sibi vivo pane frui det.
Anno centeno novies duo cum quadrageno
Deficit in membris ter sæva luce Decembris
Cum nato cunctis escas tribuente quiescas,
Qui panem Christi pro matris honore dedisti.
Qui dedit hoc munus hunc salvet trinus & unus.

Guillelmo notho in Angliam proficiscenti apparuit Cometes de quo fuit sequens distichum.

Anuo milleno sexageno quoque seno
Anglorum meta flammas sensere Cometa.

Cujus distichi eo lubentius memini, quod ab Astrologis observatum fuit eum Cometam duas caudas ad meridiem tendẽtes habentem significasse novam Regis mutationem & colliga- *Nota Cometa,*

tionem seu conjunctionem duorum imperiorum Denique ut verbo absolvam, omnia antiquitatis rudera Nortmanorum his carminibus plena; ut idcirco conjectura sit Nortmanos eo carminis genere delectatos ansam dedisse Salernitanis medicis ut librum iisdem versibus adornarent. Conjecturam firmat alia à me facta observatio in historicis Salernitanis. Apud enim omnia epitaphia, inscriptiones, programmata antequam Nortmani Apuliam occuparent, versu minimè rythmico consignata; at regnantibus Nortmanis omnia rythmo designata. Supra attuli epitaphium Rogerii, sequitur Iordani.

Princeps Iordanus Ricardo principe natus,
Quæ patet incœpit prius hæc implenda recepit.

In fenestram instauratam hæc carmina edi.

Vultu jocondo Roberto dante secundo
Pulchra fit hæc extra satis intus & ampla fenestra.

Altera fuit *discentium commoditas*: faciliùs enim mandantur memoriæ versus quam soluta oratio, *ipsa enim quæ proponuntur* (inquit vir sapiens) *per se multum habent ponderis, si aut carmini intexta sunt, aut prosa oratione in sententiam coacta.* Eleganter Verulamio lib. 5 de augmentis scientiarum cap. 5. dixit similiter *carmina faciliùs disci memoriter quam prosã. Si enim hæretur in aliquo verbo, subest prænotio, tale debere esse verbum quod conveniat cum versu; quæ prænotio est artificialis memoriæ pars prima*, sed inter omnes versus rythmici maximè memoriam juvant, delectando, & resonando. Ex ventris rythmo rythmum caudæ deprehendimus vel è contrà, & ex rythmo voces & voces & vocabula. Si quis nostris conjecturis potiores ac meliores protulerit, libenter illi acquiescam. Nec enim is sum qui ut est apud Herodot. lib 1. Persarum ad instar. μὲ εἶ) ἀνθρώπων μάκρῳ τὰ πάντα ἄριςον, τοὺς δὲ ἑκαςάτω οἰκέοντας ἀπ᾽ ἐμȣ̃ κακίςȣς, hoc est, *me longè optimum omnium hominum, eos autem omnium pessimos esse qui à me longissimè habitant*, memor illius sententiæ Theognidis.

ἔςι τὸ μὲν χεῖρον τὸ δ᾽ ἀμεῖνον ἔργον ἑκάςȣ.
ȣ̓δεὶς δ᾽ ἀνθρώπων αὐτὸς ἅπαντα σοφός.

Est aliud quiddam prius, aliud verò meliùs opus singulorum hominum. Nullus enim eorum in omnibus sapiens est.

Ordo totius operis Salernitani in hac editione servatus.

CAPVT IX.

SApienter ut omnia Aristoteles dixit lib. 8. Physic. c. 1. τάξιν πᾶσαν εἶ) λόγον, *ordinem omnem rationem esse*: nec enim unquam à ratione sejunctus est ordo memoriæ parens, artium opifex & instaurator, omnisque pulchritudinis ac delectatio-

nis auctor. Optimè siquidem à Galeno lib. 2. de diebus critic. c. 2. definitum est *omne pulchrum, simul esse & pulchrum & ordinatum*, affirmavitque Xenophon οὐδὲν οὕτως οὐδὲ εὔχρηστον, οὐδὲ καλὸν ἀνθρώποις ἐν βίῳ ὅσως ἡ τάξις. Cùm ergo apicem & adminiculum doctrinæ in uno versari ordine animadverterem; nihil mihi antiquius fuit in renovando hoc opere, quàm doctrinam Salernitanæ scholæ ad certum quemdam cogere ordinem, capita singula huc & illuc sparsa, & absque methodo disseminata in artem revocare, partemque illam Medicinæ quæ *de valetudine tuenda* disputat, certo & definitò ordine exhibere. Erat quidem ea Medicinæ pars toto hoc operè diffusa, sed tam confusè & inordinatè propter scribendi novitatem, ut libertatis poëticæ potiùs argumentum, quam medicæ artis documentum sapere videretur. Quamobrem imprimis totum opus in hunc ferè ordinem coëgi; ut quoniam *victus ratio causas* sanitatis & ejusdem *signa* contineret, *duas quoq;* illa omnino *partes* possideret, αἰτιολογικὴν quæ de *causis* sanitatem, vel *perfectam* conservantibus, vel *labantem* erigentibus, ageret, & σημειωτικὴν quæ *argumenta* & *signa* dignoscendæ sanitatis explicaret. *Prior* illa, quod sanitatem ut dixi *integram* custodiret; quodque eamdem velut *nutantem vitubantemque* sustineret; rursum à me in *duas* divisa est *partes*, προφυλακτικὴν καὶ θεραπευτικὴν, *Illa* prior, potior, & prolixior, quia εὐεξίαν conciliat per sex res nonnaturales vulgo dictas, in *sex sectiones* partita fuit *Prior* est de *Aëre*, *Altera* de *Cibo*, & *Potu*, *Tertia* de *Motu* & *Quiete*; *Quarta* de *Somno* & *Vigilia*; *Quinta* de *excretis* & *rejectis*; *ultima* de *Animi pathematis*: θεραπευτικὴ vero vel *generalis* est, quatenus scilicet præcepta quædam tradit generalia sanitatis firmandæ; vel *particularis*, prout prospicit incommodis singularum partium, ut potè capiti, oculis, auribus, dentibus, voci, stomacho & cæteris. His tandem omnibus succedit Σημειωτική, quæ beneficio *partium corporis*, *temperamenti* & *compositionis* sanitatis *signa* investigat. Atque illa est rerum series & ordo, in quem opus Salernitanum reduximus; quod quidem nobis consilium erat unico vqlumine in lucem emittere, nisi rerum pulchritudine & necessitate ducti, prolixiores fuissemus in nostris Animadversionibus, quam aut cogitare, aut sperare potuissemus.

Ordo & series totius operis.

Alterum quod in hac editione præstamus, *Animadversiones sunt* nostræ singulis capitibus affixæ, quæ commentarii locum habere possunt. Proposueram autem initio commentationes *Arnaldi Villanovani* opera & diligentia *Ioannis Curionis* & *Iacobi Crelii* locupletatas: nostris animadversionibus præfigere, idq; præstitimus ad caput usque tertium sectionis secun-

Animadversiones novæ.

dæ: sed cum in manus meas pervenissent commentationes eædem impressæ Fråcofurti, Genevæ, & Monspessuli opera Francisci Choüet Typographi, atque auctiores factas tersiores & elegantiores studio & industria viri clarissimi atque doctissimi *Costansonii* animadverterem, recudendas eas curavi, utpotè utilissimas & studiosis medicinæ apprimè necessarias.

Additiones. Cum autem nonnullæ sectiones leviter à Salernitanis delibatæ essent, nobis curæ fuit supplere ea, quæ ad cujusque partis intelligentiam deesse videbantur: idcirco interdum prolixiores fuimus, nostrisque animadversionibus multa aspersimus, quæ vel splendorem addere, vel gratiam operi conciliare poterant, quamquam ut verum fatear, rerum potiùs quam verborum magis fuimus studiosi, quod operarum laborē sequi cogeremur. Sincero enim animo testamuri, primum nostrum artographum & ipsa analecta maculis & lituris conspurcata Typographi operis inserviisse, quod transcribendi nedum relegendi atque emendandi tēpus non concederetur. Hinc quoq; factū est, ut nonnullæ contra mentem nostram irrepserint, & infinitæ mendæ, quas enumerare tædiosum mihi & lectori esset.

Castigationes addita & emendationes. Præterea plurimos virorum clarissimorum errores deteximus & aperuimus; eo tamen temperamento, ut quantum in nobis fuit, abstinuerimus convitiis, quæ viro probo & veritatis amanti indigna judicamus. Vna veritatis indagandæ sollicitudo & cura, nos in hoc bellum deducit, in quo nihil irato, nihil hostili animo patratum. Si quid à me peccatum ignorantiâ fuit, paratus sum revocare, ubi contrariæ rationes comparebunt. Plurima quoque loca Hipppocratis, Galeni, veterumque auctorum ex occasione emendata à nobis fuere, jure an injuria æquus lector judicabit.

Multis autem in locis ex manuscriptis codicibus addimus pleraque ad *victus rationem* pertinentia; quæ distincta ab aliis hoc signo „ deprehendes: sed & insuper solis nostris animadversionibus illustrata sunt, quo uno argumēto nonquam antè edita produntur. *Versus adjūcti.* Multos alios versus ex manuscriptis illis omittimus, quod ad aliàs medicinæ partes potiùs quam ad hygeinem (quam unam hic tractamus) pertineant. Decrevimus tamen in calce operis omnes illos versus prout in membranis nostris continentur, in lucem emittere, sine scholiis, ne quisquam desiderare quicquam possit.

Indices. Denique *Indicibus* necessariis carere istud opus noluimus, quapropter *priorem* Indicem damus sectionum & capitum: *ulterum* quæstionum in toto volumine tractatarum; *tertium* Auctorum & emendatorum & citatorum; *postremum* tandem rerum & verborum memorabilium.

DE CONSERVANDA




DE CONSERVANDA BONA VALETUDINE, liber Scholæ Salernitanæ.

PARS PROPHYLACTICE de causis Sanitatis agens.

SECTIO PRIMA. DE AERE.

Operis institutum.



Nglorum Regi scribit Schola tota Salerni:
Si vis incolumem, si vis te reddere sanum,
Parce mero, cœnato parum, non sit tibi vanum
Surgere post epulas, somnum fuge meridianum,
Ne mictum retine, nec comprime fortiter anum,
Curas tolle graveis, irasci crede profanum,
Hæc bene si serves, tu longo tempore vives.

PRæsens hic liber à doctoribus Scholæ Salernitanæ in gratiam Regis Angliæ conscriptus, multa & varia conservandæ bonæ valetudinis præcepta complectitur.

In hoc autem capite octo imprimis generatim referuntur, quæ nos singulatim deinde, ac suo quodque ordine explicabimus.

Primum ergo est, ut tuendæ sanitatis suæ studio-



ſus,anxiferas, graveis, & pertinaces curas relaxans, ex animo penitus exterminet. Curæ enim corpus vehementer extenuant & exiccant, ſomnum impediunt, perpetuiſque vigiliis conficiunt, vires deſtruunt, febres etiam accendunt, ac graviſſimis valetudinibus initia præbent, ipſæ quoque melancholiam generant, pariterque calorem innatum reſolvunt, & extinguunt, & magis ſi diutius durârint: Autor Galenus cùm multis aliis locis, tum prçcipuè Aphor. lib. 2. comment. 28. & lib. 3. comment. 31. & de tuenda ſanitate libro primo, capite 11.

Cura.

Triſtitiæ.

Sub eodem prçcepto comprehendi debent & Triſtitiæ, quæ & ipſç corporis naturam frigiditate & ſiccitate corrumpunt, id quod Salomon cap. 17. Proverbiorum ſuorum atteſtatur: Spiritus triſtis, inquit, exiccat oſſa. Sed cùm omnis mœſtitia generandæ melancholię vim habeat, quò tamen vehementior ac diuturnior hæc affectio fuerit, eò plus adfert periculi. Nam extra hoc, quòd corpus macie paulatim extabefacit, cor etiam ipſum immodicè conſtringit, ſpiritum obtenebrat, ingenium hebetat, rationem impedit, judicium obſcurat, & memoriam obtundit. In mœroribus item fortibus, uti à Nemeſio cap. 20. de natura hominis ex 3. lib. demonſtrationum Galeni refertur, bilioſa quædam ſuperfluitas conſuevit in ventriculum defluere, & multò magis quum ipſe malè affectus fuerit, quæ ſanè moleſtiam exhibet, ut non prius à mœſtitia, & cruciatu ceſſet, quàm ſuperfluitas illa vomitu ejecta fuerit, id quod Galenus etiam aphor. l. 6. comm. 50. atteſtatur.

Timor.

Idem de timore quoque intelligendum: nam & ipſç intrò & ad principium, tum ſpiritum, tum

ſanguinem unà cum refrigeratione eorum, quæ in ſummo corpore ſunt, abducit ac contrahit: itaque etiam pulſus tum arteriarum, tum cordis iis, qui timent, minimi ac maximè imbecilli ſunt, partes in ſuperficie poſitæ algent, corpúſque pallеſcit, tremor incidit, vox interrumpitur, & vires denique convelluntur omnes. Quod autem in triſtitia paulatim patiuntur homanes, id in timore confertim accidit, diſſidentibus ſcilicet intèr ſe paſſionibus iis non toto genere, ſed magnitudine & vehementia. Itaque etiam ob timorem & immenſum mœrorem nonnulli repentina morte interierunt, quòd ſcilicet imbecilla ſuapte natura animula eorum ſub valido affectu oppreſſa, confertim extincta & ſuffocata ſit: quemadmodum luculenter & perſpicuè docet Galenus lib. 2. cap. 5. de cauſis Sympt. Quippe extingui eam accidit propter affectus ipſius naturam, ut cujus generatio in refrigerando conſiſtat: Suffocari autem eo quòd totus ſanguis unà comemet, atque ad principium deferatur, Cujus ſanè rei inſignia exempla extant apud Plinium lib. 7. cap 36. naturalis hiſtoriæ. Quocirca eum, qui ſanitatis ſuæ tuendæ curam ſuſceperit, cane pejus & angue omnia illa, quæ non aſpectu & auditu modò, verùm & mentis agitatione triſtia exiſtunt, fugere oportebit. Quod Ariſtoteles quoque innuiſſe videtur, cùm Problemate 5. Sectionis 7. ſcribit: λειποθυμίαν incidiſſe quandoque, qui homines ſuffocari laqueo vidiſſent ſolum.

Hoc tamen ignorandum non eſt, quòd obeſis nonnullis, quibus corpus immodicè plenum eſt, ac iis etiam qui ſpiritus admodum mobiles & calidos habent, interdum utile ſit, ſi curis, timore, & triſtitiis conficiantur, quò nimirum ſpiritus ca-

lor hebetetur, & nimia moles, quæ corpus onerat, extenuetur aliqua ex parte atque auferatur: id quòd uno ore confirmant, Paulus Aegineta, lib. 8. cap. 57. Aetius lib. 4. cap. 33. & Rhazes lib. 4. cap. 9. ad Almanſorem.

Ira. Secundum, ut ab ira temperet. Nam cum Ira ſit fervor quidam, ac vehemens motus caloris in ipſo cordis corpore, qui in extimas tandem partes cum impetu diffundatur, ut eam planè dilucidéque Galenus lib. 1. cap. 4. de different. feb. & in libro de cauſis morborum, cap. 2. definit, neceſſariò corpus ipſum immodicè calfacit & exiccat, quò fit ut febrem nonnumquam accendat, in iis præſertim corporibus, quæ in ſe admiſſam caliditatem longo tempore retinere natura apta ſunt. Etſi enim motus cordis ſedetur, in hiſce tamen remanet calor præter naturam, atque inde hominem febricitare contingit. Quidam etiam ira commoti quaſi attoniti, ac extra ſe poſiti videntur. Sunt præterea qui impotenti ira impetuoſius concitatos, ἀποπληξίαν incidiſſe multos, repentéque animam expiraſſe, nonnullos verò furore, comitialis morbi acceſſione, παραλύσει, convulſione, podagra, & articulorum maximè ac totius corporis tremore comprehenſos, concidiſſe, tradant. Obſtat etiam animi judicio, rationis opera perturbat, &, ut Cicero ait, ira præſente nihil rectè fieri poteſt. Offenduntur autem ab ira potiſſimum, qui temperaturam corporis totius calidiorem, quàm par ſit, aut morbo, aut natura conſecuti ſunt, præcipuè quando cor & caput naturali intemperie immoderatè fervent, aut aliquo adventitio calido affectu laborant.

Iraſci utile. Animalibus tamen vitiis, morbis frigidis, & natura frigidiori cordi & capiti, Galeno lib. 6. epi-

dem. part. 5. comment. 9. autore, ira non leve presidium adfert, innatum enim calorem in ipsis jam torpescentem excitat adaugétque. Quod Hippocrates etiam libr. 2.epidem. part. 4.in eum scribens modum confirmat: Diligentia,inquit,adhibenda est,ut excandescentia inducatur, & caloris reparandi, & sanguinis in vasa subter cuticulam colligendi gratia.Quocirca ipsa à perfrigeratis, pallido colore præditis, & καχεξίᾳ laborantibus, ex quibusdam intervallis,& temporibus opportunis assumenda est, non sanè ita continenter, ut facultas offendatur, sed perinde ut exercitationes innatum calorem corroborantes, non immoderatas facere oportet, sed tum opportunè, tum moderatè assumere,ita & excandescentiam,si preclariss. medicinæ scriptoribus, Gal.lib.3. cap.20. de difficul. respir.Paulo lib.1.cap.58. & Aëtio lib. 4. cap. 34. credendum est.

Tertium, ut moderatè vino utatur, vinum enim modicè haustum nativum calorem adauget teste Gal. cap. 4. de causis morborum. Ubi verò immoderatius bibitur, quàm ut vinci possit, tantum abest, ut animal calefaciat, ut etiã frigidiora vitia gignat,quemadmodum copiose Gal.l. 3.c. 5. de temperamentis ostendit: quippe apoplexia, paraplegia & quæ Græcè caros,& comata vocamus, nervorum resolutio,comitiales morbi,convulsiones,tetani & debilitas ventriculi ac reliquorum membrorum omnium immodicum vini potum comitantur, quorum unumquodque frigidum est vitium. Sed de his plura infrà. Vinum.

Quartum,ut in cœna modico cibo utatur: exiguus namque cibus à facultate vinci perfectè & facilè potest. Qui verò noctu multum ingerunt, ventriculúmquue nimio cibo onerant, dolorem Cœna.

primùm & anguſtiam perpetiuntur. Deinde nec probè dormire, nec rectè concoquere poſſunt, quòd nimia copia facultas aggravetur, ceu nimio pondere preſſa, ſubindéque ſuperare ingeſtum cibum nequeat, id quod & infrâ uberius ac fuſius declarabimus.

Quintum, ut ſtatim à ſumpto cibo ſurgat: hoc enim ad concoctionem facit, quia cibus ſumptus ita facilius deſcendit in imum ventriculi, in quo, Galeno lib. 5. de locis affect. teſte, coctionis opus perficitur. Infra.

Somnus. Sextum, ne à prandio ſomno indulgeat, is namque ſomnus, qui cibum ſtatim excipit, fumoſis exhalationibus caput replet, deſtillationéſque parit. Sed de hoc uberius infrà.

Lotium. Septimum, ne lotium diutius, quàm natura fert, remoretur: hinc enim interdum oriuntur δυσοεία ϰ̀ ἰσχυεία hoc eſt, vitia, in quibus urina aut ægrè & difficulter excernitur, aut in totum ſupprimitur ac cohibetur. Eodem modo calculus aliquando & aqua intercus gigni perhibentur, neque aliud quidquam æquè veſicam lædit, atque longior, ultra mingendi voluntatem, lotii retentio, id quod teſtantur cum primis Galenus lib. 6. cap. 4. de locis affect. Rhazes lib. 4. cap. 6. ad Alman. & Avicenna Fen. 19. 3. Tract. 2. cap. 6.

Excrementorum retentio. Octavum, ne compreſſis natibus, ventris onus ſupprimere & retinere tentet: ita namque indurantur fæces in inteſtinis, ob continuam ſuctionē venarum meſaraicarum, quæ cum inteſtinis continuatæ, omnem humiditatem è fæcibus exugunt: quo fit, ut illæ exiccatę, difficilioris exitus inteſtina obſtruant, oppiléntque: oppilationem verò, ob flatuum eductionis præcluſionem, & aliarum conſequentium ſęcum coacervationem, nocumen-

ta ſequantur, cùm illa, quæ cap.4. enumerantur, tum etiam quæ referuntur à Cornelio Celſo lib.1. c.3. Ex ventre, inquit ſuppreſſo, inflammationes, caligines, capitis dolores, aliáque ſuperioris partis mala increſcunt. Quibus accedunt etiam, ut Rhazes teſtatur, τεινέσμος, & cibi faſtidium, quod malum Græci ἀνορεξίαν, Latini verò appetentiæ amiſſionem vocant.

Summoperè pręterea cavendum, ne in exonerenda alvo nimio conatu utatur, nam & hinc non raro ſequi ſolet τεινέσμος ſive exitus inteſtini, quod ab oſſe ſacro ad anum uſque pertinet, Græcis ἀπευθυσμένον καὶ ἀρχὸν dicitur, Latinis Longanon rectum, & princeps, teſte Andrea Væſalio l.5. fabricæ humani corporis.

Ultimo tandem loco ſubjungitur, longiſſimo tempore victurum quicumque hæc præcepta ſtudiosè & diligenter obſervaverit.

Animadverſio in operis Inſtitutum.

HOc eſt proëmium totius operis quo quidem Auctor libri, dedicatio, rerum tractandarum enumeratio, utilitas & fructus qui ex obſervatione earum rerum exurgit, breviter proponuntur. Auctor hujus libri.

Auctor libri fuit Schola Salernitana; Princeps cui nuncupatum opus, Robertus Dux Nortmaniæ & Angliæ Rex deſignatus, de quibus ſatis copiosè in Prolegomenis actum eſt. Non diffitebor tamen in manuſcripto codice me loco Anglorum Francorum nomen legiſſe, quod credo perperam à tranſcriptore quodam factum rerum Salernitarum ignaro & in lectione Arnaldi

Villanovani minus verſato qui in comment. dedicatum opus Regi Anglorum nominatim inſinuavit.

Materia libri. Res autem quæ hoc libro continentur quinque ſunt, quibus tota higeine comprehenditur. Nec enim aliud fuiſſe propoſitum medicis Salernit. exiſtimo, quàm eam medicinę partem deſcribere quę ſanitatem conſervat. Ea vero quinque rebus conſtituitur; cibo & potu, motu & quiete, ſomno & vigilia, excretis & retentis, ac denique animi pathematis, quę omnia prout metri licentia permiſit ſatis dilucidè recenſentur hoc exordio. His enim verbis, (*Parce mero*, *cœnato parum*,) cibi & potus moderatio deſignatur: iſtis vero (*non ſit tibi vanum ſurgere poſt epulas*) motus ſeu exercitatio & oppoſita quies ſignificantur: ſequentibus autem (*ſomnum fuge meridianum*) ſomnus & vigilia: (*Ne mictum retine*, *&c.*) excreta & retenta, (*curas tolle graves*, *&c.*) animi affectus quæ Græci πάθήματα vocant ſine dubio inſinuantur. Villanov. carpitur. Etenim ſi (*ut exponunt Commentat.*) Medici Salernit. hæc velut particularia præcepta conſervandæ ſanitatis tradidiſſent, non fuiſſent deinceps tot capita & articuli pręſcribendi quibus cibum & potum, ſomnum & vigiliam moderantur. Sed perinde habet hoc argumentum atque primus Hippocr. Aphor. in quo quidem omnia quæ ad medicinam faciendam pertinent comprehenduntur, Medici officiũ, ęgri obſequia, miniſtrantium ſedulitas, rerum denique omnium opportunitas, quæ omnia libris ſeptem Aphoriſ, ſigillatim poſtea recenſentur. Idipſum planè Salernitanis conſilium fuit, ut primo capite quæ ad ſanitatis tutelam neceſſaria eſſent; univerſim ac velut in typo præmitterent, ſigillatim demum & per ſingulas partes illuſtrarẽt.

Nec eſt quod quis obtrudat higeinen ſex rebus extrui, quarum præcipua quæ eſt Aër à Salernitanis minimè perſtringatur. Nam ut hoc ſcribendi genus omittam difficile, adſtrictum, & ad docendum parum appoſitum, quæ obmiſſionis excuſatio eſſe poſſit, Videtur mihi planè ſatis factum ſi nomine cibi comprehenſum fuiſſe Aërem dixero. Eſt enim vel Hippocr. & Gal. teſtibus triplex alimentum, πνέυματος ſpirituoſum ſeu aëreum, ὑυγρῆς humidum, ξηρῆς ſolidum. *Principium, inquit Hippocr. lib. de alimento, alimenti, ſpiritus, nares, os, guttur, pulmo, reliquaque perſpiratio* καὶ ἡ ἄλλη διαπνοή, *Alimenti tum humidi tum ſicci principium; os, gula, ventriculus.* Hanc Hippoc. ſententiam amplexus eſt Gal. libro de utilit. reſpirat. lib. de uſu pulſuum, lib. 1. de diffic. reſpir. 2. de placitis, 7. de uſu. part. cap. 8. & 9. ubi quidem διαπνοὴν ſeu perſpirationem uſum duplicem præbere refert, maximum quidem ut caloris nativi ſymmettriam conſervet, πρὸς τὴν τῆ συμφύτου θερμοῦ φυλακὴν, minorem vero ut ſpiritum animalem nutriat πρὸς τὴν τ̃ κτ̃ τὸ ζῶον πνέυματος θρέψιν, Ut ergo cœnæ nomine quævis edendi tempeſtas intelligi debet, ſic & quodvis edulii genus ſeu ſit potulentum, ſeu eſculentum, ſeu ſpirituoſum quod vocatur Aër primum caput higeines conſtituens. Cæterum hunc ſenarium rerum non naturalium, ut Medici loquuntur, numerum non ineptè quidam colligunt ex numero facultatum noſtri corporis quarum ſingulis duas aſſignant, Naturali quidem cibum & potum, atque excrementorum evacuationem, Vitali aërem & animi pertubationes; Animali denique motum & quietem, ſomnum & vigiliam. At Gal. methodi & ordinis artifex eas ad quatuor capita revocavit lib. 1. de ſanit. tuend. videlicet

Objectio.

Dilutio.

Alimentum triplex.

Sex res non naturales nec plures, nec pauciores.

ad assumenda, admovenda, facienda, & educenda προσφερόμενα ἔξωθεν, προσπίπτοντα, ποιούμενα, κενούμενα. Assumuntur cibus, potus, admovetur aër circumfusus, fiunt excercitationes, somni, vigiliæ, perturbationes, educuntur excrementa. Nos ordinem medicis usitatum sequemur cujus schema ultimo capite prolegom. dedimus.

Higeines utilitas duplex.

Restat ut duplicem utilitatem quæ ex observatione rerum non naturalium elici solet subjungamus. Prima est vitæ incolumitas & sanitas illibata, altera vita diuturna atque longæva. Atque ut breviter utrumque definiatur, certum est medicinæ ope velutudinem posse conservari prorogarique vitam. Est enim Medicina ars tuendæ atque conservandæ sanitatis ab Altissimo creara & è terra producta, quæ est veluti penus ac promptuarium omnium medicamentorum. *Medicina*, inquit Plutar. de sanit. tuenda, *sic est de numero disciplinarum liberalium, ut politie, splendore, incunditate nulli sit inferior, porro mercedẽ abunde magnã addit sui studiosis, nẽpe corporis salubritatẽ ac prosperam valetudinem*, τὴν σωτηρίαν καὶ τὴν ὑγιείαν. Nec enim existimo cum Hippocr. lib. de arte audiendos esse eos qui negant ullam esse medicinam, sed omnia una fortuna regi: licet enim multi ægri etiam citra medicorum usum sanitati restituantur, *videtur tamen omnino fieri posse*, inquit Hippocr. *ut hi ipsi in medicinam inciderint, & hoc tandem magnum signum est essentiæ artis, nempe artem esse & quidem magnam, quãdo saucii qui artem esse non putãt per ipsam servati apparent.* Eleganter & suo more Plinius scripsit multos populos diu sine medicis, sed non sine medicinâ degisse. Nam ut ratiocinatur Hippocr. lib. de veteri med. ars medica inventa ab initio est atque quæsita ob

necessitatem, quod videlicet non sufficeret homini idem cibus atque potus qui bovi & equo, *idcirco, ait, quæ nunc inventa sunt edulia multa arte excogitata & multo tempore in usum adducta mihi videntur, quod nimirū in multos & graves morbos ex robusta ac ferina vict⁹ lege hominū corpora inciderēt ingestis sine discrimine cibis validasque vires habētib⁹, in quos ipsos etiāsi eodē victu uterētur hodie inciderēt, vehementissimos, dolores, morbos, citissimāque mortem subeundo.* Sed quia hic locus Hipp. corruptissimus est, præstat ejus verba ex nostra emendatione subjicere τὰ δέ γε νῦν διαιτήματα εὑρημένα καὶ τετεχνημένα ἐν πολλῷ χρόνῳ γεγονέναι μοι δοκέει. ὡς γὰρ ἔπασχον πολλά τε καὶ δεινὰ ἀπὸ ἰσχυρῆς τε καὶ θηριώδεος διαίτης σώματα ἀκρήτων εἰσφερομένων καὶ μεγάλας δυνάμεις ἐχόντων, οἷάπερ ἂν καὶ νῦν ὑπ᾽ αὐτέων πάσχοιεν πόνοισί τε ἐχυροῖσι καὶ νούσοισι περιπίπτοντα καὶ διὰ τάχεος θανάτοισιν. Multo plura ad probandam medicinam attulit Hippocr. lib. de lege & veteri med. quorum tædiosa esset enumeratio. Hipp. emendatus.

Satius est ut diluamus quorundam hominum opinionem authoritate Gal. roboratam scribentis lib. 1. de sanit. tuen. suam cuique animanti naturam satis esse ad proprias convenientesque excitandas appetitiones quibus sanitatem salutemque tueatur: ἱκανὴ γὰρ ἡ φύσις ἐν ἅπασι τοῖς ζώοις ὁρμὰς οἰκείας ἐνθεῖναι περὶ ὑγίειάν τε καὶ σωτηρίαν, quo sensu Hippocr. epist. ad Damagetum naturam vocat opulentam, omniumque alumnam per ea quæ abundè suppetunt, πλουσίην φύσιν καὶ πάντων τιθηνὸν δι᾽ αὐτὰ χρείης. Si ergo naturæ sapientissimæ, justissimæ καὶ πάντα αὐτοδιδάκτως τε καὶ αὐτομαθῶς πρησσούσης, & omnia ex sese agentis ductu impulsuque ad res salutares cognoscendas & amplexandas invitamur: non est quod ad medicinam recurramus, aut salu- Objectio ex Gal. Gal. an quod in utero continetur sit animat.

taribus medicorum consiliis utamur. Tanti fuit nomenti apud nonnullos hæc ratio, ut medicos animarum negotiatores vocaverint per mortes hominum sua experientia agentes Has tamen & similes rationum ἐμφάνειας sic dissipavit Franciſc. Valleriola enarrat. medic. lib. 4. enarrat. ſecunda, ut ejus verbis addere hominis ſit otio abutentis & tranſcribendi pruritu laborantis. Monuit Hip. lib. de morb. mortem morbumque hinc gigni; cum quis cibis & potionibus quæ maximè conferunt, aut multum aut intempeſtivè uſus fuerit. Scribit Theſſalus Hippocr. filius in orat ad Athenien. iis qui vitam erroneam degunt πλανώδεις βίους, pericula & ægritudines magis accidere ſolitas quàm iis qui certam vitæ rationem ſequuntur, τεταγμένην ζωὴν. Gal. libro quinto de ſanita. tuen. gloriatur ſe iis qui prius aſſiduis premebantur morbis ea ſanitatis præcepta tradidiſſe, quibus cum paruiſſent prorſus morbi expertes multis annis permanſerunt. Addit præterea ſe quidem ex laſſitudine aliquando febricitaſſe, ſed nullum prętera morbum per multos annos expertum. *Quin etiam*, inquit, *percuſſus certis corporis partibus unde alii inflammationibus bubonibuſque contractis febricitarunt, nunquam phlegmonem bubonemve ſenſi nec febre laboravi, non aliunde certe quàm ex ſervandæ ſanitatis arte tanta commoda conſecutus, cum alioqui nec ſalubrem corporis ſtatū ab ortu ipſo ſim nactus, nec vitam planè liberam ſortitus.* Illud etiam ſpondere auderet ne bubone quidem laboraturos eos qui ſanitatis tuēdæ pręcepta ſervaverint. Sapienter Ariſt. Probl. 38. ſect. 19. obſervavit nos cum ordinate & laboramus & bibimꝰ & comedimus, naturam vireſque noſtras ſervare & augere, contra vero inordinate cum, agimus depravare naturam

Solutio.

atque de ſuoſtatu dimovere πονοῦντες γὰρ καὶ πίνοντες καὶ ἐσθίοντες τὰ τεταγμένα σώζωμεν καὶ αὔξομεν τὴν φύσιν καὶ τὴν δύναμιν, ἄτακτα δὲ φθείρομεν καὶ ἐξίσαμεν αὐτήν. Quos autem cruciatus & morbos inducat præpoſtera victus ratio, copioſè ſimul & elegãter expreſſit moralis ſapientiæ coripheus Seneca epiſt. 95. quam legere non pigeat. Senecæ veſtigia premens Horat. lib. 2. ſerm. ſat. 2. cecinit.

Accipe nunc victus tenuis quæ quantáque ſecum
Afferat: imprimis valeas benè, nam variæ res,
Vt noceant homini credas, memor illius eſcæ,
Quæ ſimplex olim tibi ſederit, at ſimul aſſis
Miſcueris elixa, ſimul conchylia turdis,
Dultia ſe in bilem vertent, ſtomachoque tumultum,
Lenta feret pituita.

Exempla eorũ qui ſanè vixerunt & diu.

Viſne Medicinæ fructus tibi aliquot exemplis confirmati? Pollio Romulus ſenex ille Auguſti hoſpes apud Plin. lib. 22. cap. 24. centeſimum annum excedens cum ab Imperatore interrogaretur quanam maximè ratione vigorẽ illum animi corporiſque cuſtodiſſet, reſpondit; intus mulſo, foris oleo. M. Cato Græcorum medicorum oſor profeſſus eſt ſe & conjugem Medicinæ beneficio uſque ad longam ſenectam perduxiſſe. Cyrus apud Xenophonem eo ſermone quem moriens habuit admodum ſenex, negavit ſe unquam ſenſiſſe ſenectutem ſuam imbecilliorem factam quàm adoleſcientia fuiſſet. L. vero Metellus poſt conſulatum Pont. Max. ita bonis viribus extremæ ætatis tempore fuiſſe narratur, ut adoleſcentiam non requireret. Senectus Georgiæ Leontini produci in adagium ſolet de optima nec annis exoluta: cum vero ab eo quæreretur quomodo annum attigiſſet octavum ſupra centeſimum, reſpondiſſe dicitur quod voluptatis cauſa nil ſibi umquá permiſiſſet face-

Pli. l. 29. ca. 1.

re; οὐδὲν πώποτε ἡδονῆς ἕνεκε πρᾶξας. Herodicus Medicus teste Plat. dialogo 3. de rep. omnium infirmissimus sui temporis, artis medicæ opera fere centesimum annum implevit. Joannes de temporibus apud Fulgosium 420. annos vixisse narratur. Plut. notavit multos corpore alioqui parum firmo vitam solâ diligentiâ longam consecutos. Sed paucula hæc exempla ex magno & pleno acervo deprompsisse sufficiat.

An senium retardari possit.

Superesset demum ut inquireremus num dari possint quædam medicamenta aut alimenta quæ iuventutem prorogare, senium retardare valeant. Equidem neminem fugit apud Gal. lib. de maras. inventum Philosophum qui artificio medico immortalitatem hominibus polliceri auderet. Democritus apud Diophanem lib. 5. Geopon. cap. 7. rogatus quomodo homines incolumes manerent & longęvi, respondit si externas corporis partes oleo, internas melle illinerent; εἰ τὰ μὲν ἔξωθεν ἐλαίῳ τοῦ σώματος, τὰ δὲ ἔνδοθεν μέλιτι χρήσαιντο. Quod observatum quoque habes apud Athen. lib. 2. deipn. cap. 7. quo loco Aristoxenus scribit morbum nunquam sensuros qui pane cum melle quotidie vescerentur. Addit Lycus eo loci πολυχρονίους esse Corsos quod melle perpetuo uterentur. Jactitant Chymistæ sua κρατὶς τοχειρουργήματα, vividos latices, olea incombusta, potabile aurum, Panacæam, mumiam magneticam, hieras hermeticas, aliptas divinas & nectareas, quibus retardetur senectus, adolescentia conservetur. Gloriatur apud eos Artesius se mille & viginti quinque annos vixisse. Refert Rogerius Bacco epist. de secretis operib. probatum fuisse testimonio litterarum Papalium, Germanum captivū inter Saracenos hausisse medicinam qua usque ad quingentos annos vitam

prorogarit. Notat quoque nemoris alicujus custodem in majori Britannia unguento quodam totum corpus exceptis pedum plantis perunxisse; cujus beneficio trecentos annos sine corruptione & cruciatu, si pedum excipias dolores, vixerit. Sed quid attinet has & similes nugas Alchimistarum, & nova deliria fratrum Rosaceæ crucis enumerare, cum pleni sint veterum & recentium libri, plena monimenta eorum qui beneficio divinæ artis nostræ se à morbis tutos præstitêre & in vegeta senectute diu perseveravere? Quid juvat, inquam probare lucere meridie? Consulantur Gal. lib. de Maras. & de sanit. tu. Aristot. lib. de longit. & brevit. vitæ, Albert. Magn. comment. in parva natural. August. Niphus ibid. Buccaferreus comment. in lib. 2. de gener. & corrupt. Marsilius Inguen. quæst. 17. & Albert. de Saxon. quæst. 13. in eundem lib. Frat. Amadeus Meigret quæst. in eundem locum, Conciliator differ. 113. Petr. Hispan. comment. in lib. Diætarum univers. Isaaci. Dinus de Garbo quæst. 63. lib. 1. Summ. medic. tract. 5. & in tractatu de restau. humido radic. Jacob. Forolivienfis, quæst. 34. Turisa. quæst. 2. & 3. in lib. 3. Gal. de arte parva, Card. lib. 1. De sanit. tuen. cap. 8. & lib. 3. cap. 30. ejusdem operis, & lib. Theognost. Marsil. Ficin. lib. De vita producent. Vales. de sacra Philosoph. & lib. controvers. Anton. Gazius in florida corona cap. 5. & 15. Thomas Philologus de producenda vita ultra 120. annos. Martin. Panca de proroganda vita. Arnal. Villanovan. lib. De conservanda invent. Codron. de annis climacter. Korumannus de miracul. vivorum, Talentonius lib. 2. reconditarum rerum cap. 1. Longius epist. 76. lib. 1.

SI tibi deficiant medici, medici tibi fiant·
Hæc tria, mens hilaris, requies moderata, diæta.

Hoc loco fit mentio trium remediorum, quæ in defectu medici, vicem ejus cùm apud alios, tum nobiles maximè & excellentes viros supplere possint.

Lætitia. Primum, animus hilaris ac lætus. Lætitia enim calorem excitat naturalem, spiritus temperat & puriores reddit, virtutem corroborat, ætatem floridam facit, invenile corpus diu conservat, vitam prorogat, ingenium acuit, & hominem negotiis quibuslibet obeundis aptiorem reddit. Convenit autem ut hæc ipsa lætitia, sive gaudium bonę valetudini commodum, sit temperatum, non excedens modum, neque repentinum. Nimio enim & repentino gaudio, quemadmodum Galenus lib. 2. cap. 5. de Symptomatum causis, & Alexander Aphrodisæus problemate 21. memoriæ prodiderunt, tanta fit cordis relaxatio, ut virtus vitalis unà cum innato calore tota egeratur, ac dissipetur, adeoq; syncope nonnunquam & repentina mors consequatur. Atque hujus quidem rei extant horribilia ac pertimescenda exempla, apud T. Livi. Decad. 3. lib. 2. Valerium Maximum lib. 9. c. 12. Plin. lib. 7. cap. 32. & 33. & aul. Gel. libro 2. cap. 15. At enim cùm, juxta tritissimum Scholis Medicorum dictum, contraria contrariis curentur ac depellantur, illis potissimùm gaudium adsciscendum est, qui tristioribus animi pathematis immodicè conficiuntur. Quod sanè per illa cum primis consequantur, quæ principes facultatum partes corroborant, sanguinem bonum generant, & spiritus instaurant, eadem quippe & menti, Avicen. 11. 3. tract. 2. ca. 10. teste, gaudium & lætitiam conciliant

ciliant adjungúntque. Hujuſmodi porrò ſunt cibi ſuaves & boni ſucci, vinum ſubtile ac delectabile, boni & fragrantes odores, delectabilium rerum commemoratio, & cum amicis & familiaribus frequentior & jucunda converſatio. Quare, ut Eobanus noſter diſertè canens, admonet.

Vtere convivis non triſtibus, utere amicis,
Quos nugæ. & riſus, & joca ſalſa juvant.
Quem non blanda juvent varii modulamina cantus?
Hinc jecur & renes, ægráque corda ſtupent.
Nam nihil humanas tanta dulcedine mentes
Afficit, ac melicæ nobile vocis opus
Tange lyram digitis, animi dolor omnis abibit,
Dulciſonum reficit triſtia corda melos.

Atque hinc adeò eſt, quod graviſſ. autor Plutar. in lib. de Virtute morum tradit Pythagoram animo pacando ſedandóque ab affectibus & perturbationibus vehementioribus, Muſicam adhibere ſolitum. Sic Saül quoque per David pſallentem à ſpiritu maligno liberatum legimus. His ſimilia & ſcitu non indigna, lib. 1. & 14. Dipnoſophiſtôn Athenæus refert. Atqui hactenus quidem dicta magna ex parte hiſce etiam verſibus ex Hieronymo Fracaſtorio complexi ſumus.

Tu tamen interea effugito, quæ triſtitia mentem
Sollicitant procul eſſe jube curaſque metúmque
Pallentem, ultrices iras, ſint omnia læta.
Alma Ceres te in hoc, Bacchi quoque læta juvabunt
Munera, ſic dulces epulæ, ſic copia rerum.
Sic urbis, ſic ruris opes, & ſumma voluptas,
Viſere ſæpe amnes nitidos, jucundáque Tempe,
Et placidas ſummis ſectari in montibus auras.
Accedant juvenúmque chori, miſtæque puellæ.

Secundum, Animi tranquillitas, nobiles enim & excellentes viri, ob maximas & diverſas curas, Tranquillitas.

quas sustinent (si ipsis cætera omnia antè pariter adfuerint) mentis inquietudine magis, quam mediocris conditionis homines, læduntur. Nam si quid aliud, hæc maximè somnum impedit, qui nobilibus, cum biliosæ ferè & siccioris naturæ sint, in primis conveniebat. Vigiliæ verò, ut Galenus lib. 7. cap. 6. Therapeu. metho. autor est, magis adhuc totum corporis habitum siccant, adeóque iis, qui alioquin ex siccitate laborant, infestissimæ sunt.

Vigilię.

Vel requies hìc ad corporis quietem, quæ motui opponitur referenda est. Nam & hæc quoque ad valetudinem necessariò adhibetur. Calorem enim naturalem assiduis laboribus fractum ac dissipatum revocat, vires exhaustas ac penè perditas recuperat, adeóque præstat, ut animal se colligat, ac durare possit. Quod diserte admodum apud Ovidium lib. 1. Epist. 4. Phædra Hippolyto iis versibus significavit:

Requies.

Quod caret alterna requie, durabile non est,
Hæc revocat vires, fessaque membra levat,

Eleganter autem alternam requiem vocat: sicut enim non semper laborare, ita nec semper quiescere expedit.

Tertium, Moderata diæta, id est, modus, seu ratio vivendi, Græcis communiter δίαιτα dicitur, Latini victus rationem reddunt. Quidam Græcam dictionem retinere, ac Latinis characteribus, Diętam, scribere maluerunt, vulgus Regimen sanitatis, sive regulam victus appellat. Complectitur autem in se, non modò, quæ ad cibi & potus rationem attinent: sed reliquas etiam res omnes, quas non naturales medici uno ore vocare solent. Harum enim commodus & moderatus usus saluberrimus est, & corporis constitutionem conser-

Diæta.

vat, intempeſtivus verò & immodicus ſanitatem, adeoque naturam hominis corrumpit. Ut igitur vita morbis omnium minime obnoxia ſit, harum legitimus uſus ſollicite ac diligenter ſervandus eſt Plura infrà.

Animadverſio.

ARs medica paucorum olim hominum fuit, & ſi credimus Diodoro Sic. certarum familiarum: ſcribit enim lib. I. biblioth. nemini licuiſſe apud Ægypt. ullum in rep. munus aliud vel artem profiteri, niſi à legibus deſinita & à parentibus quaſi per manus tradita fuiſſet. Sic Aſclepiadarum familia medicorum fuit, ſic propagata hæc loquendi forma ἰατρῶν παῖδες. Medicorum filii pro ipſis Medicis. Tum temporis Medicorum penuria erat. At ubi pluribus Ars communicata fuit, & cœpit cibus non ad tollendam, ſed ad irritandam famem quæri, & inventæ ſunt mille conditure quibus aviditas excitaretur, in hunc multiplicem medicorum quem videmus numerum crevit. In ortu Academiæ Salern. parcior erat medicorum numerus; ac proinde hoc præceptum concinnatum eſt ab ea, ut ſi forte Princeps Robertus comitem medicum perpetuum non haberet cujus conſilio uteretur, tria in illo præcepto deſignata ſedulo obſervaret ad ſanitatem cuſtodiendam. Tuta & ſecura ſunt noſtra ſæcula à paucitate medicorum; tum propter Academias medicas, quæ nullo examine ſevero, nullo ſpecimine præmiſſo ad lauream doctoralem quoſvis ignaros admittunt, tum propter Magiſtratuum indulgentiam qui circulatores & Aggyrtas,

Pauci olim Medici.

Vnde multi tam Medici.

medicā artem profitentes, ſuis civitatibus non expellunt, ſed graſſari ſinunt in publicam civium perniciem Adeout noſtra ætate Pliniana ἐπιτίμησις nimium quantum veriſſima eſt. *Itaque Hercule,* inquit, *in hac artium ſola evenit, ut cuicumque medicum ſe profeſſo ſtatim credatur, cum ſit periculum in nullo mendacio majus. Nulla præterea lex quæ puniat inſcitiam capitalem, nullum exemplum vindictæ. Diſcunt periculis civium & experimenta per mortes agunt.* Sed quorſum hæ ἀποτάξεις? Redeo in viam.

Lib. 29 cap. 1.

De Aëre.

Cap. I.

Aer ſit purus, ſit lucidus & bene clarus,
Infectus per ſe nec olens fœtore cloacæ,
„ *Alteriuſque rei corpus nimis inficientis.*

Hic quatuor traduntur notę optimi & habitabilis aëris. Prima, ut ſit purus, id eſt, non infectus à vaporibus, quia impurus alterat cor, ſecundum complexionem illius quod ei commiſcetur. Sicut innuit Hali. com. 16. lib. 3. Galeni artis medicinalis. Secunda, ut ſit luminoſus. Aër enim turbidus, corpori triſtitiam & pigritiam infert, quia commiſcet humores, & turbidus ad cor penetrat, unde generantur ſpiritus turbidi, & craſſi, animam contriſtantes, & pigritiam inducentes. Nihil ergo magis jucundum ac hilarem reddit hominem, minuſque gravat, quam ſi claro aëre ambulet, vel mane ſurgat. Tertia, ne ſit infectus, cujuſmodi eſt in locis cadaverum non cremorum multitudine refertis, quemadmodum in præliis contingere ſolet, & hunc peſtis fere ſub-

Optimi aëris notæ.

ſequitur: inſpiratus enim in corpore ſpiritus inficit. Quarta, ne fœtorem habeat cloacæ, & ſub hoc comprehendũt infectiones particulares aëris, ut latrinarum, fovearum, culinæ, & locorum, in quos cadavera convehuntur, & oſſa mortuorum, aut lacuum ſeu paludum, in quibus linum vel cannabis putreſcit. Talis enim ſpiritus noſtros inficit, ac maximam cerebro noxam ſuggerit. Hinc Avic. 2.1. Doct. 2. Et aër quidem dum eſt temperatus, & clarus, neque ſubſtantia extranea, complexioni contraria ei admiſcetur, & ſanitatem efficiens, & ipſam conſervans, & cum mutatur, contrarium ſuæ operationis operatur.

Verùm quo prędictorum exactior notitia habeatur, ſciendum eſt, aerem pro valetudine tuenda duobus modis eſſe neceſſarium. Primò quidem ob refrigerationem cordis. Secundò verò, ob expulſionem fumoſarũ ſuperfluitatum, ſpiritum & calorem innatum moleſtantium. Quemadmodum enim videmus ignem externum ventilatione aëris ſuffocari, & extingui, ita etiam de ſpiritu & calore innato imaginandum eſt. Indigent enim aëre nutriente, conſervante, & temperante. Temperatio ergo caloris innati fit per aëris attractionem, & depuratio per aëris expulſionem. Primum quidem per motum attractionis, alterum verò per motum expulſionis. Si ergo aër attractus, fuerit fœtidus & impurus, corrumpitur calor & ſpiritus innatus.

Quare eligendus eſt purus, ac liber, qui ex terra, plana vel edita ventorum perflatu undique luſtretur optimæ eſſentiæ, & cui nihil vaporis ſeu halitus alieni admiſceatur, neque ſit turbidus, nec nebuloſus. Hic enim humores conturbat, & animã, ut dictum eſt, contriſtat. Nec editis montibus in

valle incluſus, qui nullum perflatum recipiat: hic enim ſuffocans putriſq; eſt, ſimilis illi qui in domibus quibuſdam eſt incluſus, in quibus ob putredinem & perflatus defectum, plurimus acervatur ſqualor ac ſitus. Proinde omnib' ætatibus noxius eſt & evitandus, Quemadmodum & quilibet incluſus. Hæc fere Gal. lib 2. de ſanitate tuenda.

Tempore tamen epidemiæ, ob generaliorem aëris putrefactionem incluſus convenientior eſt, unde id temporis domi manere, ac feneſtras concludere pręſtat, ne qua putridus aër inſpiret: alias liberior aër magis evitandus. Præterea in conſervanda valetudine aer, cui commiſcentur halitus ſtagni & paludis, ac ſpecus profundi, peſtilentem auram ſpirantes, & qui ex animalium, olerum, erucæ, ceparum & ſimilium arborum malarum viſcoſitatum, quales ficus & nuces, & leguminum putredine aut fimo coinquinatur. Cavendum etiam ne in aliqua primarum qualitatum excedat, ſcilicet caliditate, frigiditate, humiditate & ſiccitate, id quod arte noſtra moliemur ſicut docet Avic. 2. 1. doct. 2. cap. 5. & 6.

Animadverſio.

HÆc eſt prima ſectio Higeines Aërem complectens, quem diximus revocari à Salernitanis ad alimentum ſpirituoſum. Quia vero nobis conſilium eſt Galeni & aliorum medicorum premere veſtigia qui Aërem ad caput τῶν ἔξωθεν προσπιπτόντων, id eſt, rerum foris incidentium referunt; Idcirco non ea ratione tantùm qua ſpiritus nutrit, à me conſiderabitur, ſed quatenus etiam vim habet calefaciendi, refrigerandi, incraſſandi,

Aer quot modis conſideretur.

attenuandi, aut quovis pacto alterandi & conservandi nostrum corpus. Hæc autem disputatio quoniam prolixa est & diffusa admodùm, in certas partes ac veluti membra à me dividetur fugiendæ confusionis gratia.

Aër quis eligendus, quis fugiendus, ut emendandus.

Memb. I.

Aeris necessitas.

AEris tanta est necessitas, tanta dignitas, ut potiorem hominis partem Latini Animam ἀπὸ τοῦ ἀνέμου à vento seu aëre, Græci ψυχὴν vel ἀπὸ τοῦ ἀναψύχειν, quod aëris proprium est, vel ἀπὸ τοῦ ψύχεσθαι, ab aëris refrigerio; quo, ut habet Chrysippus apud Plut. de placitis, puellus in utero materno indiget, deductam voluerint. Ab ea fortassis mente Varro animam definiebat apud Lactant. lib. de opif. Dei cap. 17. *Aërem ore conceptum: fervefactum in pulmone, tepefactum in corde, diffusum in corpus.* Quod ipsum aute Varronem Chrysippus & Hippocrates dixerant, qui animam spiritum seu aërem vocaverunt; quod una eademque anima & respiremus & vivamus. Lucianus in Toxari Scytharum Jusiurandum ait esse, μὰ τὸν ἄνεμον καὶ τὸν ἀκινάκην, per vētum & Acinacē, quod Acinaces (quod nomen est gladij) ἀποθνήσκειν ποιεῖ; mortis sit auctor, ἄνεμος vero ζωῆς αἴτιον, vitæ causa, Observatione digni sunt versus Pacuviani in Chryse de aëre:

Hoc vide circum supraque quod complexu continet
Terram, quod nostri cœlum memorant, Grai perhibent æthera.

Quicquid est hoc, omnia is animat, fomat, auget, alit, servat,
Sepelit, recipitque in sese omnia, omniũmque idẽ est pater.
Indidemque eadem, quæ oriuntur, de integro æquè eodem occidunt,

Si omnib⁹ aliis abstineat homo, neq, cibũ sumat neque potum, poßit tamẽ duos dies, vel tres, vel plures ducere, at si cui spiritus via in corpus intercipiantur, in brevi parte unius diei intereat, ut vel hinc quãto usui aër corpori sit, liceat æstimare, inquit Auct. lib. de flatib. Hũc tamen usum ad tria capita cũ Gal. lib. 8. de placit. Hippoc. & Plat. cap. 8. revocare possumus; ἐμψύξιν, ῥίπισιν. καὶ γένεσιν πνεύματος ψυχικοῦ, refrigerationem, ventilationẽ, animalis spiritus generationem seu nutritionem. Refrigerat suo appulsu cum sit frigidior corde, cui contemperando à pulmone attrahitur. *Aëris substantiam,* inquit Gal. lib. an sang. in arter. cont. *cor non exposcit, sed frigiditatẽ solũmodo quo recreari desiderat.* Ventilat calorẽ nativum suo motu tanquã flabello, quo non modo ignis ille, ut loquitur Hipp. tepescit, sed etiã excitatur. Generat autẽ spiritus sua substãtia, *nã ab arteriis asperis extrinsecus attractus in pulmonis carne primũ cõficitur, tum autẽ in corde & arteriis, iis maximè quæ in plexu sũt retiformi, ultimò ac perfectißimè in cerebri vẽtriculis, ubi utiq; & aninalis primũ exacte efficitur* ex Gal. lib. 7. de usu partium cap. 8. Cæterum aër hos fructus producit ἀναπνοῇ inspiratu, καὶ διαπνοῇ & transpiratu. Inspiratur duplici via; ore & arteriis: ore κατὰ εἰσπνοὴν καὶ ἐκπνοὴν aspiratione & expiratione: arteriis κατὰ διαστολὴν καὶ συστολὴν dilatatione & constrictione. Transpiratur per cutim universam quę foraminulenta est & cribri instar, tenuissimis meatibus, quos Græci πόρους vocant, pervia. Itaque cum tot portis ac fenestris corpus nostrum aëre subeat, sedulò nobis laborandum est ut quàm purissimus

Vsus aëris triplex.

Quis aër eligendus.

ac ſaluberrimus hauriatur. Quis autem hoc nomine donãdus ſit, vix melius intelligi poteſt quam propoſitis vitiis quibus carere debet; quæ partim in ejus ſubſtantia, partim in ejus qualitatibus contingunt. Quoad ſubſtantiam nec ſit craſſus nec putris.

Craſſus aër & ejus effectus.

Craſſus enim impurus, caliginoſus, obſcurus, nubilus, ſalutaris nulli, ſed noxius. Spiritus quippe obſcurat & inficit, calorem nativum opprimit, corpus gravat, mœrorem inducit, mentem deprimit, humores & partes principes graviter lædit. Multum autem intereſt utrum quis craſſum aërem dicat an turbidum. Craſſus humoris multum ejuſque denſi ac opaci per totum obtinet, viſioniſque aſpectum plerumque adimit, ne aut ſtellas minutiores cernere poſſimus, aut non niſi infuſcatas atque obſcuratas deprehendamus.

Turbidus aër.

Turbidus partes craſſiores multas humore ſuo conſtantes ventis turbulentis inter ſerenum agitatas habet, proinde deſes non eſt prorſus ac ſilens ut craſſus, nec totus udus, ſed ſicci aliquid obtinens.

Tenuis aër.

Craſſo contrarius eſt tenuis aër, purus, limpidus, ſerenus, liber & perflatus, qui omnibus ſalutaris cenſetur à Gal. 1. de ſanita. tuen. cap. decimo.

Putris.

Putris admodum noxius & peſtilens habetur; ſeu à ſe putreſcat dum non ventilatur; ut qui montibus excelſis undique velut concluſus tenetur: ſeu aliunde corruptionem acquirat, putà à cœlo & ſyderibus, à ventis ex locis infectis ſpirantibus, à tetro vapore & halitu putri ſtagnorum, cloacarum, cadaverum, aliarumve rerum putreſcentium graveolenti inſpiratione, & is ſemper eſt fugiendus.

Sincerus.

Sincerus, ſub conſtellationibus benignis conſtitutus, ventis ſalubribus agitatus, rerum putridarum vaporibus non inquinatus, perpetuo de-

ligendus. Ratione qualitatum aër quoque calidior vel frigidior, humidior vel ſiccior, iis qui inculpatæ ſunt ſanitatis minimè expetendus eſt. Calidior enim aëris conſtitutio ſpiritus accendit, bilem auget, humores liquat, corpus diſſolvit, ſudores movet, ſitim excitat, coctionem imminuit, & diſſipato calore nativo vitam efficit breviorem ex Avic. fen 2. lib. 1. Doct. 2. cap. 16. At frigidior cutis meatus occludendo ac perſpirationem impediendo febres putridas accerſit, deſtillationes comprimendo excitat, quæ in ventre ſunt obdurat, ex part. 27. ſect. 5. lib. 6. epid. Humidior pituitam & cruditates multas congerit & eos morbos parit qui recenſentur aphor. 13. lib. 3. Siccior humores quidem ſupervacaneos abſumit, ſed febres acutas parit ob humorum acrium proventum, cutim deſiccat, & ſitim excitat. Enimvero intemperatis hominibus ſalubriores ſunt hi qualitatum exceſſus quàm ipſa moderatio: bilioſos quippe magis juvat frigidus aër quàm temperatus, pituitoſos calidus quàm moderatus; ut enim obſervatum eſt ab Hippocr. aph. 2. lib. 3. *naturarum quædam ad æſtatem, aliæ vero ad hyemem benè vel malè habent: & rectè quidam ſe habent in æſtate frigida & humida, malè in hyeme*, inquit Philotheus comm. in eum aphoriſ. Quemadmodum igitur temperatis hominibus & εὐκράτοις aër temperatus, hoc eſt in medio omnium qualitatum velut conſtitutus magis, convenit, ſic Intemperatis Intemperatus, & ad contrariam utentium conſtitutionem deflectens. Credidit tamen Gal. temperatis ſalubriorem eſſe aëris ſtatum qui ad calidum & humidum vergat; qua ratione ver illi ſaluberrimum dictum: eſt enim ejuſcemodi conſtitutio amica & familiaris princi-

Calidioris aëris noxæ.

Frigidioris effectus.

Aër quis ſalubrior.

piis vitę noſtræ quę in calido & humido conſiſtit. Probarem tamen magis eam aëris conſtitutionem quæ ad calorem & ſiccitatem paulò inclinaret: nam & calore vita continetur & ſiccitate difflantur excrementa atque conſumuntur, putredo quoque prohibetur & corporis partes firmantur ac roborantur. Et ſane Hippoc. lib. de aër loc. aq. Orientales regiones ὑγιεινοτέρας definit; Occidentales vero θέσιν κέεσθαι νοσηροτάτην ſitum morboſiſſimum obtinere dicit, ob nebulas frequentiores quę humidioris loci ſigna ſunt! non inſignem tamen ſiccitatis exceſſum laudo, ſed eum qui paulò humiditati ſuperemineat.

Quod ergo neceſſaria ſit aëris inſpiratio, ſimulque ejus noxę homini ſubeundæ ſint, excogitavit ideo Medicina conſilium & artificium emendandi aëris vitia ſi quæ ſint, ejuſdemque pręparandi. Imprimis enim medicinę ductu varia veſtium genera adinventa ſunt muniendo corpori atque conſervando, mox quoque ædificia extructa, ac demum ſtragula, lecti, periſtromata, conopea, & cæteri hujus generis apparatus reperti, qui nos tutos ab aëris injuriis & ab inſectorum, quæ impurus producit aër, noxis ſecuros præſtarent, de quibus nonnihil poſtea. Sed & alia adminicula homini dedit caſtigando aëri; cum enim æſtuat, docet inſpergi pavimenta foliis vitis & ſalicis, irrorari oxycrato vel roſacea, frondib. & ramis opacari, floribus & fructibus facultate humidis menſas & triclinia onerari, coriis hybernicis parietes circumveſtiri, ædes anguſtas & ad meridiem apertas deſeri, laxas, perflatas & ad Septemtrionem converſas habitari. Cum vero riget aër & frigoribus exaſperatur, emendandum jubet igne luculento, ſuffitu odorato rerum aroma-

Vt aër emendari poſſit.

ticarum, ſuſpenſis peripetaſmatis, inductis ſupra tabulata tapetibus, clauſis ædium meatibus, hypocauſto excalefacto, anguſto conclavi tabulato, ſtorea inſtrato, ſuffito, aulæis exornato & id genus aliis auxiliis. Corruptum aërem & peſtilentem caſtigant ſuccenſi ignes ex aromaticis lignis, herbis, floribus ſuaveolentibus & ſimilibus quæ in curâ peſtis à Medicis fuſiùs enumerantur.

De Aëris mutatione inductâ ab Aſtris.

MEMB. II.

NOn ineptè quidem meo judicio Mythologi aëris ſubitas improviſaſque mutationes deſignaturi, Jovem illum fictitium Deorum hominumque parentem introduxerunt in varias formas ſeſe tranſmutantem, eumque Aquilæ modò, modò Cygni, Tauri aliàs, alias Satyri, nonnunquam auri, cuculi, paſtoris rerumque aliarum figuram induentem nobis exhibuerunt, exemplo cum aëre non diſſimili, qui momento temporis vix ſine varietate atque inconſtantia perſeverat. Hæc autem aëris frequens mutatio partim à cœlo & ſyderibus inducitur, partim à terra & aqua. A cœlo; motu, lumine, atque ut alii volunt, influxu. A terra & aqua, exhalationum vaporumque beneficio ventos & cætera meteora ſuſcitantium. Ac ſanè pro rerum iſtarum varietate exurgit varia aëris conſtitutio, indeque zonarum, climatum, regionum, civitatum, ædium, locorumque omnium, atque etiam hominum iis in locis degentium diverſa temperamenta, multipliceſque inclinationes derivantur.

Vnde aër immutetur.

Equidem cum ex vario cœli motu ortuque ſyderum & occaſu, non ſolum anni tempora diſtinguantur, ſed etiam aër varias ut dixi ſubeat mutationes, quibus hominum temperamenta afficiuntur: Idcirco Hipp. 1. de diet. & lib. 1. de aër. loc. & aq. Aſtronomiam Medico neceſſariam eſſe putat. Cui ſuffragatur Gal. comm. 1. lib. 1. epid. Aſſentiuntur graviſſimi Medici; Fortunat. Fidelis in Biſſo. lib. 2. cap. 6. Roder. à Caſtro in Med. Polit. lib. 2. cap. 2. Hippol. Obicius, lib. Aſtronomicarum prædict. & Adria. Aleman. comm. in lib. Hipp. de aër. locis & aq. text. 13. Cæterum quęri hîc poſſet quot modis cęlum in aërem reſque ſublunares agat, an manifeſtâ ratione per lumen & motum, an occultâ per influxum, ac per motum ſi agat, an per ſe calefaciat, vel per accidens; ſi per lumen, an immediatè vel radiorum interventu: ſi denique per influxum, an per effluxum ſubſtantiæ aut virtutis. Sed quia à philoſophis magni nominis hæc fuſiſſime in utramque partem explicata ſunt, Zabarell. Cęſalp. Teleſio, Pererio, Patritio, Bucafer, Pico. Mirandul. Taurello, Anton. Bernardo, Bartholino, idcirco nihil tranſcribam, rerum ipſa experientia cõtentus; qua ſola Aſtrorum virtutes nedũ a doctis ſed & ab idiotis deprehenduntur. Soli quidem undi ocello, planetarumque principi præcipua auctoritas aſcripta, qui ſuo acceſſu generationis, receſſu corruptionis rerum maxima eſt cauſa, ſicque anni tempora diſtinguit, ut in aëre varia fiant temperamenta; in animalibus tam potenter agit, ut varios humores producat, & ad coitum generiſque propagationem, quemadmodum ſcribit Gal. lib. 3. de criſ. cap, 2. ſolicitet. Magnę quoque ſunt lunæ in hæc inferiora vires; nam & mulierum men-

Aſtronomia Medico neceſſaria.

Cœli quot modis agant in nos.

Solis effectus.

ſtrua provocat, & Epilepticis nocet, & ſtirpes fructuſque adauget, & animantia ſaginat, & corpora humectat, emollit, putrefacit; velut eleganter inſinuat Gal. loco cit. & Plin. lib. 2. cap. 100. Addit. etiam Gal. mutationes quæ morbis acutis accidunt, diebus criticis lunæ eſſe tribuendas. Imo vero pro quadruplici ejus forma atque habitu quem induit dum lumen à ſole fœneratur, varias aëris mutationes inducit, interlunio quidem atque plenilunio vehementiores, quod illud frigidius ſit, hoc calidius ex Aphrod. probl. 64. lib. 1. minores dum curvata eſt aut falcata. Græci ἀμφίκυρτον καὶ μηνοειδῆ vocāt. Cæteros etiam planetas aerem ſuis qualitatibus immutare, docet Prolęm lib. 1. de judic. aſtro. & ejus comment. Porphyrius. Id ipſum ſtellarum fixarum proprium eſſe Hipp. demonſtravit, dum Canis, Pleiadum, Arcturi ortum & occaſum cognoſci à Medico debere docuit lib. de aëre loc. & aquis; quod ab illis magnæ in aëre contingant mutationes & alterationes. Exortu enim caniculæ, quis æſtuare maria, fluctuare in cellis vina, canes in rabiem agi, ex Plin. cap. 42. lib. 1. quis difficillimas illo tempore eſſe purgationes ex Hippoc. aph. 5. lib. 4. non obſervavit? Deinde ſi Columellę credimus cap. 2. lib. 1. de re ruſt. Pleiadum occaſu tempeſtates ventique aquilonii inſurgunt, & procelloſæ grandines Arcturo emergente. Denique quis nō mirabitur cum Ruell. lib. 2. de nat. ſtirp. cap. 152. ſtupendos effectus Aequinoctiorum & Solſtitiorum, *quorum etiam notas indubitatas ſignavit natura & eas manibus ipſis Agricolarum ingeſſit?* Floret ipſo brumali die ſuſpenſa in tectis aridis herba pulegii, & muſculorum Jejuſcula augentur: Cynocephalum utriuſque Aequinoctii tempore per horas

Planetarum ſyderumque effectus.

diei singulas & duabus itidem noctibus urinam profundere notaverunt Aegyptii: Aestivo solstitio arthritide tentari corvos, obvertique olearum & tiliarum folia, memoria est. Hęc quidem partim Astrologicę, partim Medicę sunt considerationis; sed ea spectat Astrologus ut fortunas rerumque eventus vaticinetur, Medicus ut temporum aëris que mutationes & ex his nascentes morbos agnoscat.

Medicus ab Astrologo differt.

De mutatione Aëris penes anni tempora.

MEMB. III.

INter cœli effectus manifestos reponuntur anni Tempora, quibus maxima vis est immutandi aërem. Hîc ergo de illis agimus temporibus tanquam de causa quæ sensibiliter aërem immutat. Est vero Tempus aut annuum quod sol metitur, aut menstruum quod à Luna definitur. Annus quatuor partes comprehendit, quas Gręci ὥρας, Latini tempora seu tempestates vocant; Ver scilicet, Æstatem, Autumnum, & Hyemem. Enimvero quodnam sit harum tempestatum principium & finis, non satis apud omnes constat. Astrologi singulis anni tempestatibus tria Zodiaci signa tribuunt, sicut anni tempus apud eos sit intervallum quo sol tria signa in Zodiaco percurrit: Veri quidem assignant arietem, taurum & geminos; Aestati cancrum, leonem, virginem; Autumno libram, scorpium, sagittarium; Hyemi capricorum, aquarium, pisces. Medici anni tempora distinguunt vel penes maximas mutationes ex ortu & occasu syderum primę magnitudinis; vel penes effectus varios illis temporibus

Anni tempora ut distinguantur ab Astrolog.

Vt à Medicis definiantur.

contingentes. Primus modus colligitur ex Hipp. lib. de aër. loc. & aquis & 3. de diæt. & ex Gal. comm. in epid. ſect. 3. tex. 14. & in lib. de humorib. comm. 3. quibus locis ſeptem partes anni recenſentur. I. eſt Ver incipiens ab æquinoxio verno ad uſque ortum Vergiliarum, quod intervallum non eſt duorum menſiũ. Aeſtas duas partes cõplectens, Oram & Oporam: Ora ab ortu Vergiliarum ad caniculam extenditur; Opora, quæ eſt anni pars 3. à Canicula ad ortum Arcturi; quod ſpatium utriuſque partis eſt quatuor menſium; à fine nimirum Aprilis ad Septembris principium. 4. eſt Autumnus ab ortu Arcturi uſq; ad occaſum Vergiliarum, hoc eſt ad ultimum Octobris, exporrectus. 5. 6. & 7. pars eſt hyems, ob tres quibus conſtat particulas, quarum primam à principio Novembris ad brumam uſque σπορητόν ſeu ſementem vocant, altera Solſtitium ſeu brumam continet, tertia Pythalia dicitur, quæ in æquinoctio verno deſinit.

Anni partes ſeptem.

Altera diviſio tempeſtatum eſt penes effectus quos producunt enumeratos ab Avic. ſen. 2. 1. doct. 2. cap. 3. quo ſenſu Ver definitur tempus florum & initium pomorum; Autumnus tempus mutationis coloris foliorum & principium caſus eorum; Æſtas totum tempus calidum, Hyems totum rigidum. Scio aliter diſtingui anni tempora à Varrone l. 1. de 22. c. 28. & ab Auctorib. 2. 2. l. 1. c. 1. ſed quoniam ea diviſio ad Agricolas magis pertinet, à me prætermittitur velut minus neceſſaria.

Temperamenta anni ſecundũ Aſtrolog.

Satius fuerit recenſere temperamenta & virtutes anni temporibus tributas, cum ad aëris intelligendas mutationes utiliſſimæ ſint. Aſtrologi ex triplicitatibus ſignorum conſtituunt tempeſtates, ſingulaſque triplicitates ſingulis tribuunt elemen-

tis

tis, ut ex his tandem facultates tempeſtatum colligātur. Prima triplicitas ab aëre aërea dicta, ver facit calidum-humidum; ſecunda ab igne ignea, æſtatem calidam-ſiccam; tertia à terra terrea, autumnum frigidum-ſiccum: quarta ab aqua aquea, hyemem frigidam-humidam. Multo accuratiùs Medici & ad rei veritatem rectiùs definiunt Ver, temperatiſſimum & ſaluberrimum tempus, quod tamen intelligendum eſt de vere adulto ſive medio, novū enim ſive primum ver modicum hyemis ſapit, ait Gal. cōm. 15. lib. 1. aphor. pręceps vero, cadens & ultimum, æſtatis nonnihil obtinet. Ut autem ſit ſaluberrimū, temperatum eſſe debet, non nebuloſum, nō pluvioſum, ſed in omni exceſſu planè medium, ex Gal. 1. de temp. & cōm. 2. in lib. 1. epid. Aeſtas omnium ſententia eſt calida & ſicca; Autumnus inęqualis temperamenti, proinde inſalubris & morboſus; Hyems frigida & humida. Sed de mutationibus diverſis quę ex anni partibus proveniunt, tàm ſecundum quàm pręter naturam, inter cęteros legendus Hippocr. lib. 3. aphoriſ. & Avic. ſen. 2. lib. 1 doct. 2. cap. 6. & 7.

Ver quale eſſe debet.

Alterum tempus quod luna metitur, dicitur Mēſis, in ſeptimanas & dies diviſus. Menſes partes ſunt anni numero duodecim, quorum qualitates ex ſigno Zodiaci in illis dominante deſumi, docent Aſtrologi, Medici ex iis quæ de tempeſtatibus anni dicta ſunt. Septimanarum facultates nonnulli ex quadris lunæ deducunt; quarum prima humida eſt, ſecunda calida, tertia ſicca, quarta frigida. Idem de diei partibus enunciant; quarum prior eaque matutina, vernalis quodammodo eſt, hoc eſt veris temperiem retinens; meridiana, æſtiva: veſpertina, autumnalis; nocturna, hyemalis: ſed in iis parum momenti conſtituendum eſt.

Septimanarum tēperamenta.

Diei partes quatuor.

Pergamus ergo ad utiliora.

De mutatione Aëris inductâ à Ventis.

MEMB. IV.

INsignes aëris μεταβολαὶ seu mutationes, sunt venti, per quos aëris temperamenta alterantur: sic enim definit Gal. μεταβολαὶ τὰς κτ̀ τὴν κρᾶσιν ἀλλοιώσεις; alterationes quæ fiunt penes temperamentum. Eorum maximam esse Medico habendam rationem docuit Hippocr. lib. de aër. loc. & aq. si enim ab aëre hominum temperamenta afficiuntur, multo magis à ventis qui ipsum aërem alterare & immutare possunt. Attamen non hic ventorum causas efficientes aut eorum investigamus cum Physicis essentiam, sed effectus solos duntaxat ac differentias, quod his ignoratis facultates singulorum ventorum definiri non possint.

Ventorum duo genera.

Hippocr. loco cit. duo genera ventorum constituit, κοινὰ πνεύματα communes ventos, & ἐπιχώρεια particulares seu vernaculos. Communes seu generales aut determinati sunt aut indeterminati. Determinati vel quovis anni tempore spirant, vel certo tantum tempore. Priores illi quod ex certa mundi plaga flent, sunt, cardinales aut collaterales. Cardinalis quadruplex est, quia quatuor mundi sunt cardines; Oriens, Occidens, Meridies, & Septemtrio. Ab ortu Æquinoctiali nimirum flat Subsolanus; Germanis nautis ductus est, Italis Levante: ab occasu Æquinoxiali Favonius, Germ. Oüest. Ital. Ponente: A meridie Auster. Germ. Sud. Ital. Ostro: à Septemtrione Boreas seu

Cardinales venti.

Aquilo, Germ. North. Ital. Tramontana. Collaterales autem sunt Majores seu integri, & Minores seu partiti. Majores quatuor sunt exacte medii inter quatuor cardinales. Qui medius jacet inter Subsolanum & Austrum, nobis vocatur composito vocabulo Subsolanauster quia Subsolanum & Austrum æqualiter participat; ex quo factum est, ut Germani eum appellarint Sudest, Ital. Syroco. Medius inter Favonium & Austrum nobis vocatur Favoniauster, Germ. Sudoüest, Ital. Garbino. Medius inter Subsolanum, & Boream nobis Subsolanoboreas, Germ. Northest, Ital. Greco. Medius inter Favonium, & Boream Favonioboreas, Germ. Northoüest, Ital. Maestro.

Collaterales venti majores.

Minores vero seu partiti duplices sunt. Dimidiati, vulgò *demy.vents*, & Quadrantes, vulgò *quarts de vents*. Dimidiati octo sunt medii inter cardinales & collaterales majores. Et quidem inter subsolanum & subsolanaustrum interjacet Meso-subsolanus Meridionalis, Germ. Est-sud-est, Ital. Siroco levante. Inter subsolanaustrum & Austrum, Mesauster Orientalis, Germ. sud-sud-est, Ital. ostro-si roco. Inter Austrum & Favoniaustrum Mesauster Occidentalis, Germ. Sud Sud-ouest, Ital. Ostro-garbino: inter favoniaustrum & Favonium Mesofavonius meridionalis, German. Oüest sud-oüest. Ital, Ponente garbino. Inter fauonium & favonioboream Mesofavonius Septentrionalis, Germ. oüest north-oüest, Ital. *Ponente, Maestro*. Inter favonioboream & boream Mesoboreas Occidentalis, Germ. north-north-oüest Ital. *Maestro-tramontana*: inter Boream & subsolano-boream Mesoboreas Orientalis, Germ. north-north est, Ital. greco-tramontana. Deni-

Minores mēti Dimidiati.

Minores venti Quadrantes. que inter ſubſolanoboream, & ſubſolanum jacet medius meſoſubſolanus Septentrionalis, Germ. eſt, north-eſt. Ital. greco-levante.

Reſtant Quadrantes ventorum, qui quoniam inter enumeratos omnes ventos medii interjacent, ſexdecim recenſentur. Primus ab ortu æquinoctiali incipiendo dici poteſt Quadrans Orienralis ſubſolanauſtri, vulgò eſt. quart de ſudeſt. 2. quadrans meridionalis ſubſolani ſudeſt quart d'eſt. 3. quadrans Orientalis Auſtri ſud-eſt quart de ſud. 4. quadrans meridionalis ſubſolanauſtri ſud quart de ſud-eſt. 5. quadrans meridionalis favoniauſtri ſud quart de ſud-eſt. 6. quadrans Occidentalis Auſtri ſud-oüeſt quart de ſud. 7. quadrans meridionalis favonii ſud-oüeſt quart d'oüeſt. 8. quadrans Occidentalis favoniauſtri oüeſt quart de ſud-oüeſt. 9. quadrans Occidentalis favonio-boreæ, oüeſt quart de north-oüeſt. 10. quadrans Septemtrionalis favonii north-oüeſt quart-d'oüeſt. 11. quadrans Occidentalis boreæ north-oüeſt quart de north. 12. quadrans Septentrionalis favonio-boreæ north quart de north-oüeſt. 13. quadrans Septemtrionalis ſubſolanoboreæ north-quart de north eſt. 14. quadrans Orienrientalis boreæ north-eſt quart de north. 15. quadrans Septentrionalis ſubſolani north-eſt quart d'eſt. 16. & ultimus quadrans Orientalis ſubſolanoboreæ, vulgo eſt quart de north-eſt. Ex his colligimus triginta duos eſſe ventos à Nautis noſtri ſęculi obſervatos, quorum quatuor ſunt Cardinales, totidem Collaterales majores, octo Collaterales dimidiati & ſexdecim Collaterales Quadrantes.

Ventorum numerus.

In quorum quidem nomenclatura non ſecutus ſum veteres, qui duntaxat quatuor, aut

octo, aut undecim, aut duodecim, aut ad summum sexdecim ventos posuerunt, sed nostros Nautas, non multùm de nominibus sollicitus si modo de re constaret. Quod si quis inventa nostra fastidiat & alia nomina veteribus usurpata jam vero obsoleta malit, consulat Fabrit. Paduanum lib. de ventis cap. 5. Ut autem rem ob tam multiplicem Ventorum numerum difficilem & perplexam, planam & omnibus perviam redderemus, placuit schema ventorum exhibere, in quo extimus orbis ac major diversa nomina ventorum cardinalium continet & enumerat à Septemtrione semper exordiendo, secundus ab illo nomina Collateralium majorum, tertius Dimidiatorum, quartus & intimus Quadrantium.

Huc pertinet typus Ventorum.

Prædicti venti quovis anni tempore spirant; qui sequuntur, certo tantum tempore: unde Anniversarii vocantur. Qui autem Vere flant dicuntur Chelidoniæ, quod circa adventum hirundinum novem aut interdum triginta dies spirent, modo ab Occidente æquinoctiali, modo à Septemtrionali. Æstate flant Ethesiæ circa caniculæ ortum diebus circiter quadraginta à Septentrionis partibus: hos præcedunt Prodromi seu præcurrentes per octo dies. Orithia uno & septagesimo die post brumam ab adventu avium per dies novem spirat. Sunt & alii plures quos videre potes apud Blondum, lib. de navigatione, ubi recenset ventos singulis mensibus spiran- Anniversarii venti.

tes tam ex natura temporum, quàm ex ortu Syderum.

Regionales Venti.

Regionales venti ſeu ἐπιχώμοι vix ullas certas habere poſſunt differentias. Quis enim ſingularum regionum naturam novit, aut ventos qui illic flant obſervavit? Rationes tamen unde excitantur & aſſurgunt, commodè ad duo capita revocari poſſunt. Ad marinos ſeu aquoſos, & ad terreſtres. Ex mari oriri cardinales & collaterales ventos nonnulli voluerunt, ſed quia hi vix ultra mare aſſurgunt, idcirco à nobis non examinantur. Eorum potior habenda ratio qui dicuntur Sinuales ſeu Eccolpiæ (qui ſcilicet juxta flumina fiunt, vel ex ſinu quopiam evaporant) & eorum qui è mari exeuntes vicina loca afflant. Terreni vel è terra elevantur, vel à ſpeluncis & cloacis, quos ideo Charonias vocant. Terreni dicuntur Altani Plinio. lib. 2. cap. 43. & auctori libri de mundo, ſed cum ad mare pergunt, Apogęi dicũtur; cum à mari recedunt, Tropei. Porro Chencrona ventus eſt proprius eorum qui Phaſim accolunt, ex Hippocr. lib. de aëre loc. & aq. Attabulus Apulis eſt familiaris. Horat. 1. ſerm. ſat. 5. Garbas Siculis, Sciona Athenienſibus, Cagneus Pamphilis, Japix Calabris, Olympias Eubęis, Favonius Germanis Occidentalibus, Circius Gallis Narbonenſibus, ut videre eſt apud Plini. lib. 2. cap. 47. & Senec. lib. quinto natur. quęſt. cap. 17.

Venti marini. Venti tereſtres.

Ventorum vires ex Hip.

Pręmiſſis ventorum differentiis, videndum porro cujus ſint facultatis ſinguli, ſeu omnes ſeorſim, ſeu invicem collatos expendamus. Et quidem ſententia eſt Hyppocr. libro ſecundo de diæta, ventos omnes natura ſua humectandi ac refrigerandi facultatem poſſidere, propterea quod ex

corporibus ſpirent frigidis & humidis, nive, glacie, fluminibus, ſtagnis, aqua humectata ac perfrigerata, & ſimilibus; verum propter ſitum regionum & locorum per quæ venti ad ſingulas regiones accedunt, aliam atque aliam temperiem induunt. Si quis ergo ventorum ortum contempletur, eos omnes frigidos & humidos conſtituet magis vel minus prout ex corporibus frigidioribus & humidioribus excitantur. Quia tamen non niſi alterati ad nos devehuntur, quod modo per ſicca loca & arentia, modo per longa maria & paluſtres regiones tranſeunt; idcirco qua facultate ſinguli nos afficere longa experientia obſervati ſunt, brevi complectar.

Venti Septentrionales cum vehementer ſpirant, frigidi & ſicci ſunt, ſereni, limpidi, nubifugæ, & ſubtiles, in profundum ſubeunt, obſiſtunt putredini, & conſtringunt, denſant, ſuperfluos ſuccos conſumunt, ſenſus exacuunt, membris robur addunt, movent appetitum, fluxionem cohibẽt, urinas provocant, virtutem generativam augent, uno verbo omniũ ſaluberrimi exiſtũt. Habene tamen ſuas noxas, dolores enim nervorũ inducunt, uteri & veſicæ, difficultatem urinæ movent, oculos lædunt & pectus, ſtupefaciunt, flores & fructus corrumpunt, ſementẽ adurunt, pthiſicis nocent, venas rumpunt. Sed inter Septentrionales ventos alii aliis ſunt potentiores: Boreæ primus locus debetur, cui omnia ſuprà enumerata competunt; huic vicini ſunt venti à nobis Dimidiati dicti, Meſoboreas Orientalis, & Meſoboreas Occidentalis; quorum ille à ſiniſtris eſt, hic à dextris ejus, origine ambo æquè proximi. Imbecilliores ſunt Collaterales majores dicti, quorum quidem Subſolanoboreas tepidior eſt ac paulo humidior mi- Septẽtrionalis venti facultas.

nusque salubris, Favonioboreas vero nebulosior, multoque insalubrior. Eamdem autem penè habet Subsolanoboreas virtutem ac Cæcias apud Græcos, Vulturnus apud Latinos; convenit vero Favonioboreas cum Argeste Græcorum & Coro seu Japyge Latinorum.

Orientalis venti effectus.

Orientales venti moderatè calefaciunt, siccantque cum à terra spirant, humectant vero cum à mari: aquas preterea salubres efficiunt, sensus vegetant, fœcundant, humores attenuant & expurgant, æquales sunt & mites, salutares denique & parum noxii; ut potè ad exactam temperiem accedentes. Observabis tamen tres ortus ab Hipp. constitui: Æquinoctialem, Aestiuum, & Brumalem seu hybernum. Sol enim diversis in locis diverso tempore oritur. Sub Aequinoctiis quidem in circulo Aequinoctiali, sub Solstitio in circulo Cancri, sub bruma in circulo Capricorni: primus ille ortus est Aequinoctialis, alter Septemtrionalis æstivus, seu Solstitialis, tertius Meridionalis hybernus seu brumalis. Multùm itaque interest utrum quis dicat ventum flare ab Aequinoctiali, an ab Aestivo, an ab hyberno, quia intervallum est insigne inter illa tria loca. Nam certè ventus flans ab ortu brumali cum recedat ab Aestivo 47. gradibus, ab Aequinoctiali viginti tribus cum semisse, sanè notabilem quoque temperamenti differentiam obtinebit, sic ut ventus ab ortu hyberno de natura Austri aliquid accipiat, ventus vero ab ortu æstivo borealium ventorum temperamenti nonnihil retineat. Ex his manifestum est Subsolano qui flat ab ortu Aequinoctiali per omnia similem non esse Eurum qui ab ortu brumali, nec Cæciam qui ab ortu æstivo spirat. Est enim Eurus quod accedat

Triplex ortus.

ad Auſtrum humidum, aquoſus & pluvioſus, Cæcias vero propter boream frigidior minuſque ſerenus, vulgo enim dicitur nubium coactor.

Meridionales venti calidi & humidi, ſunt nimboſi & aquoſi, lenes ſed peſtilentes; omnium denique morboſiſſimi, ut patet ex aph. Hippocr. 5. lib. 3. libris epidem. & lib. de morbo ſacro. At inter meridionales Phenix ſeu Meſauſter Orientalis minus morboſus Libonoto ſeu Meſauſtro Occidentali quod ille accedat ad Subſolanum, hic ad Favonium magis. Meridionalis venti noxæ.

Occidentales demum venti frigidi ſunt & humidi, ſed moderate, quo fit ut ſalubres alicubi ſint, velut in Italia; alicubi ut in Vaſconia tam noxii ut raro ſine incolarum pavore & deteſtatione ingruant, referente Scalig. exercit. 285. in Cardanum. Sed cum triplex quoque ſit occaſus; æſtiuus, æquinoctialis & brumalis, omnes venti Occidentales ejuſdem naturæ non erunt, ſed idem erit judicium afferendum quod in ventis Orientalibus. Profecto tot difficultatibus & periculis obvoluta eſt ventorum materies, ut qui omnia vel excutere vel obſervare velit, non brevi commentario, ſed amplo volumine opus habeat: acciditque præſertim in hoc ſubjecto, ut qui aliquid ſine dioriſmis definire vult. à rei veritate plurimum aberret. Conſule commentatores Græcos & Latinos Ariſt. in lib. 2. meteor. Olympiod. Aphrodiſ. Buccafer. Niphum, Federicum, Bonaventuram libris anemologiæ, Ludov. Sptalium, Cardanum, & Alemanum comm. in lib. Hippocr. de aere loc. & aq. Fabrit. Paduanum tractatu de ventis, Paulum Minerva lib. 2. de præſagitura

Occidentalis venti virtutes.

Triplex occaſus.

temporum, Petr. de Peramato lib. de temper. cap. 2. & qui novissimè de ventis egregiè scripsit, Francis. Baronem de Verulamio Angliæ Cancellarium: & qui volet etiam Astrologos, quos tamen in assignandis ventorum virtutibus minus audiendos esse censeo.

Ventorum regionalium virtutes.

Quod spectat ad ventos regionales, Hippocr. 2. de diæt. rem paucis complexus est. Venti ex mari sicciores quodammodo sunt, ex nive, glacie, stagnis, fuminibus qui moderati sunt, juvant, humectant ac refrigerant, aërem expurgant, & purum spiritum animi veluti pabulum suggerunt: Si immoderati, lædunt, quod magnas mutationes calidi & frigidi corporibus afferant, præsertim in regionibus cavis, palustribus, & magnorum fluminum vicinis. Venti ex terra sicciores sunt quàm qui ab aqua; quoniam & à sole quotidie exsiccantur, & à materia sicca elevantur. Qui à montibus, non ita sicci sunt, sed turbant corpora, qui à mineris multum sicci, sed maligni, qui à cloacis & speluncis, ut plurimùm pestilentes, & sic de cæteris.

De mutatione Aëris excitata à Meteoris.

MEMB. V.

Superius exposuimus aërem immutari vel à cœlo & syderibus, vel à terra & aqua interventu vaporum & exhalationum sursum ascendentium variaque meteora in aëre existantium. De syderibus dictum, & de ventis qui inter meteora vehementissimas aëris mutationes

inferunt: ſequitur ut breviter oſtendamus qua ratione alia aëris meteora ipſum alterent aërem & immutent; quod ab ominbus Medicis video prętermiſſum.

Ex meteoris alia ſunt ignea, alia aërea, alia aquea. Igneum ſi verè exiſtat, & ut loquitur Ariſtot. de mundo καθ' ὑπόστασιν, non apparenter & κατ' ἔμφασιν, eſt purum vel impurum. Purum fit ex fumo pingui, viſcoſo, partim tenui, partim craſſo, levi, ac ſubtili, flammam & fulgorem, facilè ſuſcipienti; ex quo ab Ariſtot. 1. met. cap. 4. ἔγκαυμα vocatur. In hoc genere habentur faces ardentes ſeu candelæ ignitæ, Trabes ſeu columnæ pyramidales, igneſque perpendiculares, Bolides, ſagittæ ſeu jacula, capræ ſaltantes ſeu ſtupæ accenſæ, ſtellæ cadentes, ardentes lanceæ, dracones volantes, ignes fatui & lambentes & id generis alia, quæ caliditates ſiccitateſque aëris immoderatas ejuſdemque corruptelam inferunt cum ratione materię, tum ratione motus. Eorum enim omnium materia, fumus eſt quem Ariſtot. 1. meteo. cap. 3. vocat ἀναθυμίασιν θερμὴν καὶ ξηρὰν evaporationem calidam-ſiccam quę ſit potentia ignis. Quod ergo calida & ſicca exiſtat, ac pręterea inflammabilis quo loco excitatur, aërem excalefacit, deſiccat, inflammat. exacuit; motus quoque ejus materiæ exuſtæ vehementer aerem commovet & immutat, dum enim huc & illuc agitatur in aëre, attritu ſuo rarefacit aërem, attenuat, atque adeo calefacit ac inflammat. Quod ſi pręterea malignę aliquid ac putreſcentis aurę admiſtũ materiæ illi fuerit, putredinẽ quoque aëris atque corruptelam infert. Ergo prędicta meteora, ęſtus, calores, ſiccitates, tempeſtates, fulgura, ventos, corruptelas in aęre ex-

Meteororum diviſio.

Ignita meteora pura.

citant, quæ postea diversos morbos in hominum corpora inducunt.

Ignea meteora impura.

Impurum meteorum igneum eamdem agnoscit materiam sed fœculentiorem, impuriorem, pinguiorem, ex fumo & vapore mistam; sic ut in ea materies partim calida, partim frigida, partim humida, partim sicca existat, lenta preterea, viscosa, tenax, terrestris & arctè compacta, pingnis, bituminosa adeoque metallaris ac sulphurea multisque nitrosis spiritibus turgens. Ad hoc genus meteori revocantur Cometa & fulmen. De fulmine non est difficultas, sed de cometa magnus est dissensus: alii enim eum inter meteora constituunt alii inter stellas; nusquam major de ullare controversia & adhuc sub judice lis est. Legendi Thomas Erastus, Marcellus Squarcialupus, Simon Gryneus, Thomas Fienus, Libertus Fromondus, Carolus Piso. Ticho Braheus, Cornelius Gemma, Keplerus, Michael Mestlinus, Hagecius ab Hayck. Franciscus Aguilonius, And. Libavius & alii qui ex professo de Cometis scripserunt. Ergo ut non possum subscribere illis qui inter stellas Cometam reponunt, sic non possum suffragari iis qui eum in suprema aëris regione collocant, existimo enim eum generari in cœlo, exhalationibus terrenis illuc evectis, à luminibus radiisque stellarum refractis atque reflexis, lucem & splendorem assumentibus. Quo quidem supposito, non arbitror cum quibusdam neotericis à cometis aërem non alterari, imo vero fieri non posse credo, ut ratione materiæ & motus Cometæ, aër non immutetur à cometa, multo etiam vehementiùs quam à meteoris ignitis puris supra enumeratis, maximè cum comete materia copiosior sit, deterior ac impurior, ejus mo-

Cometæ natura.

tus vehementior ac diuturnior, ſitus elatior; quod ſignum eſt magnæ caliditatis: nunquam enim modicus calor tantam materiam ex terra reſolvere ſurſumque educere poſſet. Itaque eoſdem effectus Cometa producit qui paſſim ab omnibus auctoribus referuntur, ut ſunt ſiccitates, peſtis, fames, bella, mutationes regnorum & rerum publicarum, venti, terræmotus, ſterilitates, diluvia, ęſtus & ardores, ob rationes quas afferunt Mar. Frytſchius in methodo meteororum, Barrientus in Cometarum explicatione atque prędictione, & Bartholom. Kekerman ſyſtemat. phyſici lib. 6. Aliud meteorum ignitum impurum, eſt tonitru, coruſcatio, fulmen; quæ omnia ſic inter ſe diſtinguuntur ut tonitru ſit fragor editus ex diruptione nubis, à terrendo dictum ut vult Iſidorus: coruſcatio, fulgetrum ſeu fulgur, ſit exhalatio ſuccenſa ex frequenti agitatione inſtar ſtuppę quę exitum quęrit, vel ut verbo dicam, exhalatio ignita per aërem ſparſa in quo conſumitur: Fulmen vero ſit exhalatio velociter à nube expulſa & cum magno impetu verſus terram detruſa. Ut ut ſit, eorũ omnium materia nõ eſt diverſa, exhalatio ſcilicet tenacior & pinguior, quæ intra nubem ex vapore factam continetur. Ab his mirum in modum immutatur aer, quia confertim & violenter contingunt, movent, agitant, perturbant, incendunt, reſolvunt, attenuant, cogunt, exprimunt, liquant & ut plurimum gravem fœtidumque odorem imprimunt. Varios effectus fulminum noſſe qui voluerit, conſulat Conimbric. in lib. Meteor. Ariſt. Herlicium tractatu de fulmine, Garcęum, & Kekerman. diſputatione extraordinaria de fulmine, & Venerab. Bedam lib. de tonitruis.

Cometę effectus.

Differunt tonitru, coruſcatio, fulmen.

Meteora aërea.

Ad mereora aërea pertinent venti & terræmotus. Quid venti in aërem possint, suprà expositum, quid possit terrę motus exponendum. Est vero tertęmotus ruptura aut concussio seu tremor terræ factus ab exhalatione interclusa & contenta in visceribus ejusdem, quę cum per angustiorem locum vel obstructum exire nequeat, terram quatit & pulsat. Ejus duas species recenset Aristoteles 2. meteor. cap. 8. τρόμον καὶ σφυγμὸν, tremorem & pulsum. Possidonius item duas; concussionem, & inclinationem; Plinius lib. 2. cap. 79. quinque, inclinationem, ruinam sive casum, hiatum, succussionem, sonum vel sibilum, & tremorem; Senec. lib. 6. natur. quęst. cap. 2. tres, concussionem, inclinationem, & tremorem: alii quatuor, casum vel ruinam, agitationem seu tremorem, hiatum, & exilitionem, quando magnæ moles instar montis extra terram egeruntur, aut aliqua pars terræ subsidet. Raphaël Volaterranus octo species ex Aristotele proponit, τρομώδην tremulum, παλμώδην, commoventem seu exilientem, ἐπικλίντην inclinantem, βράστην effringentem, χασματίαν, hiantem, ῥήκτην scindentem, ὤστην impellentem, μύκτην mugientem.

Terremotus species.

Sed ad rem nostram accommodatius erit terrę motum dividere penes materiā ex qua excitatur, nam cognita materie, quas impressiones in aëre efficere possit terræmotus, deprehendemus. Materia illa aut simplex est aut mista: simplex, pura vel impura; puta spiritus est seu exhalatio calida-sicca elevata è locis atque cavis terræ benignis miniméque putrefactis. Impura sunt fumi tetri ac maligni, putridi & pestilentes, qui ex locis terræ impuris, fœtidis ac fœculentis evaporant. Mista materia est aqua aut ignis: aqua

cum diluvia ex terręmotu accidunt; quod notavit Aristoteles, explicavit Seneca ex Democ. & Thalete, loco laudato cap. 6. 7. 8. & 20. & Virgil. forte an designavit 3. Aeneid. his versibus.

Aquæ subterranee.

Hæc loca vi quondam & vastâ convulsa ruinâ
Dissiluisse ferunt Cum protinus utraque tellus
Vna foret, venit medio vi pontus & undis
Hesperium siculo latus abscidit, arvaque & urbes
Littore deductas angusto interluit æstu.

Ignis etiam subterraneus nonnunquam has convulsiones terræ excitat; quod de Aetna idem Poëta observavit, demonstravit apud Senecam Anaxagoras, rationibus confirmant Agricola de ortu subter. Conimbricens. tract. de ignibus subterraneis, & Thomas Lydiat egregia disquisitione physiologica de origine fontium: quibus quidem propositis nemo est qui facilè non colligat motuum terr. effectus varios in aerem; aliàs enim tempestates, ventosque vehementes excitant ob exhalationes continuò de terrâ exeuntes & ascendentes; aliàs varia meteora producunt quæ exhalationum naturam sequuntur, interdum aeris corruptelam inferunt, unde pestes & morbi maligni. Abbas Sigibertus ex terræmotu quo concussa est Burgundia ann. 1156. pestem, famem, & insaniam excitatam narrat. Idem refert Greg. Turonens. de terræ motu Burdegalam concutiente, & Paul. Diacon. de terræ motu Palestinæ. Ut alia interim omittam quæ recensentur ab Albert Magno lib. 3. meteor. tract. 2. cap. 17. & 18. Plutar. lib. 8. Sympos. quæst. 9. Kekerman & Ludov. du Thoum. tractat. peculiari de terręmotu; concludam cum Seneca c. 27. prædicti lib. *Diximus solere post magnos terrarum motus*

Ignis subterraneus.

Pestis ex terrę motu.

pestilentiam fieri, nec id mirum, multa enim mortifera in alto latent. At aër ipse qui vel terrarum culpa, vel pigritia & æterna nocte torpescit, gravis haurientibus est, vel corruptus internorum ignium vitio, cum est longo situ emissus, purum hunc liquidumque maculat ac polluit, insuetumque ducentibus spiritum affert nova genera morborum. Quid quod aquæ inutiles, pestilentesque in abdito latent, ut quas nunquam usus exerceat, nunquam aura liberior verberet? Crassa itaque & gravi caligine sempiternaque tectæ nihil nisi pestiferum in se & corporibus nostris contrarium habent. Aër quoque qui mixtus est illis, quique inter illas paludes jacet, cum emersit, late vitium suum spargit & haurientes necat. Lege totum caput 28.

Meteora aquea. Meteora aquea, ut Pluvia, Ros, Pruina, Nix, Grando, facultates quoque habent alterandi & immutandi aëris. Eorum materia est nubes, quæ prout est vel alba; vel nigra, vel rubra, vel viridis, vel rufa, vel mista ex variis coloribus, vel etiam ex benignis malignisque vaporibus constans, diversos effectus promit. Quod ad Pluviam attinet, si continua est & diuturna, putredinem aëris invehit, plurimosque morbos qui enumerantur ab Hipp. aph. 16. lib. 3. tempestiva vero moderate humectat & temperat aërem terramque irrigat & fæcundat. Ros levem quamdam & moderatam humectationem aëri & terræ affundit, serenitatemque ac salubritatem affert, nisi copiosior & frequentior fuerit: talis enim solet putrefacere, & vermiculos noxios generare. Pruina, si credimus Bodino lib. 7. theat. natur. nullum alium finem habet nisi noxium & damnosum, est enim dicta quasi peruirina quod penitus perurat & in cineres conver-

Nubes variæ.

Pluviæ effectus.

Roris facultates

Pruinæ noxæ.

tat gemmas vitium, & calamos ariſtarum nigro colore inficiat. Et re vera pruina plerumque fœtet, quod ex materia fœtida, hoc eſt ex commiſtione exhalationis calidæ cum vapore humido de paludibus & locis uliginoſis elevato generetur. Hîc tamen eſt diſtinguendum de pruina quæ accidit commoda tempeſtate ac propria, quæque alieno tempore ingruit, illa enim quia intus calorem concludit & in radices arborum agit, admodum ad fructificandum diſponit, quin etiam inſecta & vermiculos enecat, qui ſolent arborum fructuumque eſſe pernicies: At quę illegitimo tempore, ut Vere, cadit, flores & fructus ſua frigiditate & ſiccitate exſiccat, arefacit & corrumpit. Nix aërem turbidum reddit & aliquantulum clarum, terram fœcundat atque calefacit, eſt enim ad inſtar lanei cujuſdam velleris terram velut foventis & ejus poros occludentis. Grando exitialis eſt plantis ob ſuam frigiditatem, noxia quoque meſſi & fructibus ob duritiem lapideam, ante ejus caſum magni & terribiles ſonitus in aëre audiuntur propter exhalationum calidarum & ſiccarum pugnantiam, quæ ſępe incluſæ vaporibus & è nubibus erumpere nitentes murmur & fragorem edunt.

Quędam pruina utilis.

Nivis effecta.

Grando.

Hæc ſunt vera meteora quæ aërem immutant & alterant: ſuperſunt apparentia, quæ Græcis φαντάσματα καὶ φάσματα vocantur, ut ſunt Chaſma, Halo, Parelius, Paraſelene, Virga, Iris, quorum quoque virtutes & facultates eſſent explicandæ: Sed quia leviter alterare aërem ſolent, nec multum momenti in eis ſitum eſt ad dignoſcendas aëris impreſſiones, idcirco à nobis omittuntur. Conſulat qui velit meteororum ſcriptores, inter quos commendo Bartho-

Meteora apparentia.

Iom. Kekerm. in ſyſtemate phyſico.

De mutatione Aëris penes Zonas.

MEMB. VI.

QUod non ſolum aëris, ſed hominum etiam temperationes juxta regionum & locorum ſitum, aliæ atque aliæ ſint, ut docet Gal. lib. quod animi mores ſequ. corp. temp. cap. 7. idcirco operæ pretium eſt, quæ ſint variæ aëris mutationes pro regionum & locorum varietate explicare. Sunt autem regiones vel indefinitæ & innominatæ, vel finitæ & nomine proprio deſignatæ. Ad indefinitas revoco Zonas, Climata, & mundi Cardines, qui certum aliquem ac definitum locum non deſignant, ſed diſſitas ac diverſas regiones quæ proprio aliquo nomine appellantur. Finitæ vero & nominatæ, ſunt orbis partes majores, Aſia, Africa, Europa, America & in his regna ac Provinciæ ſitæ: vel minores ut civitates, oppida & in eis ædes extructæ atque ędificatæ, de quibus omnibus paucula ſubnectam à Zonis exordiendo, & cętera propoſito ordine exequendo.

Regionum diviſio.

Zona eſt ſpatium globi terreni incluſum duob. circulis minoribus, & pręterea polis mundi. Circuli minores ſunt uterque Tropicus, Cancri & Capricorni, & uterque circulus polaris, tam Arcticus vel Septemtrionalis, quam Antarcticus vel Auſtralis ſeu Meridionalis. Ex his quinque tantum Zonę colliguntur. Prior, Torrida quę inter utrumque tropicum jacet: Temperatæ duæ, una Septemtrionalis inter tropicum Cancri & circulum

Zonæ definitio.

Zonæ quinque.

Arcticum ſita, altera Meridionalis intra tropicum Capricorni & circulum Antarcticum poſita; reliquæ duæ frigidæ dicuntur, quarum una intra circulum & polum Arcticum circumſcripta, vocatur Borealis ſeu Septemtrionalis; altera intra circulum & polum Antarcticum conſtituta, Meridionalis appellatur. Amplitudo Torridæ Zonæ eſt 47. graduum; tot enim gradibus invicem diſtant Tropici. Latitudo temperatarum eſt 43. graduum, quia tanta eſt diſtantia utriuſque tropici ab utroque circulo polari. Frigidarum magnitudo eſt tantum 23. graduum cum ſemiſſe, quo ſpatio diſtant poli à ſuis circulis. Jam ergo Torridæ Zonæ regiones ſi veterum auctoritati ſubſcribamus, incultæ propter Solis æſtum atque inhabitatæ ſunt, quæ fuit Ariſt. ſententia lib. 2. meteor. cap. 5. attamen ſi ad experientiam provocemus, fatebimur noſtra ætate in ea zona plurimas regiones eſſe habitatas & excultas. Nam Africæ pars cui pręeſt Preſtjanes, Java major, Taprobana, ſeu Somatra, Molucæ, Burneo, Braſilia, Peruana, Caribana, Hiſpania nova, nova Guinea, & aliæ nonnullæ commodiſſimè incoluntur. Illic aër (quod miraberis) hyeme quidem modicè calidus-ſiccus & ſerenus eſt, æſtate vero humidus, aquoſus, & pluvioſus, ut idcirco hæc zona nomine tenus torrida ſit non reapſe, ſed temperata, fœcunda, fertilis, aquis abundans, habitationi commoda ut probant Andr. Cæſalp. quęſt. peripect. lib. 3. quęſt. 8. Zanardus quęſt. 48. de univerſ. elem. part. 3. Vicomercat in. lib. 2. meteor. Ariſt. & Joſeph. Acoſt. lib. 2. hiſt. Indic. cap. 9. 10. & 11. Cujus rei cauſas ſex recenſent Conimbri. comm. in lib. 2. de cœlo c. 14. qu. 1. ar. 3. Prima eſt dierum & noctium ęqualitas, ſic enim diurni ca-

Zona torrida habitatur.

Cur torrida commodè habitetur.

loris ſpatia breviora fiunt, nocturnóque frigore diurnus calor infringitur: 2 imbrium aſſiduitas & pluviales venti: 3. ſubjectæ terræ habitudo & conditio: quarta, locorum ſitus vallibus & montibus diſtinctus: 5. Oceani vicinia: 6. ventorum tam ſtatis quam extraordinariis temporibus leviter flantium aura; quę cœli æſtum temperat & mitigat. Quaſdam alias rationes adducit Mag. Albertus de nat. locorum cap. 6. quas ibi lege. At vero regiones in zona temperata Septemtrionali poſitæ, qualis eſt anterior Africæ pars, ea ſcilicet quæ nos verſum ſpectat ad Atlantem uſque; Europa univerſa uſque ad inſulas Arcticas; magna Aſię pars, Florida, nova Francia, temperato aëre ac cœlo fruuntur ſalubri, clementi & innoxio, amœnitate, maxima incolarum frequentia, temperatura inſignes, ſoli fertilitate, frugum, arborum, plantarum, omnis generis animalium, rerum denique omnium copia & multitudine fœlices. Regiones tamen Tropico cancri vicinæ vehementiùs calent, ut Hiſpania: quæ accedunt ad circulum Arcticum, pauló frigidiores exiſtunt; Regiones autem zonę temperatę Meridionalis, ut eſt Java minor, portio inſulæ S. Laurentii, Patagonum & Antropophagorum regio, & aliæ non uſque adeò adhuc cognitæ, ejuſdem ſunt conditionis cum prædictis.

Zona noſtra temperata.

Zonæ frigidę conſtitutio.

Zonæ frigidæ Septemtrionalis regiones, ut Grinlaudia, Pinmarchia, Norvegiæ & Tartariæ pars, aërem habent admodum frigidum & rigidum, ſolum parum ferax; quemadmodum etiam regiones, ſi quæ ſunt, zonæ frigidæ Auſtralis; necdum enim tractus ille nobis innotuit.

Cæterum non indigna eſt ſcitu quæſtio de zonis propoſita, utra temperatior & ad inhabitandum

commodior existat. Veteres quidem Torridam & duas frigidas intemperatas & incultas credidere, imo & eam quæ Temperata Meridionalis vocatur, licet hanc habitari posse concederent, quæ sententia est Arist. 2. meteor. Ptolem. habitari posse torridam zonam putavit, habitationem enim ultra Aequinoctialem circulum per sexdecim gradus descripsit, quamvis eam incommodam & intemperatam arbitraretur. Ex veteribus Eratostenes ac Polybius, si Straboni credimus lib. 2. Geog. opinati sunt commodiorem habitationem esse sub Aequinoctiali, quod & ipsum confirmavit Avicen. in quem acriter insurrexit pro Arist. Averroes cap. 2. in lib. 2. meteor. Pro Avicenna pugnant Bonavent. & Durandus secund. sentent. distinct. 17. aliique non pauci, qui Paradisum terrestrem sub Aequinoctiali velut in loco temperatissimo atque saluberrimo collocant, ut expositum habetur apud Pererium tom. 1. Exod. lib. 3. quæst. 3. & apup Maurolycum sect. 2. Dial. 2. cosmographię. Horum omnium rationes fusè admodum explicavit Joan. Bapt. Capuan. tract. 2. quæstionum in sphæram Jo. de Sacro Bosco pag. 55. quibus tamen assentiri non potest, quod se experientia destitutum dicat. Nos recentiorum navigationibus prudentiores facti atque doctiores, zonam torridam alicubi commodè habitari, alicubi minus commodè coli scimus. Nam tota regio Abyssinorum, Monomotapa, insula S. Thomæ & de Capite-viridi ardore Solis peruruntur; contra regio Americana, Taprobana, & Peruana plerisque in locis temperatæ sunt, & ut verbo dicam, Mediterraneæ regiones ob sterilitatem, terræ ariditatem & aquarum inopiam, incommodè habitantur, maritimæ minus. Et certè temperies

Zonarum quæ sit temperatissima.

Paradisus terrestris ubi situs.

Torrida non ubique intemperata.

vel intemperies loci alicujus non tantum ex vicinia ſolis, ſed ex aliis cauſis pendet, frequentia nimirum vel raritate horum & illorum ventorum, copia vel inopia aquarum ſeu terreſtrium ſeu pluvialium, ſitu regionis particulari, elato, depreſſo, vel denique ex vicinitate aut longinquitate maris. De quibus fuſius in ſequentibus.

De mutatione Aëris penes Climata.

Memb. VII.

ENimvero quia Zonarum amplitudo eſt maxima, multorum ſcilicet graduum & plurimorum milliarium, intra quod ſpatium diverſæ moribus & temperamentis nationes degunt, apud quas variæ aëris obſervari mutationes ſolent: Idcirco Clima excogitatum eſt, quod latitudinis eſſet anguſtioris paucioreſque aëris mutationes contineret. Eſt autem Clima ſpatium lobi terreni comprehenſum inter duos parallelos verſus eundem polum, ab Æquatore diſtantes regiones ab invicem diſterminans ſemihora diei, ſic ut ſingulæ regiones intra unumquodque clima comprehenſæ longiſſimum diem æſtatis, breviorem vel longiorem obtineant tota dimidiata hora. Exempli grat. regiones ſecundi climatis diem æſtatis habent longiorem dimidia hora quàm regiones primi; regiones tertii longiorem diem ſemihora quàm regiones ſecundi; regiones quarti longiorem quoque horæ ſemiſſe quàm regiones tertii & ſic deinceps. Ubi tamen climata magis accedunt ad polos mundi,

Clima quid ſit.

dies longiores fiunt non solùm semihora, sed primò hora integra, deinde die toto, mox pluſculis diebus, tandem menſe integro, ac denique ſex totis menſibus: qui enim ſub polis habitant annum habent uno die & una nocte conſtantem; ſed dies & nox illa ſunt ſex menſium integrorum. Porro ad climata conſtituenda 1. ſupponendum eſt 90. eſſe gradus ab Æquinoctiali circulo uſque ad utrumque polum. 2. per unumquemque gradum duci poſſe circulum parallelum, ſed vitandæ confuſionis gratia ea intercapedine hodie parellelos deſcribi, ut ubi dies per quartam horæ partem creſcit & decreſcit, novus parallelus ponatur: ſicut dies paralleli unius, longiſſima, alterius paralleli diem quarta horæ parte ſuperet. 3. quodlibet clima conſtitui tribus parallelis circulis, quorum tamen tertius ſit ſemper principium ſequentis climatis. 4. parallelos non deſignari à nobis niſi ad 66. gradum & 31. ſcrupulum uſque, cum ultra hanc latitudinem non quartis horæ partibus dies maxima augeatur, ſed integris horis, dieb. & menſibus, in quo doctrinam ſequimur Eraſmi, Reinoldi & ejus diſcipuli Gaſparis Peuceri in elementis Aſtronomicis. 5. & ultimo primum parallelum eſſe in circulo Aequinoctiali. Quibus quidem conſtitutis patet à Geograph. recentioribus 48. tantùm aut 46. parallelos poni, & 23. vel 24. climata utrinque cum verſus polum arcticum, tum polum antarticum verſus; licet veteres Geograph. ſeptem tantum climata agnoſcerent, Ptolomæus vel novem, vel quindecim. Primum clima Septentrionale veteribus vocatū eſt διὰ μερεὴ, per Meroem quæ eſt inſula Nili quā medium primi climatis tranſit: at recentioribus primum clima innominatum eſt vel certè dicitur

Dies unus ſex menſium.

Numerus climatū.

duci per ſinum maris rubri Arabicum, inter ſecundum & tertium parallelum, ubi dies longiſſima eſt horarum duodecim cum ſemiſſe; elevatio poli octo graduum & triginta quatuor ſcrupulorum. Secundum clima eſt per Meroem quod fuit ut dixi primum veterum. Tertium eſt per Sienem ſub tropico cancri, quod fuit ſecundum clima veterum: ubi dies longiſſimus eſt tredecim horarum & quadraginta quinque minutorum, elevatio poli viginti ſeptem graduum & triginta ſex ſcrupulorum. Quartum, quod erat tertium veterum, ducitur per Alexandriam: ubi dies longiſſimus eſt horarum quatuordecim cum quarta horæ parte; elevatio pol. 33. graduum & 45. minutorum. Quintum, id eſt, quartum veterum, tranſit per Rhodum & Babylonem; ubi dies longiſſimus eſt 14. horarum & 45. minutorum, elevatio poli 39. graduum & duorum ſcrupulorum. Sextum, hoc eſt quintum veterum, eſt per Romam, Corſicam, & Helleſpontum; ubi dies longiſſimus eſt 15. horarum & 15. minutorum, elevatio poli 43. graduum & 32. ſcrupulorum. Septimum, ſeu ſextum veterum per Venetias & Mediolanum, ubi dies longiſſimus eſt horarum 15. & 45. minutorum; elevatio poli 47. graduum & 20. ſcrupulorum. Cætera non recenſeo ex Geograph. repetenda, qui totidem climata Auſtralia conſtituunt & ab iſtis diſtingunt per prępoſitionem Gręcam ἀντὶ, per quam ſignificant Auſtralia climata oppoſita eſſe borealibus.

Quodnam clima temperatiſſimum.

Quod ad rem noſtram attinet, quæro quodnam ſit clima temperatiſſimum; nam eo cognito Zonarum habebimus habitationem commodiorem, & aëris omnium regionum temperatiſſimi. Equidem pręterquam quod res ipſa ex-

plicatu difficilis eſt, multo evaſit difficilior litigantium auctorum diſcordia, quorum ſinguli amore patrię excęcati nullis argumentis, nullis artibus pepercerunt, ut patriam ſuam velut omnium temperatiſſimam, ac nobiliſſimam convincerent. Galenus quidem comm. ad aph. 14. ſect. 3. pro Gnido & Coo Hippocratis patria, hoc eſt pro quarto climate ſtetit: Averroes loco ſupra laudato, pro quarto & quinto contra Avicennam pugnavit; & lib. 2. ſui Collig. pro quinto ſolum: Menardus ep. prima lib. 7. pro Ferraria, hoc eſt pro ſexto climate: Federicus Bonaventura lib. 4. de octimeſt. partu cap. 34. & 35. pro Urbino, Ariſt. 7. polit. cap. 7. pro Gręcia, Plato in Timæo pro Athenis, Thomas de Neris pro Tybure, Cardanus pro Mediolano; alii pro Italia, pro Hiſpania, pro Gallia, prout quiſque patriæ ſenſu ducitur, cujus fumum alieno igne luculentiorem prodidit Lucianus extremo encomio patriæ. Galē. quidem clima quartum in quo eſt Coo & Gnidus omnium eſſe temperatiſſimum voluit, quod eſſet aliorum medium, & quod loca in eo poſita non multum accederent ad Aquilonem vel Auſtrum. Sed Gal. quartum clima quod per Rhodum ducitur medium poſuit, quia ſuo tempore ſeptem tantum climata conſtituebantur: at illud clima nobis jam eſt quintum ex viginti quatuor climatibus, ut ea ratione Galeni ſententia omnino non ſit audienda. Cęteri etiam nonnullis utuntur argumentis, ſed parum firmis ac validis, quæ idcirco prętermitto fundamento tuto magis ac magis ſecuro innixus. Certiſſimum eſt eas regiones quæ mediæ ſunt inter extremum frigus & fervorem extremum, temperatories eſſe, velut in quadam mediocritate conſtitutas; quod hoc

uno argumento probatur; quoniam in illis regionibus anni tempora ſuam conſtitutionem ſervant; ver temperatum eſt, æſtas ob viciniam ſolis calida, autumnus frigidiuſculus; hyems denique propter receſſum ſolis admodum frigida, quæ ratiocinatio ex Hippocr. & Galeno deſumpta eſt. At ubi eſt elevatio poli quadraginta quinque graduum, ibi regiones ſunt exacte mediæ inter locum extremi fervoris, & locum extremæ frigiditatis. Etenim ſive medium locum accipias, qui eſt inter circulum æquinoctialem, ubi ſol æſtuat, & polum ubi gelidiſſimum eſt cœlum, ſive eum qui eſt inter Tropicum Cancri & circulum Arcticum, illic medietas erit conſtituenda: nam ab Aequinoctiali ad polum ſunt 90. gradus; à Tropico ad circulum polarem 43. medium autem 90. graduum ſunt 45. medium 43. ſunt 21. cum ſemiſſe, in quem locum incidit elevatio poli 45. graduum. Prçterea in illis regionibus ſub 45. gradu poſitis habentur anni tempeſtates admodum diſtinctæ & minimè omnium intemperatæ, quemadmodum obſervare eſt in Galliç, Italiç, Hungariæ, Aſiæ partibus pleriſque, in quibus adeſt quidem tempeſtatum viciſſitudo, ſed moderata & ſine magno ullo exceſſu, erit itaque illis in locis temperatiſſimum clima conſtituendum. Tale vero clima ex noſtra ſupputatione eſt ſeptimum, quod tranſit per Venetias & Mediolanum inter duodecimum & decimumquartum parallelum, ubi dies longiſſimus æſtatis eſt horarum quindecim & 45. minutorum, elevatio polaris à quadrageſimo tertio gradu ad quadrageſimum ſeptimum uſque & paulò amplius. Reliqua climata, prout accedunt magis ad polum, magis ſunt in frigiditate δύσκρατα & intemperata;

Septimum clima temperatiſſimum.

quo magis ad Aequinoctialem circulum vergunt, in calore & æstu magis excedunt.

Porrò ut hęc veritas dilucidior evadat, tria sunt animadvertenda. Primum est, quid per temperamentum optimum sit intelligendum. Secundum, quomodo clima istud cum longas hyemes habeat temperatius dici possit. Tertium continebit quosdam diorismos conclusioni nostræ inservientes. Quod attinet ad primum, observandum ex Hippocr. lib. de aëre, locis & aquis & ex Aristot. 7. Polit. cap. 7. Asiæ populos admodum temperatos esse & corporis dotibus præcellentes, miti tamen & servili ingenio, Gręcos vero regali & imperioso: ex quo exurgit difficultas quomodo differat bonum temperamentum Asiæ à bono temperamento Gręciæ. Hanc difficultatem fusissimè absolvit Frederic. Bonavent. de octimest. partu lib. 4. cap. 18. ubi bonum temperamentum ex Hippocr. & Aristot. duplex statuit. Primum in quo est æquilibrium caloris & frigiditatis, siccitatis & humiditatis, sic ut nullam ferè mutationem perpetiatur: quod temperamentum ad fœcunditatem, magnitudinem, pulchritudinemque corporum conducit, quale est Asianum. Alterum dicitur de eo quod caloris frigiditatisque vicissitudines admittit magnas, crebras, non tamen omnino excedentes si ad tempestates extremarum regionum comparaveris, quarum ratione haberi potest temperatum & moderatum, licet intemperatum sit habita ratione prioris illius in quo nec ullus est excessus nec mutatio: tale autem est Gręcum illud, ad animi mentisque excellentiam admodum conferens. His animadversis dico, nos optimum climatis septimi temperamentum primo modo non usurpare; sed posteriori,

Temperamentũ optimũ duplex.

quod ex Gal. lib. quod animi mores ſeq. temp. corp. deducimus; ubi ille hęc habet. *Quis enim non cernit omnes homines ſub Septemtrionibus degentes, corpore & animo prorſus contrariè affectos iis qui torridam prope habitant zonam? Aut quis neſcit, qui inter hos medii regionem benè temperatam colunt, & corpore eſſe, & moribus animi, ingenii fœlicitate & prudentia illis hominibus præſtantiores?* Vide Ariſtot. probl. primo ſect. 14. & ejus Comment. Septalium, necnon Jacob. Forojulien. quęſt. 38. in Avicen.

Obje-ctio diſſol-vitur.

Secunda obſervatio continet objectionem quam movet Septalius in comment. ad prędictum problema. Ibi enim reprehendit Cardanum quod temperatiſſimam regionem ſub gradu 45. collocarit; cum illa regio, veluti magnis algoribus oppreſſa extremarum alteri, nempe frigidiſſimæ, ſit adjudicanda; quod frigoris in ea exceſſus calori dominetur. Cui profectò objectioni ſic reſpondendum cenſeo, frigus illarum regionum ſalubritati & valetudini incolarum admodum prodeſſe. Nam ut obſervat Theophr. libr. ſecundô de cauſis plant. cap. 4. Aquilonia conſtitutio, hoc eſt frigida-ſicca, plantis cum quibus magna eſt homini analogia, omnino ſemper commodior eſt calida-humida conſtitutione: ejus enim beneficio plantæ amplius humore ſibi oblato potiuntur, redduntur que firmiores, ſupervacaneus deinde humor detrahitur atque aſſiccatur & ut ait Scaliger comm. in eum locum, *demitur de difficultate concoctionis, exuſta materiæ portione.* Notat prætérea Hippoc. lib. de aër. loc. & aq. incolas regionum quas venti frigidi & ſicci afflant, diuturnioris eſſe vitæ quam alios, externa enim illa

frigiditate cogitur intro calor ac augetur; quo fit ut nec congelari nec extingui poſſit, tum quia copioſus eſt, tum quia excrementitios humores non cumulat. In ſummum, quemadmodum coctio ventriculi frigore ambienti juvatur, ex Hippocr. primo aphoriſ. ſic & vita cujus propria actio eſt πέψις. Rem hanc confirmat Ariſtot. probl. 8. & 16. ſect. 14. ubi magna animalia generari in regionibus frigidis docet; quod inſito calore abundent, qui eſt vehemens augendi principium; hominesque illic fortes produci & animoſos quod ſua concaleſcant natura, exteriori enim frigore caro denſatur, cujus denſitate calor colligi intus poteſt. Vide Petrum Aponenſ. & Ludov. Septalium in comment. probl. 8. Scio quid obtrudi ſoleat ex Ariſtot. de longitudine vitæ eorum qui calidas regiones incolunt, ſed cum ſuſpecta ſit ea ſententia viris doctioribus, multaſque difficultates involvat, his tricis me non implico. Conſuli poterit idem Septalius loco laudato & comment. ſecundo in lib. Hippocr. de aëre, locis & aq. nec non Federic. Bonavent. doctiſſimo opere de octimeſt. partu, ubi multa ex Plinio, Vitruvio, Ptolom. Cardano, Bodino in hanc rem congerit. Ex his concludo ſeptimum clima temperatum eſſe; vel eo maximè quod ventis Aquiloniis affletur, non quidem extremè ſed moderatè frigidis & ſiccis qui putredini obſiſtunt. Reſtat tertia animadverſio ſine qua aliæ vix ſubſiſterent. Noſtram enim concluſionem de temperatiori climate nolumus ſine dioriſmis intelligi, ut videlicet preter generalem hanc locorum poſitionem, uniuſcujuſque regionis ſitus proprius ſemper Dioriſmi nōnulli.

consideretur : Etenim ratione montium, convallium, maris, fluviorum, paludum, venti alicujus ἐπικορὶς & aliarum ejusmodi circumstantiarum, loca quæ propter æqualem distantiam poli & circuli Æquinoctialis temperatiora esse deberent, fiunt interdum minus temperata & insalubria. Idcirco Gal. comm. ad aph. 14. sect. 3. ait loca Ægypti & Lybiæ calida esse & sicca, exceptis iis quæ mari adjacent; potior enim est particularis conditio loci quam generalis, quemadmodum causa particularis & conjuncta efficacior est, quam remota & universalis. Quo argumento auctoritati Galeni satisfiet, quartum clima temperatum statuentis: certum enim est eum ex temperamento aliquot locorum in illo climate positorum idem de toto climate cõjectasse & pronuntiasse. Sunt enim Coo & Gnidus temperatissimæ & ex 2. salubribus æstate & Hyeme optime constitutæ multoque magis Vere & Autumno, non ratione climatis seu positionis generalis, sed ratione situs proprii & individui, nam aliæ regiones climatis illius admodũ sunt intemperatæ ut ante me monuit Brasavol. comm, ad prædictum aph. Ceterum Cichus Æsculanus com. in cap. 3. spheræ Jo. de Sacro Bosco, non tantum Astrologicè sed Necromanticè clima accipit post Zoroastrem pro admirandis videlicet quæ cum carne mortuorum & humano sanguine fideliora dant responsa. Quod attinet ad climata Astrologica, septem cum Priscis admittit; quorum singulis dominantem aliquem planetam tribuit, cujus naturam atque conditionem sequantur. Primo quidem climati Saturnum, secundo Jovem, tertio Martem, quarto Solem, quinto Vene-

Gal. explicatur.

Et Cardan. contrad. lib. 1. tract. 1. contrad. 9. Chichi deliria.

rem, ſexto Mercurium, ſeptimo Lunam, ſed nemo niſi delirus has nugas & deliria admittet, quæ explicantur nihilominus ab Haly de judiciis aſtrorum part. 8. cap. 34 & 36.

De regionibus mundi Cardinalibus.

MEMB. VIII.

GEographorum propria fuit obſervatio locorum penes Zonas & Climata: Medici vero ad Captum vulgarium hominum ſeſe accommodantes maluerunt regiones conſiderare juxta ſolis ortum & occaſum, Meridiem & Septemtrionem, quæ loca mundi dicuntur Cardines, quod terrarum orbis iis veluti contineatur & vertatur cardinibus. Ab iis regionum aliæ Orientales, aliæ Occidentales ſeu occiduæ, aliæ Septemtrionales ac Boreales, aliæ Meridionales & Auſtrinæ nominantur. Quarum quidem temperamenta inveſtigare qui voluerit, ab Hippoc. veſtigiis non eſt quod recedat. Is enim lib. de aër. loc. & aq. rem totam ita digeſſit ut dubitandi nullus ſit relictus locus Notandum tamen eſt eum ubi Orientalem locum, Occident. Septemt. vel Meridionalem vocat, non tam rationem habere loci verſus cardines illos poſiti, quam ejus qui ventis illinc flantibus exponitur. Scio Cichum Aeſculanum comm. in ſphæram poſt vulgus Aſtrologorum vocare regionem Septemtrionalem aut Meridionalem ratione ſigni ſub quo fuit ædificata; ex quo colligit quaſdam eſſe regiones Septētrionales in Auſtralib⁹, & Auſtrales in Septemtrionalibus, additque hanc eſſe rationem cur in

Quid ſit locus Orientalis.

una civitate eodem anno grassentur pestis, fames, & terræ motus, in alia civitate vicina sit gentium salus, fertilitas & quies. Sic docet Galeot-Martius lib. de doctrina promisc. c. 3. Romam pro signo habuisse leonem, quod primus lapis jactus sit pro fundatione illius urbis cum leo ascendebat, hoc est horoscopabat Illudque signum totius fuisse Italię, quod ager sequatur fatum urbis suę quamvis Libram Italiæ signum prius fuisse observet post Manil. 4. astronom.

Hesperiam sua Libra tenet, qua condita Roma;
Et propriis frænat pendentem nutibus orbem,
Orbis & imperium retinet.

Sed his missis & ad Astrologicæ vanitatis studiosos relegatis, dicamus Orientales regiones hoc est ad ventos Orientales sitas, salubriores esse aliis omnibus: sunt enim temperatæ mediocriter, aquas habent limpidas & splendentes, odoratas, molles, coloratos & floridos incolas, λαμπροφώνους, hoc est clara voce præditos, promptos, ingeniosos, morbis paucioribus & mitioribus obnoxios; mulieres denique σφόδρα ἐναεικύμονας, admodum fœcundas & facilè parientes. Illis oppositæ Occidentales, morbosissimæ sunt, aquis prçditæ minimè pellucidis sed turbidioribus, inquilinos âlunt καὶ ἀχρόους καὶ ἀρρώστους, decolores & infirmos, βαρυφώνους καὶ βραγχώδεας, gravi voce & rauca. Et vero Meridionales turgent aquis multis subsalsis, sublimibus; & ut loquitur Hippocr. πολλοῖς ὑφάλοις μετεώρεσι: sic enim legendum puto, excludendo particulam negativam μὴ; sic ut sublimes aquæ sint quæ ex profundis locis minimè scaturiunt, sed ex imbribus colliguntur: incolas ferunt capite humido & pituitoso, alvi profluvio obnoxios, imbecillos, nec edaces nec bibaces,

Orientalis regio.

Occidentalis.

Meridionalis.

bibaces, ad infinitos denique morbos proclives; Septemtrionales aquas habent crudas & frigidas, homines alunt ſiccos, robuſtos, edaces, longævos, agreſtes, proceros, quibus ventres inferiores duri ſunt & ἀπέχμυοι, ſuperiores fluidi & bilioſi, capita ſana & dura, & aliæ dotes ab Hippocrate loco citato enumeratæ. Ex dictis exurgit quæſtio non de Septemtrionali & Meridionali regione, quarum illam frigidam eſſe & ſiccam & ſanam, hanc calidam, humidam & morboſam nemo hactenus dubitavit, ſed de Orientali & Occidentali, utra illarum calidior ſit & ſalubrior. Jul. Scaliger exerc. in Cardanum 99. contendit caliditatis non plus ineſſe Orientalibus terris quam Occidentalibus, rationibus ſatis frigidis. Alexand. Aphrodiſ. & Averroes comm. in lib. 2. meteor. calidiores ſtatuunt Orientales, etiam tam levibus argumentis & inanibus, ut ea referre pigeat. Potior eſſe videtur ratio Auguſt. Niphi comm. in eumdem lib. qui difficultatem eam ſic ſolvit. *Aut, inquit, loquimur de ortu & occaſu terræ habitabilis ſimpliciter, aut in reſpectu: ſi in reſpectu, res patet; pars enim quæ nobis eſt ad Orientem, calidior eſt parte quæ eſt ad Occidentem, quoniam Sol oriens diutius ſupra nos ſtat quam occidens. Sol enim nobis oriens calefacit Orientem noſtrum duabus horis antequam ariatur, ſex autem poſt ortum, igitur horis octo: nobis autem occidens ſex tantum, quia poſtquam à Meridie declinavit, ſex horis eſt nobis ſupra terram, duabus vero ſub terra, at cum in illis duabus ſit à nobis valde remotus, minus ideo eſt calefaciens. Sin autem loquamur de ortu ſimpliciter, dico quod Sol oriens ad partem orientalem magis eſt calidus quam occidens ad par-*

Septemtrionalis.

Vtrum regio Orientalis ſit calidior Occidentali.

tem occidentalem. Hujus causa est, quia Sol ad orientalem partem proprietatem habet ut Luna ad occidentalem, observatione enim patuit Lunam movere gentes & maria occidentalia, & non ob aliud, nisi quia in regione illa proprietatem habet, & nulla alia causa reddi potest nisi quia Luna est Luna & occidentalis, regio est occidentalis, pariter quia Sol est Sol & orientalis regio est orientalis. Sed potest meo judicio præter occultam illam causam manifesta hæc adduci, quod Sol oriens multas humiditates & vapores excitet, quos quia viget dissolvit, eos autem quos secum toto die rapit nec dissolvit, quosque rursum in occidentali parte suscitat, quia occultatur, insolutos deserat; unde frigiditas & humiditas regioni accidit. Addo quoque quod longè plures in occidentali parte excitantur vapores frigidiusculi quam in Oriente; quia longè plura & majora maria in Occidente quam in Oriente, ut Gerardi Mercatoris, Abrahami Ortelii & Judoci Hondii tabulas Geographicas legenti patebit. Huic quæstioni affinis est alia quam proponit Bartholomæus Sybilla speculi peregrinarum quęstionum 1. decadis cap. 3. quęstione 4. ad 7. Quæ sit regio salubrior, gratior & eligibilior, an regio Orientalis quæ est infidelium, an Occidentalis quæ est Christianorum: Quæstionem illam in utramque partem sic ventilavit, sic universa argumenta digessit, ut ad elucidationem nihil me habere libenter profiteat. Rerum bonarum ut suavium eduliorum tandem satias est. Qui hujus cibi avidiores sunt, Jo. Bodinum conterraneum meum adeant methodo sua ad facilem Historiarum cognitionem. Is enim procul dubio cap. 5. vel ipsos famelicos explebit.

An Orientalis regio salubrior Occidentali

De Orbis partibus, Regnis & Provinciis.

MEMB. IX.

EX regionibus quas diximus finitas esse & proprio nomine designari aliç, naturales sunt, aliæ artificiales. Inter naturales reponimus majores Orbis partes, ut sunt Europa, Asia, Africa, America, Magellanica; & minores, ut Regna, Regnorumque Provinciæ. Artificiales regiones sunt civitates, oppida, & in eis extructa domicilia, de quibus aliquid sigillatim delibandum est.

Prima Orbis pars major quam incolimus, est Europa, ab Oriente mari Ægeo & Euxino, à Meridie Mediterraneo & Gaditano, ab Occidente Atlantico, à Septentrione Hyperboreo seu glaciasi terminata. Jacet autem inter quintum & duodecimum clima! hoc est ab elevationis polaris 33. gradu cum semisse ad gradum usque fere 60. inter tropicum cancri & circulum arcticum. Eam omnes Cosmographi cæteris mundi partibus nobiliorem, præstantioremque statuunt fertilitate & fœlicitate agrorum, fructuum ubertate, aëris temperie & clementia, disciplina, institutis & moribus, mechanicarum artium studio ac varietate, liberalium cognitione, omnium denique rerum ad usum vitæ communem comparatarum multitudine & copia. Verum Hippocr. lib. de aëre, loc. & aquis in alia fuit sententia: pulchriora enim & majora omnia in Asia nasci scripsit quam in Europa, homines Asianos benigniores & cultiores, pleniora pecora quæ pariant sæpius & pulcherrimè Europæ nobilitas.

educantur ; elegantiores esse incolas, magnitudinis eximiæ, miniméque, quantum ad formam & corporum proceritatem attinet, inter se differentes : denique partem eam mundi proximè accedere ad naturam & mediocritatem anni temporum : agnovit tamen virilitatem, laborum tolerantiam atq; audaciam, Asianis deesse, sed adesse voluptatem & effœminatam naturam. Quod ad Europam spectat, Hip. eam multis & omnimodis aëris transmutationibus obnoxiam dicit ; Incolas ob id plurimum inter se dissidentes & forma & magnitudine; feros, audaces, magnanimos, bellicosos, parumque mansuetos.

Notanda circa Europam & Asiam.

Enimvero priusquam de Europæ & Asiæ temperamẽto quicquam definiamus, notandum est 1. ex Hip. non haberi ubique per totam Asiam & Europam omnia secundum eundem modum tam ratione situs universalis quam particularis : qua enim parte ad Zonam torridam magis accedunt, æstuosissimæ sunt ; qua parte magis ad Zonam frigidam, gelidissimæ : sic ratione situs particularis Asiæ pars Australis & irrigua, tum propter multos imbres, tum propter nivem, fertilissima est ac temperatissima ; quæ vero palustris est, ut Phasiana, infœcunda est & insalubris. Observandum secundò Asiam & Europam invicem comparari vel universim, vel secundum potiores partes. Tertio eam comparationem inter eas institui, aut penes naturales dotes omnes vel aliquas, aut penes acquisitas. Quod ad primum attinet, existimamus Asiæ situm universalem deteriorem esse Europæo; tum quod Asia latiùs ad Zonam torridã propagetur, pene usque ad Aequinoctialem videlicet; tum quia ad Zonam usq; frigidam longissimè extendatur ; nempe fere ad septuagesimum

Asia quatenus salubrior Europa.

elevationis polaris gradum. At ratione ſitus particularis, cum Hip. admittimus quadam ſui parte Aſiam ſalubrius ſitam quam ſit Europa. Sic, ut dixi, pars ejus Auſtralis & irrigua quia in medio calidi & frigidi ſita eſt ob imbres multos & nivẽ, fertiliſſima exiſtit ac ſaluberrima : atque pars ea videtur eſſe in eo climate quod temperatiſſimum conſtituimus; nam eam partem interpretatur Septalius comm. in eum Hip. locum *frigidiorem regionem Aſiæ, magis nempè proximam Europæ & boreâli parti.* Quod ad ſecundum ſpectat, certum eſt Aſiam ob rationes allatas multo intemperatiorẽ Europa, ejuſque partes tẽperatas pauciores eſſe quàm ſint partes Europæ temperatæ, quod ſingulas regiones Aſiæ & Europæ expendenti & æſtimanti erit manifeſtum. Ad tertium deniq; quod pertinet, univerſas Europæ dotes naturales & acquiſitas pręferimus Aſiæ dotibus : quaſdã tamen virtutes naturales Aſiæ potiores & pręſtantiores dotib⁹ Europæ agnoſcimus. Sic in Aſia aromata, gemmæ, metalla, plura & meliora ſunt quã in Europa, de cęteris ſecus eſt cenſendum ut videre eſt apud Plin. lib. 37. natu. hiſt. cap. ult. Quæ contra iſta afferri ſolent ex Petro Comeſtore de benignitate ſolis & ſalubriori cœlorũ influxu in Aſiam, de fertilitate terræ promiſſionis Judęorũ, partim ut vana reiicimus, partim cum Barthol. Sybilla dicimus benedictionem antiquæ terræ promiſſionis Judęorum tranſlatam fuiſſe per Chriſtum ad populum Chriſtianum occidentalem. Cętera de Africa, America & Magellanica explicata habentur apud Gerard. Mercat. Ortelium, Bertium, Grinęum, Nigrum & eos omnes qui de peregrinationibus & navigationibus in Americam ſcripſerunt : ſi quis enim ut ait Hippoc. de om-

Europa melior Aſia.

nibus dicere vellet, in immensum excresceret sermo.

Cęterum in illis majoribus Orbis partib. minores continentur; hoc est regna & Provinciæ, quib⁹ Cosmographi quamlibet Orbis partem distingunt. Sic Europam dividunt in Insulas & in Continentes. Insulæ Oceani sunt Anglia, Scotia, Hybernia Grunlandia; maris Mediterranei, Sicilia, Sardinia, Corsica, Creta, Majorca & Minorca; Peninsulæ, Norvegia, Gothia: Continentes, si in regiones partiaris, novem sunt pręcipuæ: Gallia, Hispania, Germania, Italia, Sclavonia, Gręcia, Hungaria, Polonia, Russia: si in regna, decem: Hispanicum, Anglicum sub quo Scoticum & Hybernicum, Danicum sub quo Norvergicum, Suecium sub quo Gothicum, Polonicum, Hungaricum, Bohemicum, Germanicum, Gallicum, Italicum. Eadem divisio in aliis Orbis partibus observatur, quam tu potes ex Geographis repetere. Interim observabis in illis prędictis regionibus ac regnis, particulares quosdam tractus & Provincias contineri; ut in Gallia, Turonensem, Pictaviensem, Andegavensem, Santonicam, Armoricam, Normanicam, Picardicam, Burgundicam & cęteras; quibus propriæ sunt & genuinæ aëris constitutiones, soli situs, animorum inclinationes, mores, ingenia, temperamenta, studia, quæ qui vellet exequi & inquirere, opus sanè humeris suis impar aggrederetur. Hieronymus Turlerus lib. primo de peregrinatione cap. 4. proprietates quatuor pręcipuarum nationum Europæ, velut in typo depinxit. Landus quidam Hortensius sub Philalethis Polytopiensis civis nomine, Forcianas quęstiones duobus libris emisit, quibus varia unius Italiæ ingenia

Europæ divisio.

describũtur; quorum summam gratia exempli ex Joseph. Scalig. quadam epistola desumptam exhibeo. In Consiliis, inquit, Mediolanenses præstantes, Veneti prudentes, Lucani temerarii, Pisani inconstantes, Placentini providi, Florentini lẽti, Genuenses ignari, Lucẽses utiles, Volsci maligni, Brutii stupidi, Patavini ambigui. In Victu Florentini parci, Lucẽses elegãtes, Mantuani viles, Aretini tenues. Papienses agrestes, Novocomenses luxuriosi, Astenses opipari. In Veste Mediolanẽses splendidi, Genuenses elegantes, Mantuani sumptuosi, Veneti magnifici, Florentini ridiculi. In Mercatura Florentini callidi, Genuenses tolerantes, Mediolanenses aperti, Lucenses fideles, Veneti splẽdidi. In Oratione Florentini inepti, Perusini faceti, Veneti putidi, Bergomenses agrestes, Senenses suaves, Spoletani celeres, Novocomenses balbi, Romani elati, Cosentini dicaces, Narnienses prompti, Umbri leves, Novarienses rustici, Mediolanenses rudes, Genuenses inexhausti, Brixiani duri, Bononienses jucundi, Fulginates versuti, Capuani graves, Pistorienses festivi, Neapolitani jactabundi, Piceni varii, Apuli barbari, Ligures mendaces. In Bello Perusini strenui, Calabri pręcipites, Spoletani callidi, Senenses fœlices, Bononienses feri, Neapolitani animosi, Pratenses sacrilegi, Cossenses libidinosi, Piceni rapaces, Aemiliani inconsulti, Placentini crudeles, Romani truces, Mediolanenses intrepidi, Vicentini ultores, Pistorienses sanguinei. Quid plura recẽseam? Cõsule eam epistolã, Lãdũ & Turlerũ locis citatis, pręterea Jo. Barclaïum in icone animorũ, Antonium Zaram de anatomia ingeniorũ, Pet. Anchoanum lib. 4. de rerum inconst. Bisciolam horarum subsicivarum lib. 12. cap. 8. Ingenia varia Italorum.

tom. 2. ubi ad oſtendendum quid poſſit cœlum ad ingeniorum diverſitatem efficiendam, multa cumulat.

Nonnulla quoque in hanc rem habent Joan. Bapt. Perſona comm. in lib. Gal. quod animi mores, &c. Jo. Huartes in examine ingeniorum; & ex Firmico, Tholoſano, Pontano, Cornelio, Kiliano, Boiſſardo & aliis Petr. And. Canonherius comment. politico in aph. 2. lib. 1. Hippocr.

De Civitatibus & Ædibus.

MEMB. X.

Duo in condẽdis urbibus obſervanda.

IN condendis urbibus ea cautio eſt adhibenda quam in extruenda Alexandria habuiſſe Alexandrum Magnum refert Strabo Geogr. lib. 17. & Vitruvius procemio lib. 2. ut ſcilicet & commerciis & aëris ſalubritati proſpiciatur. Per commercia diteſcunt incolæ, per aëris clementiam vitam ducunt beatiſſimam, ſaluberrimam, & longiſſimam. Scitum eſt illud Muſici Stratonici ſcomma apud Euſtrat. in Dionyſ. de ſitu orbis, qui cum Caunios omnes aëris vitio luridos pallidoſque videret, exclamavit ibi mortuos ambulare. Qui navigationem Guillel. Schouten in Auſtralem partem deſcripſit, meminit eum ad inſulam quandam appuliſſe, cujus indigenæ omnes deformi & monſtroſo eſſent corpore: alios enim videre erat cæcos, alios varos & valgos, alios protuberanti aqualiculo, alios tumentibus brachiis & humeris, alios alio corporis vitio inſignes, quod fuit argumentum regionis admodum inſalubris. Porro quibus ventis exponi debeat aliqua civitas ut ſaluberrima ſit, docuit Hippoc. lib. de aër. locis

& aquis & ex iis quæ de ventis, & de regionibus mundi cardinalibus ſupra docuimus, intelligi facilè poteſt. In ſummum hanc regulam benè conſtitutæ civitatis propoſuit Hippoc. Cum ſcilicet *ad Solem & ad ventos benè obverſa eſt & aquis bonis utitur*: contrà malè conſtituta eſt quæ aquis paluſtribus & lacuſtribus utitur, & non benè ſita eſt ad ventos & ad Solem. Exempli gratia, civitas omni ex parte montibus concluſa ad ventos & ad Solem non benè ſe habet, nam æſtate torretur radiis ſolaribus reflexis, hyeme quod Solem non excipiat, torpet. Poſitio autem locorum particularis interdum facit, ut venti qui habentur ſalutares ſint alicui loco noxii & peſtilentes; & è contrà. Sic Aquilo ſereniſſimus eſt Europęis, Lybicis oris nimboſus; Auſter Europęis noxius, Lybicis gentibus ſalutaris: Subſolanus ſaluberrimus Aſianis, Europęis inſalubris, Zephirus Vaſconibus pernicioſus, Gręcis & Italis tàm gratus, tàm ſuavis, ut nullum habeas apud Poëtas magis laudatum aut commendatum. Conditori ergo urbium non ſolum univerſalis, ſed particularis ſitus obſervandus; de quo regulæ certæ dari non poſſunt. Legi tamen poteſt Vitruvius lib. 1. Architect. cap. 4. & 6. ubi agit de areis, plateis & angiportibus prudenter diſponendis. Conſuli quoque poterunt ejus commentat. Guillel. Philander, Cæſar Cæſarianus, & Daniel Barbarus patritius Aquileienſis.

Situs civitatis ad ventos.

Particularis ſitus obſervãdus.

Quod ad Ædes attinet, dicam cum Vitruvio lib. 6. cap. 1. *Animadvertendum primo eſt quibus regionibus aut quibus inclinationibus mundi conſtituantur. Namque aliter Ægypto, aliter Hiſpaniæ, non eodem Ponto, diſſimiliter Romæ, item cæteris terrarum & regionum proprietatibus oportere videntur con-*

Ædium ſitus.

ſtitui genera ædificiorum; quod alia parte ſolis curſu premitur tellus, alia longè ab eo diſtat, alia per medium temperatur. Debet vero eadem eſſe conſideratio ædium atque ipſarum regionum ac civitatum, ita vt ratio quatuor cœli cardinum maximè habeatur. Alia enim æſtivis, alia hybernis temporis extrui debent domicilia: æſtiva majora ſpatia requirunt, hyberna ſi anguſtiora fuerint non improbantur, æſtivis umbræ & flatus, hybernis ſoles debentur.

Ædes æſtivæ & Hybernæ.

Deinde ut obſervat Ariſtot. primo Oecon. cum ſol æſtate altiùs incedens domos ad meridiem verſas non intret, hyeme vero propinquiùs accedens totus per feneſtras infundatur: debent ædes averſo borea æqualiter eſſe latæ, hoc eſt non verſæ ad omnes partes, ſed oblongæ ad meridiem ſpectantes. Si credimus Vitruvio lib. ſexto cap. 7. hyberna triclinia Occidentem hybernum ſpectabunt, ideo quod veſpertino lumine opus eſt uti, verna triclinia & autumnalia Orientem, æſtiva Septemtrionem. Apud Columellam libr. primo de re ruſt. cap. 6. cubicula hyberna ad Orientem brumalem obvertuntur, cœnationes ad æquinoctialem Occidentem; æſtiva ſpectant Meridiem, cœnationes Hybernum Orientem. Scribit Palladius lib. primo de re ruſt. cap. 9. quæ hyemi parantur manſiones ita conſtitui debere ut poſſit eas hyberni Solis totus propemodum curſus hilarare, ſed & ſi Æſtiva ſunt Orientem ſolſtitialem, partem Septemtrionalis aſpicere debent. Didymus apud Auct. R R. cap. 2. cap. 3. domum quæ ad Orientem ſpectat prꝫſtantiorem & meliorem pronunciat, *διὰ τὸ τὸν νότον ἀπὸ μεσημβρίας πνέοντα, ὑγρὸν καὶ ἀνώμαλον, καὶ νοσερώτατον εἶναι, quod*, inquit, *Auſter*

à meridie spirans, humidus & inaequalis, & morbosissimus existat. Sed vix aliquid certi definiri potest nisi particularium quorundam situum ac positionum qualitates & naturæ expositæ sint. Eas itaque breviter proponamus.

De aliquot locorum particularium constitutionibus.

MEMB. XI.

VT intelligamus quæ regiones, civitates, & ædes salubriores sint, locorum situs & positus particulares qui in quavis regione reperiri possunt nobis sunt examinandi. Atque imprimis Situs potest esse altus, profundus petrosus, apertus, montosus, nivosus, fluvio vicinus, paludi aut mari, &c.

Loca mediocriter elata & libere perflata, ut humilibus & profundis, sic sublimibus & montanis ad sanitatis integritatem vitęque diuturnitatem aptiora omnino existunt. Eorum enim incolę, ut ait Avicen. sani sunt, vivunt quippe in aëre puro & defęcato à sole & ventis; robusti sunt, quia nō turgēt humidis excrementis nervos & articulos laxantib. laborum sunt patientissimi, quod soleant ascendere & descēdere frequēter, labor autē articulos firmat: sunt deniq; longęvi; tum quia raro ægrotant, tum quia calor eorum nativus superfluis excrementis non suffocatur. Declivia loca & inter altos montes depressa atque abdita, radiis solaribus reflexis æstate suffocantur; cum sole non illustrantur humore nimio madescunt, crassis vaporibus polluūtur, hyeme frigore obrigescunt: eorū itaq; locorū incolæ imbecillo sunr hepate ob aquarum crassitiem, pituitosi & melancolici ob aërem tenebro-

Loca elata.

Loca declivia.

ſum. Notau. Albert Mag. lib. 1. de natura locor. cap. 13. locum planum & ſe habentem decenter undique, non habere proprietatem ullam niſi eam quam diximus ex climatum obſervatione deſumi. Petroſus locus & apertus æſtate aëre gaudet calido, hyeme frigido atque adeo ſubtili ut nulli aut pauci vapores ex petris eleventur: incolas alit duro & ſolido corpore, ſicco cerebro, malis moribus, ſolertes, ingenioſos, bellicoſos. Montoſus & nivoſus ventis obnoxius eſt, per nives quidem ſalubribus; dum liquantur nives, nimboſis. Hujus tamen loci varias fecit differentias Albert. Mag. loco prędicto quas his recenſere non erit abſurdum, hanc enim doctrinam mirum in modum illuſtrant.

Loca plana.

Loca petroſa.

Loca montoſa.

Ergo locus montoſus aut eſt in humili monte aut in excelſo: montes humiles non admodum mutant naturam locorũ, alti vero nivoſi ſunt, atque quod notandum eſt, vel ad Aquilonem ſiti ſunt, vel ad Meridiẽ, vel ad Orientem, vel ad Occidentem. Cũ ſunt ad Aquilonem poſiti loci naturam calidam reddunt, quia reflexio radiorũ ſolarium ad illos montes, calefacit locum vehementer, quo fit ut vina generoſa in parte Meridionali locus ille producat. Cum montes plurimi ſunt ad Meridiem & à Septemtrione flant venti, locus eſt valde frigidus, tam propter nives quam ventos: erit preterea ſiccus & ſanus niſi alia prohibeant accidentia. Montes in parte Orientali poſiti locum reddunt frigidum & humidum, ejuſque aërem craſſum, impurum & inſalubrem. Frigidus quidem locus erit, quia tectus ab Oriente, craſſus vero aër, tum quia vicinus montibus, tum quia ventis Occidentalibus apertus eſt. Denique cum montes ad Occidentem poſiti ſunt, locus ſalubrior

Loca humida.

Montoſa loca.

Occidentalia.

Orientalia.

est, quod ventis affletur Orientalibus. Porro locus situs in medio magnarum sylvarum vel juxta sylvas aërem, habet spissum & suffocatum, nebulosum & turbidum: fundus enim sylvarum vaporosus est; vapor autem illic arboribus conclusus & inspissatus aërem turbidum efficit. At inter arbores nocent præcipuè nux & quercus, necnon illæ quæ vel amaritudine sua aërem inficiunt, vel proceritate velut suffocant, prohibita ejus eventilatione. Loca fluviis vicina nimium humectant. Palustria & lacustria tetris vaporibus nocentissima sunt, & morbis contumacibus generandis opportuna, ut scribunt Vitruvius, Avicen, Rhasis, & ipse Varro lib. 1. de re rust. c. 12. *advertendum etiam*, inquit, *si qua erunt loca palustria*, & propter easdem *causas*, *& quod arescunt, & quod in iis crescunt animalia quædam minuta quæ non possunt oculi consequi & per aëra intus in corpus per os ac nares perveniunt atque efficiunt difficiles morbos.* Hęc ille, qui per animalia minuta videtur intelligere eas aëris impuritates quas Hipp. μιάσματα vocavit. Marina loca suadebat Plato lib. de rep. fugienda esse, is tamen animi potius quam corporis rationem habebat, nam ea loca pituitosis prosunt, appetentiam excitant, vitam protrahunt, humidum enim primigenium aëre sicco & salso conservatur & à putredine vindicatur. Quod autem ad mores spectat; maritimi pro pessimis in proverbio sunt, & filii Neptuni dicuntur crudeles. Si quæ tamen loca à mari exiguo intervallo distanti gravioris sunt halitus ex Colum. lib. 1. de re rust. & pestilentibus morbis obnoxii. Cardanus lib. 2. contradict. loco supra adducto, ex Averroe refert mare quatuor modis salubrem

Loca sylvosa.

Loca fluvialia & Palustria.

Loca Marina.

Maris vicinia salubris.

reddere habitationem: primo, quia salsedine corruptioni resistit; secundo, quia humore confert ad vitæ longitudinem; tertio, quia spirant semper venti perpurgantes aërem; quarto, quia temperat aërem, hyeme enim & in frigida regione tepidiorem reddit, æstate & in calida temperatiorem. *Flumina vero* inquit, *velociter currentia aërem attenuant, faciuntque corpora macilenta, tenuia, mobilia, crudelia, infida. Cœnosa vero & quæ tarde moventur ut Padus; corpora minus valida reddunt & sana, contentiosos homines mansuetiores atque fideliores. Ostia vero ubi flumina mare ingrediuntur aërem corrumpunt. Causa est quia dum mare æstuat fluminis aqua retinetur & in halitus transit, aëremque non leviter corrumpit.* De Marini loci natura distinguit Albert. Mag. lib. citato enim eo ex quod mare calidũ sit tum propter partium terrestrium exustarum admixtionem, tum propter multam radiorum divaricationem, colligit loca mari vicina vel esse calida & sicca, vel calida & humida, vel frigida & humida. Loca enim meridionalia in mari sita, quia velut aduruntur reflexione radiorum & multiplicatione luminis ad littus, arenosa sunt, calida & sicca; mare autem in illis locis divisum æstu convertitur in salem redditque locum terrestrem ob adustionem & exsiccationem: quo fit ut vina illius loci sint calidissima & siccissima velut Cypria. Loca autem marina remota à meridie & accedentia ad climata frigidiora & temperatiora, efficiuntur calida & humida nimio humore corrumpente. Habent enim plus humidi quam calor consumere possit; idcirco sunt ut plurimum vaporosa, pestilentiæ, tonitruis & coruscationibus ob noxia, unde pestes & mortes subitæ:

Differentiæ loco Marinorum.

talia etiam loca paludoſa ſunt frequenter ex humore diffuſo ſuper terram & corrumpente habitationem. Demum loca marina Septemtrionalia frigida ſunt & humida ob vapores frigidos & craſſos: ęſtas in illis locis non multum calida, nec hyems multum frigida; quod craſſus & ſpiſſus aër nec calorem facile nec frigiditatem ſuſcipiat; hujuſcemodi autem loca, quamvis peſtifera non ſint, ſalubria tamen non exiſtunt. Poſtremo loco monendum eſt ex Cardano Aquas Thermarum calidas loci aërem vitiare; ſed non adeo male afficere ut robuſta corpora quæ calida non ſunt, lædant; quoniam à putredine procul abſunt: ipſam tamen ac febres in debilibus accerſunt, vitiata cococtione, & in calidis ob intemperiem. Atque hæ ſunt particularis cujuſque loci conditiones pene omnes, ſed ſimplices tantum, ſunt enim compoſitæ alię & conjugatæ; ubi ſcilicet duæ vel tres ſimplices invicem concurrunt poſitiones, puta dum concava regio, paluſtris ſimul eſt & maritima & ſic de cęteris. Porro quos incolas cujuſque temperamenti & ingenii ſingula illa loca producant ſcire qui voluerit, Albertum Mag. poterit conſulere lib. 2. de natura locorum cap. 3. & commentat. lib. Hipp. de aëre, locis & aquis.

De veſtibus.

MEMB. XII.

LIcet veſtis victus habeat vicem ut ait Labeo juriſc. victuſque nomine, ſi Ulpiano credimus, contineantur quæ eſui potui, cultuique

corporis necessaria sunt : attamen non ea ratione vestium usus à nobis hic explicatur , sed quod vestimenta excogitata sint ad defendendum corpus ab externis nocumentis , calore , frigore, humiditate , siccitate quæ ab aëris injuriis inducuntur. Est ergo hujus sectionis pars , indumentorum consideratio , Medicis omnibus penè intacta. Hippocrat. quidem lib. 6. epid. sect. 8. part. 33. indumenta ponit loco aëris ambientis inter res non naturales , de vestibus quoque nonnulla pręcepit lib. de salubri diæt. Galenus autem necessarium agnovit aliquod corporis tegumentum externis aëris injuriis infringendis; sed ipsum voluit esse naturale , cutim videlicet quam lib. 1. de sanit. tuen. pręparat sale modicùm asperso ad indolentiam & tolerantiam. *Quoniam jam editus infans*, inquit, *in frigore , calore, atque inter corpora multo se duriora versetur necesse est, ob hæc ipsa nimirum naturale ejus tegmen præparari quodammodo à nobis , reddique ad indolentiam & tolerantiam quam aptißimum, par est.* Quo consilio Ligures apud Arist. 7. polit. Spartani apud Alex. ab Alex. li. 2. c. 25. Itali apud Virg. 9. Aeneid recens natos in fluvium frigidum & rigentem demergebant.

Durum à stirpe genus , natos ad flumina primum
Deferimus , sævoque gelu duramus & undis.

Quo quidem artificio opus non esset homini si cutis illi esset ex ungiuũ materia parata, quemadmodum Adami fuisse cutim priusquam peccaret, narrat Rabbi Eliezer. Sed profecto tenerior longè est , mollior , delicatior , sensusque exquisitioris ; proinde conservari sedulo debet illo velut munimento quod vocamus vestem. Non hic inquiro cum Ulpiano lib. 34. pandect. l. vestis

Rabinorum deliria.

§. de

§. de auro & argento, An veſtis & veſtimentum differant, An veſtis ſit ex pellibus, veſtimentum ex lana, ſerico, bombyce; An veſtimentum ſit virile & muliebre ſimul. Stola tantum mulierum, quid enim iſta ad rem pręſentem? Uſum veſtium inveſtigamus, quem Tullius lib. 3. de Orat. geminum conſtituit, *Veſtis*, inquit, *frigoris depellendi cauſa reperta primò, poſt adhiberi cœpta eſt ad ornatum etiam corporis & dignitatem*. Theologi qui primum veſtium auctorem agnoſcunt Deum, ad Honeſtatem, Neceſſitatem, Utilitatem comparatas fuiſſe veſtes docent. Honeſtas poſtulat ut partes obſcœnæ totumque corpus integatur quo aliquod diſcrimen inter hominem & belluam intercedat. Neceſſitas ſuadet ut imbecillitati corporis humani provideatur, calor internus externo tegumento foveatur, homo ipſe ab externis rerum injuriis & impreſſionibus defendatur. Utilitas triplex eſt: Phyſica, Ethica, & Politica. Phyſica naturæ humanæ infirmitati ac indigentiæ, veſtium beneficio conſulit, idcirco hominem tantum nudum & in nuda humo expoſitum à Natura conquerebatur Plinius prooem. lib. ſeptimi; Ethica de peccato & ejus fœditate, cujus ergo veſtes inventæ ſunt admonet, & de Dei erga nos φιλανθρωπίᾳ atque benignitate. Politica inſervit diſtinguendis viris à mulieribus; Magiſtratibus à Subditis, Sacerdotibus à profanis, Nobilibus à Ruſticis, Militibus à litteratis. Sed & adverſus vim ab hoſtibus illatam nos tuetur, quod telorum ictus veſtitum corpus quam nudum facilius ſuſtineat. De veſtibus primorum parentum nonnulla habent Theodoret. in Geneſ. quęſt. 39. Barcephas in lib. de paradiſo. Georg. Venet. problem. in Geneſ. Pererius

Vſus veſtiũ duplex.

& Marinus Merſennus comment. doctiſſimis in cap. 3. Geneſ.

Veſtiū conſideratio duplex.

Cæterum veſtimenta conſiderantur à Medico, vel univerſim, nulla habita ratione partium corporis, temperamenti, habitus, ætatis, tempeſtatis, generis, conſuetudinis, ſexus, dignitatis elegantiæ: vel particulatim, habita ratione virorum, mulierum, magiſtratuum, ſubditorum, populorum diverſorum, infantiæ, pueritiæ, adoleſcentiæ, virilis ætatis, ſenectutis, capitis, pectoris, abdominis, pedum, hyemis, æſtatis, veris, autumni, noctis, diei, bilioſorum hominum ſeu calidorum, atque pituitoſorum ſeu frigidorum, pinguium, macilentorum, divitum, pauperum, litteratorum, Artificum & ſimilium.

Vniverſalis conſideratio.

Primum præceptum univerſale eſt, quod indumenta omnia calefaciant aliquatenus noſtrum corpus, idque tribus omnino modis. 1. prohibendo ne aër frigidior corpus noſtrum attingat. 2. impediendo effluxum calidum noſtri corporis: quem effectum explicavit Gal. lib. 2. de ſimpl. medic facult. cap. 24. *Infarcit*, inquit, *corporis meatus veſtis, prohibetque foras effluere magnam vaporoſi intus caloris partem, à quibus vaporibus incaleſcens veſtis nos demum calefacit.* 3. inducendo proprium & germanum calorem, qui calor ſecundum Villa-novan. de regim. ſanit. c 17. duplex eſt; actualis & virtualis. Actualis calor veſtibus accidit per ignem cui exponuntur antequam induantur, virtualis in actum reducitur per calorem noſtri corporis, ut ex Galeno dictum eſt. Secundum pręceptum ducitur ex ſubſtantia, quantitate & qualitate veſtimentorum propter quæ unum alio magis calefacit. Uſus & effectus ex ſubſtantia veſtimentorum ſatis appo-

ſite expreſſit Iſaac Arabs lib. 50. Theoricæ cap. 105. Lineum veſtimentum ſi laxum fuerit refrigerat; alias calefacit & humectat; Bombicinum magis calefacit, cum ſubtile eſt ac tenerum, emollit: Sericeum quo magis villoſum eſt, eo calefacit potentius, ejus enim multæ ſunt differentiæ: undulatum, heteromallum, villoſum, raſile, floribus variatum, ſcutulatum, &c. Laneum multum calefacit & exſiccat. Pelliceum denique, ſi pilis multis ſit refertũ, omniũ maximè calidum exiſtit. Sed & inter pelliceas veſtes, quę cutim ſolidiorem habet pilum que molliorem, calidior eſt: Sic, inquit Villa-nov. *pellis caprina minus calida, deinde pelles de grypho, vulpina multum calida, ut & leporina; minus tamen exſiccat, caſtorea quoque.* Ovina calida & humida, Sabellina & Mellina molliuſcul[illegible]-dalina, Thoina, Genetina, odoratæ, A[illegible]orum noſtratium pellem pulmones offendere ſcribit Avenzoar 1. Theiſir. Lupina fugat pulices, leonina tineas, Cervina ſerpentes. Cygnorum & vulturum pelles ſi Cardanus audiatur, ſiccitate plus obſunt quam caliditate proſint. Caprina noxia eſt epilepticis ex Hipp. lib. de morbo ſacro: hyeme tamen calefacit ſi pilos ad corpus convertas, ęſtate refrigerat ſi invertas; quemadmodum ſcribit Aelian. lib. 6. Hiſtor. animal. Denſæ autem & duræ veſtes minus calefaciunt, molles & raræ magis, denſæ & opacæ, ſi molles ſint, calidiores ſunt tenuioribus & ſubtilioribus, duplices & compoſitæ ſimplicioribus. Vide Galen. comm. in lib. de ſalub. diæt. tex. 11. Quo ad copiam veſtium, certũ eſt quo plures fuerint eo fore calidiores. Ad qualitatem demum revoco colores & odores pręſertim. Inter colores coccineus & quiſquiliatus habetur calidior, evocat enim à centro ad circunferentiam

Materia veſtium.

Quantitas veſtiũ.

Qualitas.

ſpiritus & humores cum quibus analogiam habet, qua occaſione in febribus purpuratis & erumpentibus variolis involvi pannis purpureis ægrorum cubilia mos eſt. Oleo & aromaticis rebus imbutæ veſtes mundis & minimè odoratis calidiores: formidandæ tamen ſunt iis qui cerebro ſunt calidiori, omnes enim odores κάρη βαρεικοὶ caput tentant & graviſſimam cephalalgiam inducunt. Linteæ & byſſinæ calce dealbatæ mordicant & ſcabiem excitant. Cannabinæ ſicciores lineis exiſtunt; utraque quo recentior & minus trita eo quoque minus calida, aſpera magis. Jam vero ſi ſingula & particularia pręcepta tradere meditarer, quando finis commentarii? Summa capita leviter delibabo. Veſtes ætati, temperamento, habitui, conſuetudini, tempeſtati conſentiant. Senes pluribus & calidioribus indumentis egent quàm juvenes, pluribus pueri & calidioribus quàm adoleſcentes: Calidi & bilioſi pauciores minuſque calidas veſtes poſtulant quam melancholici aut pituitoſi. Qui carnoſo ſunt corpore & pingui, pauciores quoque quàm macilenti, qui raro corporis habitu, plures quàm qui denſo. Qui in locis calidis aut in ædibus clauſis degunt, cum ſe committunt aëri, operire corpus multis integumentis debent, velut ii qui otio torpent: contra, qui exercitantur aut ex frigidis locis ad calidiora progrediuntur, paucioribus. Hyeme chimaſtrum, æſtate theriſtrū opportunum eſt: æſtate, inquam, ſericeæ, rallæ, undulatæ, leves & laceræ veſtes conveniunt, hyeme lineæ, biſſinæ, laneæ, ſericeæ, hiſpidæ, ac villoſæ, pelliceæ diploides, contextæ villo ſericeo, aut pelliceo. Uno verbo tempore calido veſte magis tenui utendum quàm frigido, magis vero craſſa noctu per ſomnum quam interdiu vigilando. Ra-

Particularis conſideratio.

tione partium corporis variæ ſunt veſtes. Capiti pileolus proprius eſt, pectori thorax, abdomini & cruribus femoralia, tibiis tibialia, pedibus calceoli. Caput tegi debet pileolo nec gravi nimium nec levi, plus tamen noctu quàm diu: tegmen capitis grave fragile caput reddit, tenuius, nimis compactum; quod obſervatum eſt apud Syneſium in calvitio & Herodot. lib. 3. de Ægyptiorum & Perſarum capitibus: Illorum enim capita quod aperta ſint, dura & firma, horum quia nimium operta, fragilia fuere. Non probo calanticas ex capillis emptis compactas & miro artificio ornatas, quarum à paucis annis magnus & frequens eſt uſus apud Pariſienſes, niſi ſubſit calvitium, aut caput fuerit externis quam internis injuriis magis obnoxium; id quod aliquando monſtravimus edito in Calanticam vulgo Calotam carmine elegiaco. Vultus multo non eget tegmine niſi ſęviſſima hyeme, regione frigidiſſima, & inſigniter flante Aquilone, tunc enim ὦτιδες neceſſariæ ex goſſipio etiam muſcato, quia exangues aures, & cuculli pellicei ad oculos aperti, imo quia ventus oculis noxius, neceſſaria ſunt perſpicilia ex cryſtallo ita ſecto ut objecta nec juſto majora, nec juſto minora tranſmittat. Pectus quia oſſeum, operimenta multa deſiderat, pręſertim hyeme quæ illi infenſa, ex Hipp. aph. 24. ſect. 5. Muniri itaque debet contra frigus primò linea ſubucula (nam & mundior & ad cutim mollior quavis alia materia) dein perizomate plumario, pelle agnina, aut ut quidam faciunt vulturina, demum Thorace. Eadem cura afferenda fovendo ventri, cujus calor coquendis cibis occupatur. Plura quid recenſeam uſu communi cognita & uſurpata? ſufficiat digito quaſi omnia quæ ad veſtes

Capitis tegmen.

Pectoris indumẽta.

pertinent indicasse. Quisque inter legendum poterit observare vestimenta propria Gentium, Regum, Sacerdotum, Magistratuum, Militum, Studiosorum, Artificum, Rusticorum. Pleraque habentur apud Zuingeros in Theatro vitæ humanæ, Baysium de re vestiaria, Cœlium Rhodig. passim, Textorem in Officina, Alex. ab Alex. Sabell. exempl. lib. secundo; Bulengerum opusculorum tomo primo, Valturium lib. 10. Crinitum, Isidorum & alios.

Signa cognoscendarum Aëris mutationum.

Memb. XIII.

Providentia Medico necessaria.

MEdico satis non est scire Aëris dari mutationes, easque hanc vel illam facultatem obtinere hominum temperamentis alterandis & afficiendis, debet quoque præscire venturas & futuras anticipare judicio. Quemadmodum enim bonus Gubernator paratior est & erectior adversus tempestatem quam prævidit, sic Medicus facilius occurrit & tutiùs, prævisis ex aëris constitutione ortis morbis, quàm minimè prȩvisis. Verissimè quippe dictum est communi adagio, tela prævisa minus ferire, deterioraque esse mala quæ incogitantes adoriuntur.


Astrologia Medico necessaria.

Ad hanc vero cognitionem obtinendam magna Astrologiæ necessitas Medico; cum sine ea impossibile sit futuras aëris mutationes prævidere, nec ego possim seclusis Astrologiæ fundamentis ulla certa tradere prȩcepta tempestatum. Sed ut verum fatear, hæc παράβασις esset ἀκαιρὸς & intempestiva, cum viri longè doctiores ante me id

diffusè & prolixè explicarint. Eum ergo qui ſigna futuræ alicujus aëris mutationis, venturæ pluviæ, ſerenitatis, ſiccitatis, æſtus, ventorum, peſtilentiæ, fœcunditatis aut ſterilitatis anni, atque adeo popularium morborum pręſcire voluerit, remitto ad Theophraſti 4. opuſcula de ſignis pluviarum, ventorum, ſerenitatis, tempeſtatis, ejuſque illuſtratorem Federicum Bonaventuram, ad Ptolomeum de ſignificationibus ſtellarum inerrantium, Alboazen Haly lib. 8. de judiciis Aſtrorum, Auguſt. Niphum libello de ſignis tempeſtatum, Cardanum in aphoriſ. Aſtrologicis, Paduanum de ventis, Zanardum de univerſo elementari part. 3. Goclenium de Aſtrolog. gener. part. 2. Gratarolum de prognoſticis tempeſtatum, Guidonem Villarienſem Medicum Pariſinum de temporis & aſtrorum animadverſione, Mizaldum de ſignis tempeſtatum, & omnium noviſſimum ac fuſiſſimum Paulum Minervam Barenſem opere de cognoſcendis temporum mutationibus juxta triplicem viam, cœleſtem, meteorologicam, & terreſtrem; ut interim omnes Aſtrologos omittam, & veteres RR. ſcriptores.

Tandem ut prolixum hunc commentarium concludam, obſervabis me ex fide manuſcript. emendaſſe duos priores verſus, tertium omnino reſtituiſſe, quod maximè conſentit explicationi Villa-novani; qui quatuor hoc pręcepto contineri voluit, aëris puritatem, luciditatem, corruptionem à ſe ipſo, putredinem aliundè inductam, ut à cloaca rebuſque ſimilibus.

Finis primæ Sectionis.



SECTIO SECUNDA.

DE CIBO ET POTU.

DE ADMINISTRATIONE generali ciborum.

Cap. I.



Vale, quid, & quando, quantum, quoties, ubi, dando
Ista notare cibo debet Medicus benè doctus;
Ne malè conveniens ingrediatur iter.

HIc traditur à Medico sex esse considerandà in administranda diæta. Primùm est, Quale, Id est cujus qualitatis debeat esse cibus, quia in ægritudine calida exhibendus est cibus frigidus; in frigida calidus; in humida siceus; in sicca humidus, in sanis tamen simili, non contraria qualitate preditus cibus exhibendus est, ut testatur Galen. in arte Medic. cap. 86. Calidiora corpora, calidioris victus rationem exposcunt; frigidiora, frigidioris.

Secundum est, Quid, id est, cujus substantiæ: athletis enim & rusticis cùm vehementius exerceantur, cibus exhibendus est crassus, quia vis digestiva eorum est fortis, nec convenit eis cibus

ſubtilis, ut pullorum, caponum, vitulorum, ſive hędorum caro: hęc enim in eis vel adureretur, vel nimis citò digereretur, quare & ſępius comedere cogerentur: nobilibus verò & otio deditis, exhibendus eſt cibus ſubtilis ſubſtantiæ. Virtutem enim digeſtivam habent debilem, quæ nequeat craſſis reſiſtere cibis, cujuſmodi ſunt carnes porcinæ ſalſæ, & bovinæ, & piſces ſole exſiccati. Similiter in ægritudinibus acutis tenuiori dięta utendum eſt quàm in Chronicis, id eſt, longis, ut quartanis.

Tertium eſt, quando, id eſt, quo tempore ſit aſſumendus cibus, quia in ſanis maximè conſervanda eſt conſuetudo. Unde & in æſtate hominibus mane ſurgentibus, & conſuetis bis duntaxat in die cibum accipere, comedendũ eſt hora decima, vel paulò antè, nec expectandum dum meridies prętereat, ob nimium diei calorem. Similiter cœnandum eſt eis hora ſexta, vel paulò pòſt. In hyeme verò prandendum eſt hora undecima, ob longitudinem ſomni: & deinde cœnandum hora ſeptima vel paulò pòſt, & maximè ſervanda eſt conſuetudo. In ægris quoque habenda ratio temporis, ſiquidem in febribus in ipſo paroxyſmo, vel paulò antè ſive pòſt, abſtinere, id eſt, nõ nutrire oportet. Quia ſi ſtatim antè paroxyſmum vel in ipſo paroxyſmo detur cibus, natura impeditur, ac divertitur à digeſtione materię febris, eò quod digeſtioni cibi magis ſit intenta. Neque dandus eſt ſtatim poſt paroxyſmum. Virtus enim adhuc nimis debilitata eſt ex paroxyſmo immediatè pręcedenti. Exhibendus igitur cibus tamdiu antè paroxyſmum, ut poſſit digeri priuſquam ille accedat. Vel exhibendus eſt aliquantulo tempore poſt paroxyſmũ. Et hoc niſi timeatur magna debilitas virtutis; tum

enim dandus eſt cibus etiam quocunque tempore. Nam ubi caſus aliquis intervenerit, robur naturæ diſſolvens, nutrire cogimur, inquit Galenus commentatio. 9. libro primo Aphoriſ.

Quartum eſt Quantum, id eſt, quantitas ſumendi cibi, quæ in æſtate, ut dictum eſt, minuetur; quia calor naturalis tum debilior eſt ob nimias reſolutiones. In hyeme vero cibus augendus eſt, virtute digeſtiva tunc forti exiſtente, cùm calor naturalis ſit unitus propter frigus circumſtans.

Quintum eſt, Quoties, id eſt, quoties in die ſit cibus exhibendus. Eſt ergo æſtate ſępius exhibendus quàm hyeme, autumno, ſeu vere, ſed minori quantitate, ut dictum eſt ſuprà. Similiter digeſtiva exiſtente debili, ſępe parva quantitate cibus exhibendus eſt. Exiſtente autem forti, exhibendus eſt quantitate magna, ſed rarius.

Sextum eſt, Ubi, id eſt, in quo loco, quia cibus non eſt ſumendus in loco frigidiori, neque nimis calido, ſed temperato.

Animadverſio.

Alimẽtorum conſideratio.

ALimenta generatim conſiderantur vel ſpeciatim Generalis conſideratio quatuor omnino complectitur, ſubſtantiam alimentorum, quantitatem, qualitatem, & utendi rationem; ad quæ capita, ſex illa à Salernitanis propoſita facili negotio revocantur. Quid enim pertinet ad ſubſtantiam, quantum ad quantitatem, quale ad qualitatem, quoties, quando & ubi ad utendi rationem. Ratione ſubſtantiæ alimentum dicitur εὔχυμον vel κακόχυμον boni vel mali ſucci, tenuis vel craſſi, facilis vel difficilis coctionis. A

quantitate dicitur multum, paucum, moderatum. A qualitate calefaciens, refrigerans, &c. Utendi autem ratio primo designat pręparationem alimenti, secundo quoties in die ingerendum sit, uno verbo tempus idoneum edendi; tertio ordinem servandum in assumendis cibis, postremo consuetudinem, de quibus omnibus sigillatim & ordine est agendum.

De cibis bene nutrientibus.

Cap. II.

OVa recentia, vina rubentia, pinguia jura,
Cum similâ purâ naturæ sunt valitura.

HIc recensetur tria alimenta, quæ parva quantitate multum nutriunt.

Primum ova recentia, de quibus Avicen. 2. Canon. cap. 530. & 4. cap. 1. Nutriens inquit, parvæ quantitatis, & multi nutrimenti, sicut ova & gallorum testiculi. Idem multum aliis in locis repetit. Electio: Ova gallinarum, perdicum, & phasianorum juvenum & pinguium conferunt in victus salubris ratione: & aliis simpliciter sunt meliora, eligenda autem parvula, oblonga, & candida, ut habentur in hisce vulgatis versiculis: Ovum.

Filia presbyteri jubet hoc pro lege teneri,
Quod bona sunt ova hæc, candida, longa, nova.

Ova item tremula, id est, per decoctionem nonnihil inspissata, ut in manu tenentis in cortice suo videantur tremere, sunt meliora duris, & sorbilibus; multi nutrimenti, probæ & facilis digestionis, & generant sanguinem cordi maximè propor-

tionabilem. Unde convaleſcentibus, ſenibus & debilibus maximè conveniunt,& in primis vitelli. Unde Avic. in lib. de viribus cordis, Tract. 2. cap. de ovis, teſtatur vitellos ovorum, bonas carnes avium, veluti gallinarum, perdicum, & phaſianorum, licet non ſint medicinæ cordis, ipſum tamen confortare, & citò in ſanguinem converti, & poſt tranſmutationem parum ſuperfluitatis relinquere, ſanguinem generare ſubtilem, clarum, quo maximè confortatur cor, multumque valere in diſſolutione ſubſtantiæ ſpiritus, & diminutione ſanguinis cordis: Sorbilia verò ova facilis ſunt digeſtionis, leniunt pulmonem & pectus, & alvum dejiciunt, minus tamen nutriunt quàm tremula. Cocta ſeu durata ova difficilis ſunt concoctionis, & tardi tranſitus, craſſamque corpori exhibent alimoniam. Ovorum item ex cocturæ diverſitate magna differentia eſt. Nam quędam ſunt aſſata, aut elixa; aut frixa, aut in jure cocta. Aſſata elixis ſunt craſſiora, & duriora, ac difficilioris concoctionis; focus enim ſubſtantialem humiditatem exſiccat. Et fiunt duobus modis. Aut enim cum corticibus, ferventibus inferuntur cineribus, aut in teſtis franguntur. In teſtis fracta, reliquis ſunt pejora. Illa verò, quæ cum corticibus, ferventibus inferuntur cineribus, dupliciter fiunt. Aut enim toto cinere cooperiuntur, aut ſuper carbones nuda collocantur. Quæ cinere cooperiuntur, peſſima ſunt, quia calor foci circunfuſus, fumoſitatum exhalationem prohibet. Nuda ſuper carbonibus collocata, fumoſitatem emittunt, & emundantur. Elixa in aqua meliora ſunt aſſatis, quia aquæ humiditas, calori foci, in ſiccanda humiditate repugnat. Fiunt & hęc dupliciter, aut enim cum teſtis elixantur, aut in

Differentia ovorũ ex coctura.

aqua franguntur : cum testis elixata, reliquis pejora sunt, quia testæ fumositatum & crassitiei resolutionem prohibent. In aqua verò fracta calor penetrat, crassitiem attenuat, & odoris gravitatem aufert. Unde ejusmodi ceteris omnibus sunt laudabiliora. Frixa, quia pessimos generant humores, ceteris pejora sunt, stomacho diutius inhęrent,unde sequuntur fumi,corruptio, & fastidium. In jure cocta, inter assata & in aqua fracta,media sunt,ut colligitur ex Isaac dictis universalibus.

Est etiam ovorum secundum partes diversitas. Nam vitellus in caliditate temperatus existens, bene nutrit;albumen verò frigidũ est& viscosum, duréque digeritur, & sanguis qui inde generatur non est bonus, ut testatur Rhazes. 3. ad Almansorem, cap. 14. Et ut ova prędicta, scilicet gallinarum, perdicum, & phasianorum, conveniunt in victus salubris ratione, ita anatum, anserum, struthionum, & similium volatilium, minus conferunt. Ovi partes.

Secundum vinum rubrum. Vini secundum colorem magna est differentia. Nam quędam sunt alba, quędam rubea clara, quędam citrina, & quędam nigra. Vina alba ceteris sunt imbecilliora, minus calida, minúsque nutrientia, verùm caput minus feriunt, urinam provocant, & meatus aperiunt. Quòd autem ceteris sint imbecilliora, patet secundum Galen. com. 1. li. 3. de victus ratione in morbis acutis, ubi inquit : Vinum potens vehementer celeritérque corpus calefacit, capútque ferit : imbecillum contrario agit modo. Cùm ergo minus calefaciat,minúsque repleat caput ceteris, ut patebit, erit & imbecillius cæteris. Quòd autem vinum album ceteris minus cale- Vinorũ varia genera. Album

faciat, docet Galen. com. 6. lib. 3. de victus ratione in morbis acut. *Nempe*, inquit, *ex vinis albis nullum valenter calefacere potest; quod enim summe calidum est, id continuo & flavum existit, veluti & quod ab ipso est fulvum, mox fit rubrum, & deinde dulce. Album autem minus quidem his omnibus calefacit*. Et hoc verum est, si invicem compares vina ejusdem territorii. Quoniam vina rubra & rufa Gallica, non sunt tam potentia, nec ita calida, sicut multa alba, quæ in aliis territoriis reperiuntur. Quare comparanda sunt inter se vina ejusdem territorii. Quod verò & cęteris minus nutriant, probatur per Galen. com. 11. lib. 2. Aphor. ubi sic scriptum reliquit: *Vina aquosa* (sic autem nominat alba & tenuia) *sicuti aquæ similem formam habent, ita etiam vim: quare urinam cient, & minimè nutriunt*. Item in com. 18. ejusdem libri, *Vina*, inquit, *aquosa, exiguum præbent corpori alimentum: sunt hæc colore quidem alba, tenuia verò substantia*. Quod item minus caput feriant, probat Avic. 3. 1. Doctor. 2. cap. 8. *Vinum*, inquit, *album & subtile calefactis est melius, non enim capitis efficit dolorem, sed fortasse humectabit, & dolorem capitis alleviabit, qui ex stomachi ardore provenit*. Item teste Galen. com. 1. lib. 3. de vict. rat. in morbis acut. Ratio autem, cur minus feriant caput, est quod minus fumosa ac vaporosa sint cæteris. Quod autem aperiant, urinamque cient, docet Hippocr. Canon. 6. lib. 3. de victus ratione in morbis acut. *Ad vesicam*, inquit, *vinum album magis penetrat, urinásque provocat, & perpetuò purgat: atque multa ad opem his morbis ferendam facit*. Ex hoc sequitur, vina alba tenuia, magis convenire calidioribus sive à natura, ut cholericis & sanguineis, sive ab accidenti, ut ex ira vel

mora in sole. Studiosis præterea magis conveniunt, & quibus exhibendum sit vinum minimè cerebrum perturbans; & habentibus cerebrum imbecillum, idque per naturam, sive ex accidenti; ex potenti enim vino facillimè inebriantur, ut innuit Avic. 3. 1. doct. 2. capite octavo. Attamen si uti voluerint vinis potentibus, necesse est ea copiosiore aqua dilui. Conveniunt quoque vina imbecilla hepar calidum habentibus & stomachum, & habitantibus in regione calida, quia calida vina in ipsis æstuationem facerent. Vina vero rubra clara, sicut Bellovacensia, calidiora sunt cęteris, ut autor est Galen. com. 6. lib. 3. de victus ratione in morbis acut. *Quod summè*, inquit, *calidum est, id continuò & flavum existit.* Et hęc vina etiam cæteris magis nutriunt, ut habet Galen. com. 11. lib. 2. Aphor. ubi dicit: *Crassa verò & colore rubea, plus alimenti habent, quàm reliqua vina.* Inest autem eis, & citissimè implere corpora evacuata: quod ita est intelligendum, Vina rubea dici nutribiliora, quia ex eis plus in substantiam membrorum convertitur. Vina tamen nigra possunt dici nutribiliora cæteris, quod magis nutriant, & tardius à membris resolvantur. Unde Galen. com. 8. lib. 2. Aphor. *Crassa*, inquit, *& fusca, multò magis corpus alunt quàm aquosa.* Tantùm vero vincuntur à nigrioribus in nutriendo plurimum, quantum superant in præstandò universum & velox alimentum. Ita enim intelligitur dictum Isaac in diætis particularibus, ubi contendit, vinum nigrum plus nutrire quàm rubeum. Et ista vina rubea magis feriunt caput quàm alba, minusque urinam cient. Hinc imbecillum habentibus cerebrum non conveniunt, ut dictum est, sed bene habentibus: forte, quod vapores ad se

elevatos non ſuſcipit, ut dicit Avicen. 3. 1. Doct. 3. cap. 8.

Vinum acuit ingenium.

Sciendum præterea, quod ingenium hominis fortis cerebri magis clarificetur & acuatur, ſi bibat vinum bonum, quàm ſi non biberet, ut Avic. teſt. loco citato. Ratio, quia ex bono vino plus quam ex quocunque alio potu, generantur & multiplicantur ſpiritus tenues, clari & puri. Quare Theologi in contemplatione circa altiſſima deligunt vina bona. Conferunt item hominibus frigidæ complexionis, & phlegmaticis, Avic. ibidem teſte. Corrigunt enim frigiditatem, & aperiunt oppilationes, quæ ſolent evenire frigidis & phlegmaticis, digeruntque phlegmata ad converſionem in ſanguinem, & ipſa facillimè digeruntur, citoque penetrant, præbentque alimentum purum, & ſpiritus plurimos. Vina verò cîtrina, minus calefaciunt quam rubea clara, ut teſtatut Galen. com. 6. lib. 3. de victus ratione in morbis acut. Magis verò calefaciũt quàm alba, quare magis etiam caput feriunt, teſte eodem Galen. com. lib. 3. de vict. rat. in morbis acut. Minus etiam nutriunt quàm rubea, excellentius tamen quàm alba. Et à quibuſdam hęc vina etiam alba vocantur. Hinc quidam dicunt, vina alba cito plurimum calefacere; vina verò nigra minus calefacere quàm citrina, ergo etiam minus ferire caput, ſed quia tardius deſcendunt in ventrem, urinamque minus cient quàm alba, vehementius caput feriunt quàm alba, ut habet Galen. loco paulo antè citato. Et ipſa vina plus etiam nutriunt quàm alba & citrina, minus tamen, quàm rubea: ut dictum eſt.

Iura è carnibus.

Tertium, ſorbilia facta ex juſculis carnium, & præcipuè pullorum. Hujuſcemodi enim naturæ amica ſunt, quia facillimè in ſanguinem commutantur,

tantur, & sanguinem bonum generant, maximè si præparentur ex simila, id est, ex subtilissima parte farinæ: quia simila, tritici præsertim, plurimum nutrit, & bonum nutrimentum præstat, ut patet ex Raze 3. ad Mansorem cap. 3. Hæc tria alimen. Avic. 21. Doct. 1. Summa. 1. cap. 15. circa finem, compendiose enumerat. Exemplum, inquit, subtilis, multi nutrimenti, boni chymi, ovorum vitelli, & vinum, & aqua carnis. Unde concluditur hæc tria naturam humanam maximè confortare.

Animadversio.

HOc generale præceptum Villanovanus restringit, & accommodat ad ova, ad vinum rubrum & ad juscula, cum Salernitanis propositum esset alimentum ἐυχυμον describere, & aliquot exemplis illustrare. Perperam itaque excurrit in laudem & virtutes ovorum, cum peculiare caput de ovis adjectum sit, in quo locus erit de illis differendi. Idem puta dictum de vino rubro. Villanov. carpitur.

Proponamus itaque quale debeat esse alimentũ in sua substantia. Substãtia in forma & materia consistit, ex quibus corpus naturale constituitur. Forma rei est id quod est & agere potest, quæ à Medicis tota substantia, seu totius substantiæ proprietas appellari solet, diversa quidem à temperamento, sed quæ tamen aliquando apud Galen. ut cap. 1. lib. 3. de temper. & cap. 1. lib. 1. & cap. 15. 4. simpl. ex calido, frig. hum. sicco certa proportione inter se mistis constare dicatur, quod temperamentum præcipuum sit formæ instrumentum. Verum cap. 3. lib. 6. de sanit. tu. & Alimẽti conditio penes substãtiam.

cap. 10. lib. 4. ſimpl. temperamentum à tota ſubſtantia diſtinguit, cùm ait conveniens alimentum aliud eſſe ſecundum qualitates, aliud ſecundum totam ſubſtantiam: illud ſenſu, hoc uſu diſcernitur. Ab hac totius ſubſtantiæ proprietate ſuus cuique animantium generi cibus eſt familiaris, Aſinis quidem & Equis palea, fœnum, Coturnicibus elleborus, Sturnis Cicuta, homini panis ex Galen. cap. 6. lib. 2. de aliment. & cap. 3. de ſatit. tuen. Etenim oportet toti nutrienti ſubſtantiæ cum tota nutriti natura communio aliqua & ſimilitudo intercedat, teſte Galen. cap. 2. lib. 3. de temp. quod fieri non poſſit ut aſſimilentur & mutentur inter ſe ulla, niſi ſocietatem aliquam cognationemque habuerint. Quod ſi alimentum familiare eſt, dulce etiam erit comparatum ei quod nutritur: dulce inquam, ſaltem potentia, cum nihil nutriat quod non ſit particeps dulcedinis, ut docet Galen. cap. 1. & 15. lib. 4. ſimpl. Et hæc de forma. Materia alimenti deprehenditur ex ejus duritie, mollitie, gravitate, levitate, denſitate, raritate, craſſitie, tenuitate, lentore & ſimilibus, quas notas eſſe Conſiſtentiæ monet Galen. 9. ſimpl. cap. de terra ſamia; quoniam hæ qualitates ex varia proportione humidi cum ſicco conſurgunt, quæ duo ſunt omnium mixtorum materia ex Ariſtot. cap. 1. lib. 4. meteor,

Alimẽti appellatio à ſubſtantia.

Porro propter familiaritatem & dulcedinem alimenti majorem vel minorem quæ ex forma reſultant, Alimentũ eſt & dicitur ἔυχυμον κ̀ κακόχυμον boni vel mali ſucci, πολύτροφον κ̀ ὀλιγότροφον multum vel parum nutriens. Pro conditione vero conſiſtentiæ bonæ vel malæ quę ſequitur materiam, alimentum ἔυπεπτον κ̀ δύσπεπτον nominatur, facilis vel difficilis coctionis ac diſtributionis. Eſt ergo

εὔχυμος cibus qui in omni excessus mediocritate consistens, laudabilem aut saltem vitii evidentis expertem sanguinem gignere potest, ex Galen. cap. 14. lib. 2. de alim. Ejus generis sunt lac, panis, ova, vinum. Contra se habet κακόχυμος: is enim vitiosum sanguinem, crassum, lentum, pituitosum, melancholicum producit, ut caseus, caro cervina, bovina, leporina. Alimentum πολύτροφον vocatur ex quo plurimum sanguinis generatur. Quod si & valentissimum & purissimum corpori præbeat nutrimentum omnes bonitatis partes implet, si purissimum, sed paucissimum, negligendum non est, si vero & copiosissimum & crassissimum, prorsus est vituperandum. Ex quo quidem patet cibum omnem ὀλιγότροφον non esse vituperandum, si quidem paucum, sed purum sanguinem gignat: at si parcum ac male nutriat, primus malitiæ locus tribuendus illi erit. εὔπεπτος cibus idem fere est qui εὐστόμαχος ventriculo gratus, quique facilè ab eo coquitur & in chilum mutatur, mutatus ad jecur facilè distribuitur: contrarius illi δύσπεπτος καὶ κακοστόμαχος: hujus dura & contumax, illius tenera mollis, & minimè viscida est substantia.

Cibus euchymus.

Cacochymus.

Multū nutriēs.

Hæc omnia vera sunt de alimentis inter se collatis, non autem ad varias hominum naturas, & vitæ genera relatis. Sic bubuli & rustici qui sunt θερμοκοίλιοι calidiore ventriculo, duriora alimenta facilius coquunt & conficiunt quàm teneriora. Novi hominem qui carnibus vitulinis & vervecinis admodum juvabatur, perdice aut columba lædebatur, adeout & vomitu & diarhoea prehenderetur. De se narrat Christoph. à Vega lib. 2. de arte medendi cap. 3. sardenas salitas sibi veneficas esse, sic ut parva quantitate ingestæ in mortis periculum deducerent cum symptomatis vene-

Hipp. 6. epid. sect. 4.

Historia.

natorum propriis. Legatur aphorif. Hippocr. 38. lib. 2.

De cibis bene nutrientibus & impinguantibus.

CAP. III.

Nutrit & impinguat, triticum lac, caseus infans,
Testiculi, porcinæ caro, cerebella, medullæ,
Dulcia vina, cibus gustu jucundior, ova
Sorbilia, & ficus maturæ, uvæq; recentes,

HIc referuntur, res duodecim, unde corpus humanum & nutriri & impinguari perhibetur.

Prima est triticum, id est, panis triticeus, de quo Avicen. 2. Cano. cap. 172. *Panis*, inquit, *qui est de frumento novo, impinguat velociter.* Razes vero. 3. ad Mansorem, cap. 2. *Triticum*, ait, *temperamento vicinum est, licet caliditati parum attineat.* Quod autem ponderosius invenitur & solidius, majoris est nutrimenti. Hominibus quoque omnibus aliis granis magis conveniens, & magis proprium invenitur. Sanguis etiam ex eo generatus, omni sanguine qui ex aliis generatur granis, temperatior existit. Et cap. 3. ejusdem lib. *Panis*, inquit, *qui ex tritico fit, pluribus hominum convenientior est.* Electio autem tritici sumitur partim à sua substantia, partim vero à præparatione. A substantia quidem, ut dicit Avic. 2. Cano. cap. 250. melius est illud, quod est medium inter duritiem & raritatem, magnum, pingue, recens, planum, quod est inter rubedinem & albedinem. Frumentum vero nigrum est mali nu-

trimenti. Electio ex præparatione. Sciendum, quod omnia quæ ſunt ex farina tritici frixa, tardè à ſtomacho deſcendant, craſſos humores generent, vias heparis oppilent, ſplenem augmentent, & calculum generent: multum quidem nutriunt, ſi digerantur. Triticum vero elixum in cibo gravat, & difficulter digeritur: quod ſi tamen digeratur, vehementer nutrit, & eorum roborat virtutem. Panes autem ad concoctionem appoſitiſſimi ſunt, qui plurimum fermentati, & probe elaborati, in clibano igne moderato percoquuntur, teſte Galen. lib. 2. cap. 2. de alimentorum facul.

Secunda res, lac eſt, & poteſt intelligi de lacte acetoſo, cui butyrum detractum eſt, quod ſi comedatur cum pane recenti, ſive calido, maxime impinguat. Intelligi etiam poteſt de lacte caprino. Lac.

Tertia res, eſt caſeus infans, ſive recens, de quo Avicen. Cano. 2. cap. 127. dicit, quod nutriat & impinguet. Et licet caſeus recens nutriat & impinguet, non tamen convenit in victus ſalubris ratione, quia ſequuntur ex eo nocumenta infrà enumerata. Caſeus.

Quarta res eſt, teſticuli, quod imprimis de gallorum pinguium teſticulis intelligendum eſt, de quibus Avicen. 1. Canon. cap. 719. dicit quod ſint valde boni, & plurimi nutrimenti. Et quarta 1. cap. 1. teſtatur, eoſdem quantitate multum nutrire. Idem ſentiri poteſt de teſticulis porcorum admodum pinguium, Venerem nondum expertorum. Etenim quanto horum caro aliis præfertur, tanto horum quoque teſtes aliorum animalium teſtibus. Galen. lib. 3. cap 6. de alimentorum facultа. Eſt hic quoque diligenter notandum, teſticulos animalium provectorum, in quibus ſemen jam fermentatum eſt, non eſſe boni nutrimenti, Teſticuli.

ſed teſticulos animalium juvenum, non Venerem expertorum; quibuſque ſemen nondum fermentatum eſt, laudabilis eſſe nutrimenti, ſi probe concoquantur.

Quinta, caro porcina, de cujus electione & effectu ſatis ſuperque dictum eſt infrà.

Cerebrum. Sexta, cerebella, pro cujus declaratione obſervandum, quod cerebrum ſtomacho ſit inimicum nauſeam concitet & cibi faſtidium, pituitoſum & craſſi ſucci: Si tamen probe confi i poſſit, alimentum corpori non infimæ notæ præſtabit. Attamen cavendum, ne in cibis poſtremo loco ſumatur, nimirum ipſa loquente ex perientia nauſeam poſt conſecuturam. Neque injuria plerique cum origano ſumptitant, uti nonnulli cum apparato variis modis, ſale: quippe cùm craſſo ſucco & ſuperfluo conſtet, incidentibus, & calefacientibus contemperandũ eſt. Quod quidem antequam comedatur, ſuper ardentibus carbonibus aſſandum eſt. Nocet autem iis quos frigidæ infeſtare ſolent ægritudines. Hominibus vero complexionis calidæ minorem noxam præſtat, teſte Rhaze. 3. ad Manſorem, cap. 11. In ſumma, parum convenit in victus ſalubris ratione. Aliquando tamen convenit ut medicina, ſicut cerebrum capreoli confert contra venena & morſum venenatorum, & cerebrum leporis contra tremorem, & ut quibuſdam placet cerebrum pulli & caponis ad memoriam & acumen ſive vigorem ingenii. Circa electionem tamen ſciendum, meliora eſſe avium, & præcipuè montanarum. Ex cerebris autem quadrupedum, præfertur arietis, deinde vituli, ut teſtatur Avicen. 2. Can. cap. 329.

Medulla oſſium. Septima, eſt medulla, quę multi nutrimenti eſt, ſi quidem bene digeratur, ut dicit Avic. 2. Can. cap.

496. Etiam facilè in ſanguinem convertitur, hoc tamen mali pręſtat, quod provocat nauſeam, & cibi faſtidium. Quare Avicenna teſte, ſeminibus & pipere condienda eſt in cibo; quod delicatuli quidam & Apitii faciunt ciconiis & paſſulis. Electio Dicit Avicenna: Convenientior eſt medulla vitulorum & cervi, deinde tauri, & poſtea caprarum, deinde ovium.

Octava, dulcia vina, de quibus infrà.

Nona, cibus guſtu jucundior, hic enim maximè nutrit, juxta Aphor. 38. lib. 2. Hipp. Parum deterior potus, aut cibus, ſuavior autem, melioribus quidem, ſed minus ſuavibus eſt pręferendus. Et Galen. in comm. ait: Quęcunque cum voluptate adſumuntur, iſta ventriculus avidius amplexatur, facilius concoquit, ſicut illa quæ diſplicent, refugit; unde & nauſeæ, & flatus, & fluctuationes ſubſequuntur. Hinc quidam majus nutrimentum conſequuntur ex cibo malo quàm bono, quia malo magis delectantur.

Decima, ova ſorbilia, quæ parva quantitate multum nutriunt. Sed de his ſuprà. Ova ſorbilia.

Undecima, maturæ ficus, quæ dulcedine ſua multum nutriunt & impinguant. Et licet nutrimentum habeant imbecillius nutrimento carnis & granorum, vehementius tamen omnibus aliis fructibus & nutriunt & corroborant, teſte Avicen. 2. Canon. cap. 233. ubi ſic inquit: Ficus quidem nutribilior eſt cęteris fructibus. Idem. 3. 1. Doct. 2. cap. 7. Fructus, inquit, nutrienti magis ſimiles ſunt, ficus, & uvæ valde maturæ, & dactyli. Electio. Avicenna 2. Canon. cap. 233. Melior eſt alba, deinde rubea, deinde nigra, & quæ vehementer matura eſt, melior eſt, & proxima ad hoc ut non noceat. Ficus.

Ficus item humidæ & recentes, magis velociusque nutriunt quàm siccæ, & citius de stomacho ad hepar pertranseunt, ipsumque magis humectant, & lenius reddunt quàm siccæ: siccæ vero minus inflant, & magis conveniunt stomacho quàm humidæ. De siccis Avic. loco jam citato sic inquit: Sicca quidem in suis operationibus est laudabilis, verùm sanguis ex ea generatus, non est bonus, & propter hoc facit pediculos: verùm si sit cum nuce, tunc ejus chymus fit bonus, & post nucem cum amygdala. Sequitur in Avic. Administratio siccæ cùm jejunium adest, est mirabilis juvamenti in aperiendo vias cibi, & proprie cum nuce & amygdala, cum tamen ejus nutrimentum cum nuce sit plus quàm cum amygdala. Utręque ficus in hoc conveniunt, quod inflent, leniant, superfluitates ad cutem expellant, sudorem provocent, asperitatem gutturis emendent, & leniant pectus, pulmonem, & cannam ejus, obstructiones hepatis, splenis, & renum tollant.

Vvarum triplex genus.

Duodecima, uvæ recentes, id est, dulces & maturæ. Porro, triplex uvarum genus est, nam quędam sunt immaturæ & acerbæ; unde fit agresta, quæ stringit ventrem, choleram rubeam, atque sanguinem reprimit. Plurimum item confert in fluxu ventris cholerico, Aliæ sunt maturæ, virides, recentes, ex quibus vinum exprimitur. Hæ pręcipuè, si albæ fuerint, sine nucleis & cortice, ventrem laxant, & præ cæteris fructibus plurimum nutriunt, quemadmodum & ficus, minoris tamen nutrimenti sunt, quàm ficus. Avicenna 2. Canon cap. 737. Attamen ventositatem, inflationes & ventris dolorem generant. Si per duos vel tres dies à collectione aëri suspensæ ex-

ponantur, donec cortex detumeſcat, melius nutriunt, minuſque laxant, neque tantum inflant. Habentibus autem ſtomachum plenum cibo, & malis humoribus, nullo modo conveniunt uvæ, & in primis recentes, & ſine acinis. Citò enim in ſtomacho immundo & pleno cibis corrumpuntur, quia citius quàm par eſt digeruntur, nec poſſunt digeſtæ è ſtomacho ob cibum nondum concoctum deſcendere, quare cùm ipſæ corrumpuntur, tum alium cibum in corruptionem trahunt. Ita & de aliis fructibus laxativis ſentiendum eſt. Si quis velit uti uvis viridibus ac recentibus, prius per horam in aquam ferventem infundantur, deinde in aquam frigidam, ac tandem utatur. Rhazes vero 3. ad Manſorem capite 20. teſtatur velociter corpus impinguare, & augmentare erectionem virgæ. Quæ autem ex eis corticem habent tenuem, citius deſcendunt, minuſque inflant. His contrariæ, contraria operantur. Aliæ uvæ ſunt ſiccæ, quæ paſſulæ vocantur, hæ in calore ſunt temperatæ, bene nutriunt, & confortant ſtomachum, & hepar; autore Avicen. 2.Canon. cap. 737. & oppilationes removent. Dicitur quoque hepar. ex eis impinguari, & maximè ſi mundentur ab acinis. Et ita intelligenda ſunt quæ hic dicuntur de uva matura, recenti & de vua ſicca quam paſſulam vocant.

Animadverſio.

QUos impinguantes cibos Salernitani vocant, nos cum Græcis πολυτρόφους multum beneque nutrientes exponimus: quod ex ſubje- Cibi multũ nutriẽtes.

ctis in hoc capite exemplis cuivis licebit deprehendere, ubi omnia εὔχυμα sunt καὶ πολύτροφα. Unum restat exponendum omissum à commentatoribus, & à paucis demonstratum; quomodo quis & quibus cibis impinguari possit. Equidem Villanovanus rem exposuit lib. de regim. sanit. cap. 7. sed meo quidem judicio non satis accuratè. Nicola. Taurellus comm. in illud cap. totum negotium breviter & eleganter absolvit, cujus verba priusquam adducam, observabis discrimen esse inter pinguem habitum & corpulentum; nec enim εὐσαρκία, πολυσαρκία junctam perpetuo habet πιμελὴν pinguedinem, à qua pingues & obesi dicuntur Polluc. Onoma. lib. 2. cap. 4. πιμελώδεις καὶ ἐπιπίμελοι, sicut à copia carnis alii dicũtur εὔσαρκοι, πολύσαρκοι, σάρκινοι; Aristoph. σαρκώδεις Hippocr. lib. de salubri diæta hoc est carnosi, crassi, corpulenti, membrosi. Uterque autem habitus pinguis & corpulentus videtur apud Hippocr. vocabulo παχυσμοῦ designatus, nam Galen. & Hippocrat. vocant sine discrimine pingues & corpulentos πάχεας; licet ut dixi corpulenti omnes non sint pingues, nec omnes pingues membrosi. Porro & caro & pinguedo easdem omnino habent causas materialem & efficientem, materialis est sanguis à quo & caro & adeps generantur, efficiens est alteratrix virtus partium & assimilatrix, quæ sanguinem convertit primo in carnem dein in pinguedinem. Explicat autem modum Taurellus. *Natura*, inquit, *primum carnem generat, ut pote cujus opus magis ad vitam necessarium existat, ubi vero certum & definitum natura modum nacta fuerit sanguinis alteratione non auget quidem, sed quod generatum est nutrit, atque conservat. Cum autem multum adhuc utilis ali-*

Quomodo quis impinguari possit.

menti superſit, ex hoc natura non carnem generat (ut omnia facit optimè) ſed pinguedinem; his potiſſimum de cauſis, tum ut eorum animalium quæ ſunt eſui deſtinata caro ſuavior & nutritioni magis accommodata redderetur, tum ut alias levi & aërea (ne gravitas motui eſſet impedimento) pinguedinis ſubſtantia, naturalis partium calor foveri poſſet. Hæc ille. Si quis rationem procurandæ εὐσαρχίας ſcire deſideret, legat Galen. lib. ſexto de ſanit. tuen. cap. 8. Turiſan. queſt. 59. lib. 2. in artem parvam; & multa alia apud Aemil. Pariſan. lib. 9. nobilium exercitationum de ſubtilitate exercitat. 3. Epiph. Ferdinand. lib. obſervat. hiſt. 82. Thomam Minadoum cap. 41. & 42. lib. 3. de humani corporis turpitudinibus. Explicationi particularium exemplorum nihil addo, licet multa caſtiganda eſſent, multaque addenda, ſed fortean commodior locus dabitur examinandi ſingula. Pergamus ergo.

De cibis vitandis mali ſucci & difficilis coctionis.

CAP. IV.

Perſica, poma, pyra, & lac, caſeus, & caro ſalſa,
Et caro cervina, & leporina, bovina, caprina.
Atra hæc bile nocent, ſuntque infirmis inimica.

HIc recenſentur decem ciborum genera, quæ ſanguinem ſeroſum & melancholicum efficiunt, quæque infirmis nocent.

Primum, perſica, de quibus lib. 2. cap. 19. de

aliment. facult. disertè ita Galenus scribit. Ipsorum succus, & veluti caro, facilè corrumpitur, pravaque omnino est. Quocirca (quod quidam facere solent) non sunt post alios cibos mandenda: corrumpuntur enim in superficie natantia. Sed in omnibus, quæ pravi quidem sunt succi, verùm humida sunt ac lubrica, & quæ subduci facile queant, id communiter tenendum, ea ob hoc ipsum ante alios cibos esse sumenda. Ita enim fiet, ut & citius subducantur, & aliis cibis viam muniant. Quæ si sumpta postrema fuerint, unà secum alia quoque corrumpent. Atque inde sane patet, hoc dictum de iis intelligendum persicis quæ matura post alios cibos ultima eduntur. Præsumpta enim stomacho conferunt, ventrem leniunt, & ciborum appetentiam pręstant. Dioscorides etiam lib. 1. idem testatur, in eum modum scribens: Persica matura tam stomacho, quàm ventri utilia sunt. Acerba alvum cohibent, sed sicca vehementius. Decoctum è siccis alvi stomachique fluxiones sistit. Simeon quoque Sethi de persicis hæc refert. Persica, inquit, quidam in tertio ordine refrigerantium humectantiumque posuerunt: alii in primo, alii vero in secundo, quod etiam certius est, phlegma generant, non facilè concoquuntur, celeriter in ventriculo corrumpuntur, propterea qui crebrius ad sanitatem his utuntur, in febres incidunt, lædunt & nervos proprietate quadam. Oportet verò hæc ante cætera cibaria assumere, & super his meracum bibere. Quæ ex his matura sunt, ventrem ducunt, immatura contra sistunt, eoque efficacius sicca. Foliorum succus in potu sumptus, lumbricos ventris perimit; idem perficit si cum foliis umbili-

Persica prima mensa edenda.

co apponatur. Suscitant quoque ciborum appetentiam persica, prosunt & inflammato ventriculo, & genitali semini adjiciunt, serosum tamen sanguinem parant, sępiusque post unum vel alterum mensem ob putredinem febres tum longiores, tum etiam difficulter solubiles gignunt.

Illud etiam observare oportet, ne super hæc aqua bibatur. His amplius addit Plinius Valerianus, persicorum foliis siccis, & in pulverem redactis, plagas cruentorum vulnerum claudi, quam facultatem Serapion ipsis etiam persicis siccis attribuit. Quanquam autem persica jam dictis viribus prædita sunt, quia tamen humor inde genitus facilè corrumpitur & putrescit, noxia sunt infirmis, & maximè si prępostero ordine ac intempestivè sumantur. Infrà.

Secundum, poma, sive mala: In quibus, autore Simeone Sethi, multa differentia est: quæcunque enim astringunt, frigidum habent & terreum succum. Quæ acria sunt, frigidum quidem, verum tenuem illum habent. Medii autem temperamenti sunt dulcia, quæ ad caliditatem magis vergunt. Omnia certè quadam peculiari proprietate nervis nocent, nocent & quæ matura non sunt. Dicuntur & lapidem seu calculum gignere iis, qui ad satietatem iis utuntur, verùm utilia sunt ad λειποθυμίας, id est, animi deliquia, & cordis debilitatem. Spiritum quoque flatulentum in secunda concoctione generant, eoque infirmis nocent, sicuti de pyro mox dicetur, & hoc de crudis maxime intelligendum est.

Neque vero ab his solum fructibus ægrotos abstinere convenit, sed ab omnibus etiam, quæ sanguinem seroso ac ebulliente succo replent. Ejus-

modi plane ſunt recentes, & qui ante perfectam maturitatem eduntur: cum enim humidius alimentum, ob idque excrementoſius præbeant, non ſecus in corpore humano fervent, & ebulliunt, atque vinum, quod nuper ex fructibus vel uvis expreſſum eſt in doliis, & hoc quidem ob caliditatem ipſis à ſole cum matureſcerent, ingenitam; quemadmodum lib. 4. cap. 3. de uſu part. Galenus atteſtatur.

Et hoc certè, Avicen. 3. 1. doc. 2. cap. 7. teſte, commune eſt omnibus cibariis, quæ ſanguinem ſeroſo ſucco implent. Porro etſi verò hoc interim ſpatio, quo manduntur, humectent, ob ſucci tamen ebullitionem prompte in ventriculo corrumpuntur, & ſanguini putrido gignendo accommodatiſſimi ſunt, qua de cauſa non temere Avicen. 1. 4. Tract. 2. cap. 7. fructus recentes omnes febricitantibus interdixit. Plura Galenus lib. 2. cap. 21. de alimento facult. & infrà.

Pyra. Tertium, pyra, quæ ſanè, perinde ut & alii fructus recentes ac crudi, communiter hoc poſſident, ut ſeroſo ebullientéque ſucco ſanguinem expleāt, eumque putrefactioni obnoxium reddant, quò fit ut eorum cibus, Plin. lib. 23. cap. 7. teſte, non ægrotis ſolum, ſed valentibus etiam oneroſus ſit. Inflationes quoque excitant, & ob id crebrius eſitata colicos affectus ſuſcitant. Sed innoxia fiunt, ſi unà cū carminativis vulgò dictis, hoc eſt, calefacientibus, tenuantibus & flatum expellentibus comedantur, vel ſuper his vinum vetus & odoratum bibatur. Quod Galenus lib. 1. cap. 26. de aliment. facult. palàm etiam ita ſcribens confirmat: Quicquid omnibus cibariis ineſt flatulentum, id per calefacientia & tenuantia corrigitur. Pyris præterea ea facultas ineſt, ut inter cæteros fructus

quàm maxime impinguent, quare ſues ipſorum eſu magis, quam quorundam aliorum fructuum pingueſcunt. Laudatiora ſunt odorata & dulcia, & ex ipſis cocta, quàm cruda, meliora. Coquenda verò cum fœniculo, aniſo, & ſaccharo. Infrà.

Quartum, lac, hoc enim facile corrumpitur, inque nidorem aciditatémve in impuro ventriculo tranſit. Quapropter putrida febre correptis exhibendum non eſt, quia plurimo calori converſatum, in nidorem ſtatim abit. Huc accedit quòd in ventriculo febricitantium haud concoquatur, ſed potius corrumpitur, adeoque febres auget. Caput quoque dolentibus malum eſt, quod confirmat Galenus, qui lib 3. de alimen. facult. cap 14. Lact. capiti, niſi quis ipſum habeat admodum firmum, non eſſe accommodum tradit. Cujus quidem rei cauſa alia non eſt, quàm quod lac ſit nidoroſum ac facile evaporet, caputque petat, adeoque dolorem augeat Nocet pręterea ſitibundis & aliis nonnullis, de quibus Hippocrates apho. 64. lib. 5. & ibidem Galenus. In phthiſi tamen, hectica, & aliis quibuſdam paſſionibus, ut Hippoc. loco jam citato autor eſt, utiliſſimè conceditur. Qua de re copioſius infrà. Lactis uſus.

Quanquam autem lac infirmis ex uſu non ſit, in ſanis tamen ad bonos humores gignendos, ex iis prę ſertim animalibus, quæ bono corporis habitu ſunt, probatiſſimum habetur, & hoc quidem ſi in ventriculo & hepate perfectè concoquatur. Tunc enim mordaces ſuccos, quoſcumque invenerit, expurgat, qua de cauſa in urinæ difficultate & acri egeſtione alvi, non ſolùm bibere conducit, ſed etiam infernè per clyſterem infundere. Ad acres enim & mordaces fluxiones commo-

dissimum est, non solùm abluens ipsas de partib⁹ infestatis, atq; hoc per exterioriam humiditatem, quam in serosa sui parte complectitur, sed etiam crassitie ac pinguedine sua corporibus oblitum ac inductum, non sinit influxum aërem nudis ipsis allabi. Ad pulmonis itaque ac intestinorum ulcera, Item renum, vesicæ ac uteri, & ad papularum eruptiones, & furunculos, & alias cutis asperitudines convenientissimum est in potu, adeoque cutē ipsam pulchram ac nitidam reddit. Ad hęc, lancinamenta ex Veneni potione, & quæ in urinæ meatu fiunt, compescit.

Item ad eos qui cantharidas hauserunt, aut buprestin, & in summa ad medicamenta erodentia ac exulcerantia, & ad hyosciamū, velut peculiare remedium est. Nam statim resipiscere affectos facit. Cęterum in gutturis exulcerationibus, quæ cùm ob alias multas causas, tum ex anginis fiunt, & his qui ephemerum sumpserunt, lac gargarisare conducit.

Corporibus prętere a temperatis, quorum ventriculis nihil biliosi & phlegmatici humoris insidet, utilissimum habetur. His enim bene concoctum multum nutrimenti summitit, probum succum generat, bonam carnem longè meliorem reddit, & corpus convenienter humectat.

Hoc tamen in primis cavere debet, qui lac bibere voluerit, ut interim à reliquis cibis ac potibus abstineat, donec concoctum sit ac secesserit. Si enim ante ejus concoctionem, alium cibum quis sumat, necesse est & ipsum lac corrumpi, & cibum qui superingestus est. Pręstat autem manè bibere recens mulctum, & tunc plures labores detrahere, quietè ac sensim ambulare, & interim cessare citra somni admissionem. Qui enim hoc modo

modo se gesserit, potum lac excernet, idque inutilia secum educet. Opus est enim si quid aliud, primum acceptum secedere, quo facto aliud bibere. Principio igitur secedit alvo, commodè purgans non totam corporis molem, sed quæ in alvo & intestinis sunt, partibusque vicinis. Post hæc jam in venas defertur, optiméque nutrit, & non amplius secedit, sed ventrem sistit.

Corporibus verò distemperatis infestum inimicúmque est. In calidioribus enim cito in nidorem atque bilem, in frigidioribus verò in aciditatem & putredinem commutatur.

Circa electionem denique lactis sciendum, pro ipsorũ animalium specie haud parvam esse differentiam; Boum nãque lac, crassissimũ ac pinguissimum, & concoctu difficile est, & ob id in ventriculo in flatus vertitur, venarúmq; obstructionem parit. Liquidissimum autem ac minimè pingue, est camelorum, moxe quarum, deinde asinarum, medię autem consistentiæ, est caprarum, hoc crassius ovium. Lac igitur caprarum, cùm inter cætera lactis genera moderatè se habeat, neque pingue admodum, neq; crassum sit, meritò in victus salubris ratione præfertur. Quin & caprarum inter se invicémque collatarum, & secundum anni tempora, non parva differentia est. Earum enim quæ modò pepererunt, lac liquidissimum est, sed temporis progressu, magis semper ac magis incrassescit; æstate verò media, ipsum etiam in medio suæ naturæ consistit, post id tempus sensim jam crassescit, quoad penitus deficiat. Vere autem ut liquidissimum, ita etiam copiosissimum est. Quo fit, ut eligendum sit lac caprarum, non quidem prægnantium, sed enixarum, quæ tamen, quod ad partum ipsum attinet, medio-

Lactis varia genera.

criter se habeant, hoc est, quæ neque nuper enixæ sint, neque multum à partu recesserint, hoc interim non neglecto ut ipsis etiam alimenta propria affatim suppetant.

Ac ne illud quidem silentio prætereundum hoc loco, quòd lac caprinum sine melle sumptũ, haud citra periculum sit. Plerisque enim qui purum illud hauserunt, coactum est in ventriculo in speciem casei, quod quidem quum accidit, mirum est quàm aggravet hominem ac strangulet. Ob eam causam, lac ubi sumunt nonnulli, ne in ventriculo coaguletur, mellis, aquæ & salis nonnihil admiscent. Atq; hæc quidem hoc loco de lacte sufficiant. Plura Galenus lib. 3. cap. 14. de alimen. fac. & lib. 10. ca. 7. de med. simpl. facult. & in lib. de cibis bon. & ma. succi. cap. 6. Paulus lib. 1. cap. 86. & 87. & Ætius lib. 2. cap. 92. & 93.

Caseus

Quintum, caseus; quod quidem cùm de omni caseorum genere, tum de inveterato cum primis intelligendum est. Hic enim ob coaguli & salis dum pararetur injectionem, temporis progressu acrimoniam assumpsit, humiditatémque omnem deposuit, quare seipso etiam acrior, & manifestè calidior, atque ardentior evasit, & ob id ipsum pejoris quoque & crassioris succi, & ægrius concoctilis effectus est. Præsumptorum quidem concoctionem adjuvat certè, sed ipse difficilius concoquitur. Atque hinc adeò jam vulgò dici solet:

Caseus est nequam. quia concoquit omnia, se quam

Nutrimentum habet exile, stomacho nocet, & ubi forte fortuna in corpore supercalefactus fuerit, qnemadmodum disertè Galenus libro tertio cap. 6. de locis affect. scribit, facilè melãcholicum humorem parit, Recens flatuosus quidem minus est, sed ventrem magis sistit, magisque siticulosus

eſt, nec ad calculorum in renibus procreationem minus exiſtit noxius. Deterrimum præterea edulium eſt iis, quemadmodum hoc ipſum Hippocrates lib. 4. de vict. rat. in morb. acu. Apho. 92. clariſſimè oſtendit, qui ſe potu repleverunt. Gravat ſi quidem os ventris, primúmque corrumpitur, & alia deinceps ſecum corrumpit. Fugiendus igitur eſt ejuſmodi, ut qui nihil conferat, neq; ad coctionem, neque ad diſtributionem, neque ad movendam urinam, neque ad ventris dejectionem, ceu utique nec ad ſucci probitatem.

Porrò recens ac mollis caſeus; frigidi humidique temperamenti eſt, & duro ſiccoque flatuoſior exiſtit, ſed eo minus aſtringit, minúſque craſſi ſucci eſt, nihilominus tamen ægrè conficitur, obſtruitque & calculos gignit

At verò qui inter utrumq;, recentem nimirùm & inveteratum, glutinoſum & friabilem, durum ac mollem, rarum laxúmve & valde denſum coactúmve medius exiſtit, quique dulcedine nonnulla participat, modicéque ſalſus eſt, neque lachrymas, cùm inciditur profundit, neque tardius alvo ſecedit, ſed odore & ſapore jucundus, moderatéq; pinguis eſt, atq; ex bono lacte pulcherrimè elaboratus, is utiq; reliquis omnibus longè multúmq; præſtat. Verum poſt alios cibos ultimo loco, & exigua planè copia ingerendus eſt, alioquin & ipſe, nihilo ſecius ac reliqui caſei, ventriculum gravat, coctionem impedit, alvum cohibet, craſſos humores atque flatus in corpore, lapidemque in renibus parit. Solus igitur

Caſeus ille bonus, quem dat avara manus.

Plura de hoc apud Galenum libro tertio, capite decimo ſexto, de alimen. facul. & libro decimo, capite 9. de ſimp. med. facul. & in libro de cibis

boni & mali ſucci, cap. Paulum lib. 1. cap. 89. & cap. Aetium lib. 2. cap. 101.

Caro ſalſa.

Sextum, caro ſalſa. Caro enim ſalè condita, atque ſole deinde aut vento, ſive fumo exarefacta, cujuſcunque ea generis, vel animalis fuerit, ſubſtantia cùm duriore, tum ad coquendum etiam difficiliore conſtat, & tardius permeat. Alimentum quoque corpori præbet exiguum & mali ſucci, ideoque ſanguis inde generatus craſſus exiſtit atque melancholicus, ac proinde, ſi frequens ejus uſus fuerit, non ſolùm infirmis, verum etiam ſanis officit, quemadmodum id ipſum ex Galeni lib. 3. cap. 6 de locis affect. & comm. 18, lib. 2. aphor, & poſt eum ex Avicennæ 2. 1. doc. 2. in fine cap. 15. apertè colligitur.

Cervina.

Septimum, caro cervina, cui & ipſi ſanè cum omnibus duris & ſiccioribus carnibus hoc commune eſt, ut ſuccum vitioſum, cōcoctu difficilem, ac melancholicum generet. Id quod Gal. in lib. de rerum affect. digno & medicat. cap. 16. clariſſime oſtendit. Cervinam, inquit, carnē vitabis, quippe quæ dura ſit, concoctu difficilis, & melancholica. De ea hoc amplius Simeon Sethi ſcribit: Unice cavendum, ne quis carne veſcatur cervorum, qui per æſtatem capiuntur, quod eo nimirum tempore viperas ſæpè & ſerpentes devorent, atque ideo ſitibundi admodum fiant: attamen, cùm naturæ inſtinctu edocti noverint, ſibi futurum exitio, ſi ante illorum cōcoctionem aquam hauſerint, fortiter ſitim tolerant, eaque incenduntur. Cervorum igitur carnes eo anni tempore venenoſæ ac valde noxiæ ſunt, & idcirco obſervandum, ne quis eis per æſtatem veſcatur: At verò hyeme tutius ſumuntur, meliuſque ab innato calore ſuperantur. Niſi enim probe concoquantur, craſſum humo-

rem generant, jecurque & ſplenem obſepiunt obſtruuntque. Quinetiam corpus tremulum atque infirmum evadere ex frequenti & immoderato hujuſmodi carnis eſu traditur.

Octavum, caro leporina. Hanc Paulus, Pſellus, & Rhazes inter cibaria atram bilem gignentia connumerarunt. Simeon Sethi, quaſi colligens quæcunque à veteribus dicta erant, in hunc modum de ea ſcribit: Leporum carnes, his qui exſiccare corpus volunt, ſunt valde utiles. Qui vero temperatura ſunt ſicciore, minus conferunt, ſanguinem enim craſſarum partium & melancholicum gignunt, alvum cohibent, & urinam proritant. Quod ſi tamen probè concoctæ fuerint, non omnino malè nutriunt. Contrà verò, obſtructionem hepati ac ſpleni efficiunt, pulmonique nocent, & immodicis torquent vigiliis Iſacus in diætis univerſalibus, leporinam pro pharmaco potius quàm alimento habendam cenſet. At ne hoc quidem ignorandum, quod tum hæc caro, tum cervina quoque, ſi fuerint animalium ætate declinantium, ſimpliciter ſint evitandæ. Si quis tamen comedere omnino expetat, ei ſanè partui propinquiores ſunt eligendæ, quo nimirum naturalis earum ſiccitas ab ætate temperetur. Eadem ratione & pinguiores longè cæteris antecellunt. Siccitas namque pinguedine correcta ad mediocritatem in ejuſmodi animalibus inflectitur. Verùm de hac ipſa Joanne Manardo, lib. 13. epiſtola. 4. diligentius nemo diſſeruit. Leporina.

Nonum, caro bovina, circa quam notandum in primis, & fæminam ipſam, quæ vacca dicitur, & utrumque marem, tam eum, qui caſtratus eſt, quàm eum etiam, qui integer ad ſpeciei propagationem reſervatus nominatur, communi hac Bovina.

boum appellatione ſignificari. Atque hi ſanè non parum inter ſe ætatis ratione differunt. Extremæ namque ætates, ut in aliis non paucis, ita in his quoque vitioſæ ſunt; mediæ vero optimæ & ſaluberrimæ. Vitulorum igitur recens editorum caro nimis mucoſa & excrementitia eſt. Bimeſtres autem, quique paulo ultra citrave eam ætatem conſiſtunt, temperamento viciniores ſunt, & carnes habent ad concoquendum perfectis bobus præſtantiores, & multum alimenti corporibus exhibent, bonique ſucci habentur. Provectiores vero, qui tamen florentem ætatem nondum attigerunt, temperamento ſunt quàm ſenes minus ſicco, magiſque iis juvenibus conveniunt, qui bono ſunt corporis habitu. His perfectæ ætatis boves valentius ovidem alunt, ſed ægrius tum concoquuntur, tum in membra diſtrahuntur. Porro ad ſenium vergentium atque ipſorum etiam ſenum carnes, duræ, ſiccæ, nervoſæ, concoctionique rebelles ſunt, & melancholicum humorem efficiunt, ſoliſque ventriculos habentibus calidiores, atque illis inſuper, qui vehementer ſeſe atque immoderatius exercent, concedi poſſunt. Quod lib. 4. de vict. ratio. in morb. acut. aphor. 99. Hippocrates etiam ita ſcribens atteſtatur. Bubulæ carnes melancholica proritant παθήματα. Nempe harum natura inſuperabilis eſt, nec quivis ventriculus eas concoquere poteſt Galenus quoque lib. 3. cap. 1. de aliment. facult. iiſdem ferè confirmat verbis: carnes bubulæ alimentum quidem & ipſę corpori ſuggerunt non mediocre, neque diſſipatu facile, ſanguinem tamen generant, quàm conveniat, craſſiorem. Quòd ſi quis temperamento naturali melancholicus magis fuerit, affectu aliquo melancholic opræhendetur, ſi largius his veſcatur.

Affectus autem melancholici ſunt, cancer, elephas, ſcabies, lepra, febris quartana, & quæ peculiari nomine Melancholia nominatur: Lien itẽ quibuſdam à tali ſucco intumeſcit; quam rem καχεξία id eſt, pravus habitus & hydropes ſæpe numero conſequuntur.

Cæterùm qua ratione incommodis, quæ frequentiorem earum eſum excipere ſolent, providendum ſit, luculenter & perſpicuè Simeon Sethi in hunc modum ſcribens edocuit. Si quis eas edere velit, ſummaque cupiditate appetat, vel cogatur etiam, is medeatur nocumento quod inde futurum ſperatur, aceto & alliis cum ruta intingens. Idem quoque autor eſt, earumdem jure ſive brodio, ζαμῖ Græcis appellato, fluxus ventris ex flava bile cohiberi.

Vaccinæ, cùm præter ſucci pravitatem etiam ſexus ratione frigidiores ſint, merito à ſanitatis tutela eximuntur. Non tamen ab eis, quemadmodum nec ab aliis, quæ hactenus dicta ſunt, ex toto abſtinendum eſt, ſed omnibus interdum, optimis vero, quantum fieri poteſt, ſæpius utendum. Vaccina.

Decimum, cāro Caprina, de qua idem fermè, quod de bovina dicendum. Hædi enim perinde ac vituli, carnes ad conficiendum perfectis capris meliores, & tuendæ valetudini accommodatiores habent. Moderatè nutriunt, ſanguinemque tenuem & humidum gignunt. Prę́ſtantiores & probioris ſucci ſunt lactentes adhuc, & maximè ſi neque tenelli admodum, neque natu grandiores fuerint. Simeon Sethi rufos & glaucos; Rhazes vero rubros in nigrum inclinantes, ac pingues prę́fert. Baldacho fœmellæ quàm maſculi carnem temperatiorem, & à ſiccitate remotiorem eſſe placet. Mirificè calidis & ſiccis temperaturis, at- Caprina.

que insuper delicatis & otiosæ vitæ deditis, conferunt. Hirci carnem quidem habent minimùm humidam, pituitosam, ac lentam, ob fœtorem tamen ingratam, & stomacho inimicam: ægre concoquitur, & ad succum bonum generandum parum idonea est.

Arietina. Hanc sequitur Arietum, post, taurorum. Porro in iis omnibus carnes castratorũ sunt prȩstantiores: senum autem pessimæ. Caprina in tota valetudinis cura observationeque vitanda est. Nam Hippocrate lib. 4. de vict. rat. acutorum, aphor. 101. teste, habet mala, quæ in bubulis sunt omnia, & cruditatem, estque flatuosior, & ructus magis generat, acris est, malũque succum efficit. Ineunte tamen æstate, & circa ejus medium, capræ melius agunt longeque seipsis in cibo præstantiores evadunt: tunc enim arborum & fruticum surculi & germina, quæ iis maxime idoneam prȩbent alimoniam, frequentissima sunt; ac proinde habiliores etiam, ac pingues, nobisque alendis accommodatiores fiunt.

Quod autem alimonia ad carnis bonitatem plurimum possit, argumento sunt evidentissimo vulpes, quæ autumno probatissimam ob uvas habent carnem. Sic passer & ficedula per idem tempus maximè laudabilem carnem obtinent. De caprina plura Galenus lib. 3. cap. 1. de aliment. facul. & de attenuante diȩta cap. 6. & comm. 101. 102. in lib. 4. Hippoc. de vict. ratio. in mor. acut. & Paulus lib. 1. cap. 84. & Aëtius lib. 2. cap. 119. Atque hactenus quidem de cibis & carnibus vitandis.

Exigit nunc ordo, ut de electione alimenti, quod partim à jam dictis, partim verò ab aliis quibusdam animalibus sumitur, nonnihil etiam dicatur. Si quidem de eo haud parva inter ipsos artis medi-

cæ ſcriptores controverſia eſt. Galenus enim ut & alii nonnulli, porcinæ palmam detulit: Rhazes verò, Avicenna & Averrhoes hædinam prętulerunt. Sunt etiam quibus vitulina præſtantior videatur. Porro electio hęc & pręſtantia multipliciter attendi poteſt. Et primò quidem ratione tum ſimilitudinis, quam cum humanis obtinent carnibus, tum majoris quoque & diſcuſſu difficilioris alimenti. Quo ſanè modo

Porcina cęteris omnibus longè antecellit. Maxima enim illi cum humano corpore ſimilitudo eſt, quemadmodum Galenus lib. 3. de aliment. facul. cap. 1. diſerte iis verbis oſtendit. Suillæ carnis ſimilitudinem cum humana ex eo poteris intelligere, quod quidam carnes humanas pro ſuillis ſine ulla in guſtu vel olfactu ſuſpicione comederunt, id enim ab improbis hoſpitibus, & aliis quibuſdam factum fuiſſe jam compertum eſt. Idem lib. 10. de ſimpl. medica. facul. cap. 2. Sanguis, inquit, ſuillus humano maxime temperie ſimilis eſt, Siquidem & carnes ſuum humanis ſunt ſimiles. Comperti enim ſunt hoſpites & coqui complures, qui humanas carnes pro ſuillis venderent: tametſi qui eas ediſſent, nullum omnino diſcrimen percipere potuerint. Quin & ipſe narrantes audivi viros fide dignos, ſeſe in diverſorio publico jus uſitaſſe delicatum cum carnibus ſuaviſſimis: cęterùm cùm jam pene ſaturi eſſent, inveniſſe digiti partem anteriorem, quæ videlicet ad unguem eſt, quo perculſi ac metuentes eos qui agebant in diverſorio, ne ſcilicet ſe quoque vorarent, ceu ei rei aſſueti, protinus quidem illinc exiere, ac vomitu redditis quæ ederant, ita iter denuo ingreſſi ſunt. Sed & in ipſo facinore homines mactantes deprehenſos, non ita multò pòſt referebant. Itaque jure

Porcina.

quiſpiam exiſtimet ſuillam carnem humanæ eſſe ſimillimam.

Suilla nutriés. Quòd deinde ſuillam carnem validiſſime nutrire diximus, hoc Galenus lib. 3. cap. 1. de aliment. facult. in eum modum ſcribens confirmat. Omnium ciborum, ſuum caro potentiſſime nutrit. Cujus rei athletæ certiſſimum tibi prębent judicium. Si enim paribus exercitationibus parem molem alterius cibi pridie totum diem comederint, poſtero die ſtatim ſentient ſeſe redditos imbecilliores. Quòd ſi pluribus deinceps diebus id fecerint, non imbecilliores modo, verumetiam alimenti penuria macilentiores palàm conſpiciuntur. Idem lib. 7. method. medendi, cap. 6. iis etiam teſtatur verbis: Omnium, quos novimus ciborum, maxime nutriens ſuilla caro eſt. Quin & ipſe Hippocrates lib. 6. epidem. part. 3. Aphoriſ. 4. quum jam corpus ex multis exercitiis conciderit, ſuillas carnes aſſatas exhibere præcipit,

Porrò alimentum, quod inde ſumitur, firmum eſſe, neque diſſipatu facile, ſatis confirmat Galenus in libro de attenuan. vict. ratione, capite 6. ubi ſic ſcriptum reliquit: Suum domeſticorum caro, omnium aliorum ciborum firmiſſime nutrit. Multum enim in ſeipſa habet lentorem, tum propter vitam deſidioſam, tum propter cibi humidioris affluentiam. Et ſimiliter in libro de renum affect. dignot. & medic. cap. 26. Pedeſtribus optimi ſucci eſt caro ſuilla, & hominib. maximopere familiaris, maximéque tum nutribilis, tum corroborans, ſed glutinoſum quiddam habet & craſſum, ob id qui diutius ea victitant, jecoris & renum obſtructione corripiuntur, quibus hęc à natura aſtrictos meatus habent, eoque longiori ab ea intervallo abſtinendum.

Quia verò glutinoſum, ut dictum eſt, & craſſum ſuccum generat, ideo Hippocrates aſſatam exhibere juſſit, quo nimirum viſcoſitate ac craſſitie, ab ignis caliditate nonnihil conſumpta, minus humida ac glutinoſa edatur. Idem lib. 4. de vict. ratio. in morb. acut. aphoriſ. 103. ejuſmodi carnem abſque pelle, hoc eſt cute mandendam eſſe docuit. Cutis enim animalis, utpote frigidior, carni ſimiliter concoqui nata non eſt. Quæ autem ob aſſationem ambuſta eſt, tum ad ſucci bonitatem, tum ad concoctionem inhabilis exiſtit, cholerámque parit propter eam, quæ huic accidit acrimoniam. Ibidem pinguiſſimam quoque ſuum carnem ea, quam medii & bene carnoſi habent, deteriorem exiſtimat, ſuſpicionem humiditatis habens, ob quam pinguedo omnis carne ſui generis deterior tum ad concoctionem, tum ad nutrionem exiſtit.

De Suilla hoc amplius Galenus in lib. de cibis boni & mali ſucci cap. 4. Suilla caro, ſi exactè in ventriculo concoquatur, tum in ſanguinem à jecinore convertatur, probatiſſimos humores gignit. Quod intelligendum utique, non de carne ſuum vetuſtiſſimorum, ea enim ob ſiccitatem & duriciem ægrè concoquitur, ac ſuccum vitioſum generat, neque porculorum lactentium. Nempe hi terreſtrium ferè omnium, quæ vorant homines animalium, maxime humidam & excrementitiam obtinent carnem; atque ob eam rem plurima inde generatur pituita: ſed ætate mediocrium, anniculorum videlicet, vel bimorum. Idem Galenus etiam libro paulo ante citato cap. 12. atteſtatur; Ex animantibus, inquiens, quorum natura ad bonos humores gignendos aptiſ-

ſima eſt, ſues mediocris ætatis habentur; qui enim ad ſummum creverint, hominibus vigentis ætatis, ſeque exercentibus, qui vero adhuc increſcunt, iis quorum ætas inclinat, idonei ſunt. Caro ex porcellis parvulis, excrementis ſcatet.

Quare ex pedeſtribus animantibus ſuilla caro probatiſſimus cibus eſt. Et hoc quidem, tametſi, in utroque genere, tam domeſticorum, quàm agreſtium vere dicatur, agreſtes tamen à Galeno longè cæteris anteferuntur. Atque hinc adeo in libro de attenuan. vict. ratio. cap. 6. ſic inquit: Apri ſuibus domeſticis in cibo ſunt anteponendi. Et lib. 8. method. meden. capite 2. Ex ipſis ſuillis carnibus optima eſt montana. Cujus cauſam Galenus lib. 3. de aliment. faculta. cap. 13. hanc eſſe tradit. Domeſtici, inquit, ſues temperie humidiores ſunt, quàm agreſtes, tum ob aëris, in quo degunt, humiditatem, tum verò etiam ob vitæ ignaviam. Qui verò in montibus degunt, multum exercentur, ac fatigantur: præterea in aëre ſicciore vivunt, quapropter eorum caro eſt durior, nulliúſque prorſus pinguedinis, aut pauciſſimæ particeps, & alimentum quod inde provenit, minus habet excrementi: contra excrementitium eſt, quod à domeſticis ſumitur. Neceſſe igitur eſt, alimentum ejuſmodi nutrire Valentius quàm alterum, ſuccúmque gignere multò meliorem. Addit præterea Avicenna libro ſecundo cano. capite centeſimo quadrageſimo ſexto, eoſdem hyeme meliorem ſanguinis habitum conſequi, longéque ſeipſis in cibo evadere præſtantiores.

Ex omnibus hactenus adductis, ſatis jam li-

quet, hominibus ætate florentibus, fortibus, & quamlibet fortem ac vehementem actionem obeuntibus, ut pote fossoribus, agricolis, messoribus, cæterisque id genus operariis, modò ab oppilationibus puri atque vacui sint, ac denique iis etiam, qui impinguari cupiunt, suillam potissimum exhibendam. Ad ejusmodi enim corporum conservationem alimento plurimo, firmo, atque ægre dissipabili opus est. Rectè itaque Rhazes lib. 3. ad Alman. cap. 9. Crassa, inquit, caro multum sese exercentibus convenit, iis verò, qui vitam in majori ocio ac quiete degunt, subtilis & extenuans. Quod Avicenna quoque 3. 1. doc. 2. cap. 7. ita fermè scribens confirmat: Vehementet sese exercentes, multoque labore fatigati, firma magis & crassa alimenta requirunt.

Secunda verò carnium electio à temperamento, concoctione, ac succi inde geniti probitate sumitur, atque ea quidem ratione hœdinæ longè cæteris præferuntur. Nam, ut Rhazes loco paulò antè citato autor est, temperatura sunt mediocri, nullius pravitatis participes, facilè concoquuntur, tum sanguinem quoque inter subtilem & crassum, calidum ac frigidum temperamentum efficiunt. Illis tamen, qui multum exercentur, in cibo minus idoneæ sunt, siquidem alimentum, quod corpori summittunt, forti exercitio, sine labore celeriter discutitur. Juvenibus temperatis mediocri exercitio utentibus, quemadmodum & illis quoque, de quibus suprà dictum est, magis conveniunt,

Porrò quemadmodum hac ratione inter animalia domestica caro hœdina præstantior est, sic inter agrestia quoque capreoli facilè primas ob-

tinent. Post hœdinam autem secundum locum arietina sibi vendicat, si quid Rhazæ atque Averrhoi credimus. Quorum ille quidem lib. 3. ad Almanso. cap. 9. ita scriptum reliquit: Caro arietina quàm hœdina crassior est, viréque magis auget, sed plures efficit superfluitates, in bonitate tamen hœdinam sequitur carnem. Hic verò lib. 5. suorum collecta. cap. 32. de eadem hę: ferè prodidit. Post carnem, inquit, hœdinam est arietina, atque ita omnes propè medici sentiunt, pręter Galenum, qui arietum carnes abominatur, persuasum enim habet, vitulinam arietina longè melioris esse nutrimenti. Sed Galenus forsan hanc pręstantiam ex eo attendit, quod vitulina plurimum nutriat, & nutrimentum ejus ægrius dissipetur; Arietina ver oinsigni humiditate pręditasit. Nam humidius alimentum; ut distribuitur, ita etiam discutitur celerius. Locus Galeni, quem Averrhoës citat, est (ni fallor) in lib. de cibis bon. & mali suc. cap. 12. Verba Galeni sic habent.

Ex pedestribus animantibus caro suilla probatissimus cibus est, deinde hœdina, mox vitulina, Agnina verò humida lentorem mucorémque in se habere censetur. Quod idem in libro de attenuan. vict. ratione cap. 7. velut repetens, inquit: Ex terrestribus animalibus: hirci, & arietes, & genus omne ovium, ac caprarum, non undequaque laudabilis sunt alimenti; solis autem hœdis innoxie utare: Agnorum esus propter insignem humiditatem est fugiendus. Ex quibus utique locis fit hoc etiam perspicuum, apud Rhazen atque Averrhoën, agnos masculos, qui aliquantulum increverint, per arietes esse intelligendos; id quod ipsemet Aver-

rhoës his verbis confirmare videtur: Magna pars medicorum laudat carnes arietum juvenum, &c.

Tertia demum carnium electio sive præstantia, in eo sita est, ut neque insuave, neque mali odoris, neque glutinosum quicquam gustu repræsentent. Tales autem imprimis vitulinæ sunt, quemadmodum Averrhoës loco citato iis ferè verbis ostendit: Carnes inquit, vitulinæ bonæ sunt, minus enim quàm boum ætate declinantium carnes, habent tum viscositatis, tum frigiditatis ac siccitatis, tum odore quoque cæteris carnibus suaviores & jucundiores sunt. Qua certe consideratione ipsis etiam hœdinis præferuntur. Siquidem in coctura hœdinarum muccago, hoc est, lentor, sive viscositas quædam deprehenditur, quæ in vitulinis non apparet. Hœdinæ tamen vitulinis succi probitate præstant.

Ex omnibus, quæ hactenus adducta sunt, liquido jam constat, non esse tantam inter medicos de carnium electione controversiam, quanta prima facie apparet.

Hoc quoque scire in universum oportet, quod siccorum animalium carnes in prima ætate, quæ humidior est, præstantiores sint, & minori momento conficiantur: cùm vero adoleverint, ob siccitatem ægrè concoquantur. Contra humidioribus animalibus carnes progressu temporis consumpta humiditate superflua, aptiores & ad concoquendum, & ad nutriendum fiant. Quod Galenus etiam lib. 3. de alimen. facul. cap. 1. in hunc scribens modum, innuere voluit. Iis, inquit, animalibus, quæ natura temperamento sunt ficciore, adolescens ętas ad mediocritatem

ipsam confert: humidiorum verò natura, quod sibi ad probam ac convenientem temperiem inest, ab ætate florenti adsumit. Non modo itaque vituli carnes habent ad conficiendum perfectis bobus pręstantiores, sed etiam hœdi capris: velut contra verveces anniculi agnis lactentibus, & porci anniculi vel bimi porculis parvis. Hinc non temerè ab Avicen. 3. 1. doc. 2. cap. 7. dictum est: Oportet ut cibus, nimirum sanitati conveniens, sit qualis caro est, & pręcipue hœdorum, vitulorum lactentium, & agnorum anniculorum.

Ex quibus omnibus sequitur tandem, carnes hircorum, caprarum, arietum, ovium, boum, atque verrium antiquorum, non undequaque laudabilis esse alimenti: Carnes vero vitulorum juvenum, agnorum anniculorum, majalium anniculorum vel bimorum, valetudini tuendæ esse accommodatissimas.

Hoc quoque ignorandum non est, quod carnes naturali temperamento sicciores, sint elixandæ: quo nimirum ab aquæ humiditate contemperentur: Elixatio enim siccitatem temperat. Humidiores verò assandæ, nempe ut earum humiditate ab ignis calore attenuatâ nonnihil atque imminutâ, mediocritatem consequantur. Assatio enim ex Galeni sententia, humiditatem moderatur. Quo fit, ut carnes leporum, cuniculorum, cervorum, boum, & capreolorum elixæ; porcellorum vero ac vervecum assæ, sint pręferendæ. Eadem etiam ratione in ætatibus, temperaturis, atque anni constitutionibus humidis, sicciores & assæ carnes magis conveniunt: In siccioribus vero humidæ atque elixæ.

Animad-

Animadversio.

HOc capite exempla proponuntur alimentorum vitandorum quorum substantia & qualitas vitiosa est. Sed re vera hic mentio tantum esse debet eorum quæ substantia peccant, quorum differentias omnes qui habere voluerit, in memoriam revocet necesse est ea quæ ad caput secundum hujus sectionis animadvertimus. Ibi ad substantiam alimenti pertinere diximus formam & materiam, formamque consistere in multa familiaritate ac dulcedine, materiam vero in consistentia, cujus aliquot modos attulimus. Alimentum ergo parum familiare bonum succum non generat, sed pravum & malignum; ex quo etiam morbi pestilentes generentur, ut ostendit Galen. lib. secundo de alim. facult. cap. de cucumeribus. Cum enim quod amicum est naturæ paucum sit & exile, robur corpori non addet, quia non assimilabitur, longo igitur tractu cunctando in venis sensim putrescit, morborumque occasionem prębet. Quod si ejuscemodi Alimentum aliquid dulcedinis admistum habuerit, quod dulce est nutriet, reliquum abibit in excrementum, ex quo fit ut alimentum parum dulce, parumque familiate, sit excrementosum. Ergo ratione formæ duplex vitium in alimento exurgit: pravitas que κακοχυμία dici potest, & excrementi copia quæ ὀλιγοτεϱφία. Ratione vero materiæ seu consistentiæ multa exoriuntur vitia: si enim duræ est consistentiæ, difficile est concoctu, corruptu facile: si gravis, densæ & crassæ, terrenum succum, crassum & nimis

Vitiosa alimenta.

Excrementosum alimentum.

fibroſum cumulat; ſi viſcidæ & lentæ, difficili negotio in venas diſtribuitur, ſed hæret, & obſtruit. Cardan cap. 29.& 31.lib.1.de ſanit. tuend. Galenum inſectatur quod omnes differentias pravi alimenti ad craſſum & ſeroſum revocaverit, plures vero ipſe recenſet, ſed ſine methodo; ex quo non minus ipſe quam Galen. reprehendendus venit. Vitium alimenti deſumendum eſſet ex ejus ſubſtantia, materia & forma; de quib. eſt dictum; qualitate ſi calidius, frigidius, humidius, ſiccius, ſi amarum, ſalſum, acre, auſterum, & ſi fœtens ac graveolens, pręparationis denique ratione quæ cibos etiam laudabiles efficere poteſt vitioſos. Atque hæc vitia ſimplicia ſunt, alia ſunt conjugata; cum ſcilicet vitia formæ concurrunt cum vitiis materiæ, qualitatis, & pręparationis; omnibus ſimul, aut aliquibus ſeorſim, in quorum inveſtigatione laborare debent ſtudioſi, & conjugationes illas aliqua velut tabella digerere; quo in promptu omnes vitioſorum alimentorum differentias habere poſſint cum lubet.

De quantitate ciborum.

Cap. V.

„*Pone gulæ metas, ut ſit tibi longior ætas,*
„*Vt medicus fatur, parcus de morte levatur.*

Animadverſio.

HOc caput ex manuſcrip. noſtro ſupplemus; quo quidem quantitas alimentorum defini-

tur quæ ſit moderata & mediocris, nec in exceſſu peccans nec in defectu, quod videtur ex Hippoc. deſumptum part.22. ſect. 4. lib. 6. epid. ubi ſalubris diætæ caput eſſe refert, non ſatiari cibis. Eſt enim parens morborum nutrixque medicorum intemperantia, vel Platone teſte qui civitatem quæ multos aleret medicos, intemperantiæ accuſabat. Cæterum Galen. comm. ad aph. 4. lib. 1. triplex alimentum ſecundum quantitatem conſtituit: plenum, tenue & mediocre, quæ ægris potius accommodantur, quam ſanis. Tenuis enim cibus convenit iis quorum vitia emendare ac imminuere ſtudemus, plenus iis quos reficere & roborare, mediocris iis quos conſervare. Commodiùs alimentum dividitur in nimium, parcum, moderatum. Nimium morbos parit ex aphor. 4. & 17. lib. 2. ex eo enim cum humorum & excrementorum proventus exurgat, inde obſtructiones cruditates corruptioneſque fiunt, nativique caloris oppreſſio. Docet Galen. lib. de venæ ſect. adverſus Eraſiſt. nimiam cibi quantitatem naturæ potius eſſe oneri quàm nutrimento: quod enim copioſius eſt in corpore, deterius in ventre veniſque concoquitur, hinc multa ſuperſunt excrementa & cruditates plurimæ, quod ante perfectam coctionem alimentum in ventrem & venas rapiatur quemadmodum videre eſt apud Galen. cap. ult. lib. 4. de ſanit. tuen. Eſt vero nimia cibi quantitas duplex ſi credimus Gal. comm. ad aph. 17. lib. 2. una quæ ad vaſorum capacitatem, altera quæ ad vires ſeu naturam nos gubernantem refertur. Utraque calamitoſa eſt, quamquam enim illa vires non premit, ſed tota in ſanguinem faceſſit, lubrica tamen eſt ob nimiam humorum abundantiam quæ vaſorum

Alimentorum quantitas.

Nimia cibi copia duplex.

ruptionem, caloris ſuffocationem, aut mortem repentinam minatur, auct. Gal.comm. ad aph. 3. lib. 1. Poſterior quia ſupra vires eſt, integre coqui non poteſt: idcirco cruditates multas parit, & infinitos morbos, ex aph.17.l.2. Rectè ergo ſcripſit Celſus cap. 2. lib. 1. nunquam utilem eſſe nimiam ſatietatem. Paucum alimentum cibi copia, qualitate vel numero conſideratur: copia cum quis paucis cibis utitur, qualitate cum ὀλιγοτρόφοις tenuiter nutrientibus; numero cum ex longo intervallo aſſumptis. Qualecunque ſit autem, vires ſemper minuit; quia noſtræ ſubſtantiæ effluvium non reparat, febres acutas parit, corpus tabefacit, calorem denique nativum extinguit: defectu ſiquidem humoris temperantis calor noſter exacuitur, ex quo dein ſicceſcit corpus & marceſcit primigenii humoris conſumptione. Vide cap.8.lib.8.meth.& cap. 7. lib. 7 Hipp. ſent. 24. lib.2.de vict. in acut. Avic. cap. 7. doct. 2. fen. 3. lib.1. Denique moderatus cibus & ad naturam cujuſque accommodatus, corporis ſubſtantiam caloremque nativum & humorum ſymmetriam tuetur, excrementis modum adhibet, facultates functioneſque omnes corroborat, ut licet colligere ex Galen. cap. 5. lib. 12. meth. Is autem aſſumendi cibi modus eſto cum nondum ſatietas cœperit, ſic enim melius conficietur, præſertim ſi valentius nutriat, ut monet Actuar. cap. 9. lib. 2. de ſpirit.animali. Ac temperatis quidem æqualis eſt coctione appetitus; calidiores vero minus appetunt quæ coquere poſſunt, frigidiores magis ex Galen. in arte parva. Idcirco frigidiores ante expletam appetentiam à cibo arcendi ſunt, ut melior fiat coctio. Cujus tanta vis eſt ad vitæ incolumitatem, ut Galen. cap. 3. lib. de cibis boni &

Paucitas cibi.

Moderatus cibus.

mali ſucci, affirmet nullis eos morbis corripi qui vitæ fundamentum jecerint temperantiam. Sapienter ergo dictum eſt à Salernit. injicienda eſſe gulæ fræna iis qui vitam longęvam ducere volunt.

De qualitatibus alimentorum ex ſaporibus dignoſcendis.

CAP. VI.

Hi fervore vigent tres: ſalſus, amarus, acutus:
Alget acetoſus, ſic ſtipans, ponticus atque;
Unctus & inſipidus, dulcis, dant temperamentum:
,, *Lenit & humectat dulcis benè mundificatque.*

HOc loco recenſentur cujuſque ſaporis qualitates.

Et primò dicitur hos tres, ſalſum, amarum & acutum calefacere corpus utentis. Dein hos tres, acetoſum, ſtypticum & ponticum infrigidare. Tertio vero loco, hoſce tres, unctuoſum, id eſt, pinguem, dulcem, & inſipidum, quem Græci ἄποιον, id eſt, qualitatis expertem, eſſe temperatos, adeo ut corpus neque refrigerent neque calefaciant. Avicen. 2. Canon. Tract. 1. cap. 3. Octo ſunt, inquit, veri ſapores, qui ſequuntur inſipidum, ut ſunt dulcedo, amaritudo, acuitas, ſalſedo, acetoſitas, ponticitas, ſtypticitas & unctuoſitas. Enumerando tamen inſipiditatem pro ſapore, ſicuti fit hoc loco, erunt novem ſapores. Accipitur autem ſapor pro omni eo, quod guſtu dijudicatur. Horum

Octo. Sapores.

Sapor. tres sunt calidi, salsus scilicet, amarus, & acutus. Avicenna ibidem, Acutum, inquit, est calidius, dein amarum, ac dein salsum: quoniam acutum est fortius ad resolvendum, incidendum, & abstergendum, quàm amarum, & inde salsum est sicut amarum confractum cum humiditate frigida. Tres sunt frigidi, scilicet acetosus, stipans, id est, stypticus, & ponticus. Ponticus tamen cæteris frigidior, dein stypticus, hinc acetosus. Et propter hoc in omnibus fructibus qui dulcescunt, prius est ponticitas vehementis frigidationis, dein postquam per calorem solis digestivum, aliquo modo digesti sunt fructus, sentitur in eis stypticitas, & declinant ad acetositatem, sicu agrestia, & tandem dulcescunt. Acetosum vero, quamvis sit minus frigidum quàm stypticum, tamen propter subtilitatem & penetrationem suam in pluribus majoris est infrigidationis. Ponticum & stypticum, eodem Avicenna teste, sunt in sapore propinqua, sed stypticum nihil contrahit linguæ præter-superficiem extimam. Ponticum verò contrahit & exasperat, & superficiem extimam, & interiora ejus.

Accetosum. Ponticum.

Postremo vero, saporum tres sunt temperati, id est, non excedentis caliditatis sive frigiditatis, dulcis scilicet, unctuosus, & insipidus. Dulce enim licet calidum sit, tamen in eo non apparet fortitudo caliditatis, sicut dicit Rhazes 3. ad Mansorem cap. 1. Porro unicuique sapori propriæ assignantur operationes, sicut testatur Avicen. & Rhazes.

Operationes enim dulcis, inquit Avicen. sunt digestio, & lenificatio, & multiplicatio nutrimenti, & natura diligit ipsum, & virtus attractiva at-

trahit ipſum. Et Rhazes inquit: Qui dulci uſus fuerit, multa bilis in eo generabitur & ſanguinis multitudo. Oppilationes quoque generat,& apoſtema in hepate & ſplene:& pręcipue ſi hæc menbra ad hoc fuerint præparata, ventris itidem fluxus ex eo ſequitur, & mollificat ſtomachum. Pectori verò & pulmoni confert, corpus itidem impinguat, & augmentum ſpermatis tribuit.

Operationes verò amari (ſecundum Avic.) ſunt abſterſio,& exaſperatio: ſecundum Rhazen amarum calefacit & deſiccat fortiter, citóque ſanguinem ad aduſtionem & malitiam perducit, bilem quoque rubeam in ſanguine augmentat.

Operatio pontici, juxta Avicennæ ſententiam, eſt contractio, ſi ponticitas fuerit debilis: aut expreſſio, ſi fortis.

Operationes ſtyptici, ſecundum Avic. ſunt contractio, inſpiratio, induratio, & retentio. Secundum Rha. verò, ſtypticum corpus infrigidat, & deſiccat, carnium quoque ac ſanguinis minorationem facit ſi quis eo multoties utatur, ſtomachum confortat, ac ventrem ſecundum plurimum conſtringit, & ſanguinem generat melancholicum. Videtur autem Rhaz. ponticum ſub ſtyptico comprehendiſſe, quia de Pontico nihil expreſſit.

Operationes unctuoſitatis, ſecundum Avicen. ſunt lenificatio, lubrificatio, & coctio, id eſt digeſtio parva. Secundum Rhaz. unctuoſum ſtomachum mollificat, & ventrem fluere facit. At ſatietatem adfert, antequam homo cibi quantitatem ſibi neceſſariam adſumat, & calefaciat, maximè tamen febricitantes, vel habentes hepar, vel ſtomachum, calida. Corpus præterea humectat atque lenit; Phlegma verò auget, & cogitationem

reddit hebetem, & auget ſomnum.

Operationes acuti ſecundum Avicennam, ſunt reſolutio, inciſio, & putrefactio. Secundum Rhezen vero, acutum calorem auget, & corpus velociter inflammat, ac ſanguinem adurit, ipſumque prius in bilem mutat rubeam, poſtea in nigram.

Operationes ſalſi, ſecuudum Avicen. ſunt abſterſio, ablutio, exſiccatio, & prohibitio putrefactionis.

Operationes acetoſi, ſecũdum Avicennam, ſunt infrigidatio & inciſio. Secundum verò Rhazen, acidum bilem rubeam & ſanguinem reprimit, atque ventrem ſtringit, ſi ſtomachus & inteſtina munda fuerint. Si autem phlegmatis in eis fuerit multitudo, ventris efficit fluxum, & corpus infrigidat, virtutem quoq; debilitat digeſtivam, propriam in hepate. Nervis vero, & nervoſis membris nocumentum adfert, & corpus deſiccat, virtutem autem appetitivam excitat. De operationibus inſipidi, dicit Rha. aliquod eſſe inſipidum quod magis nutrit ſcilicet quod æqualitati vicinum eſt. Aliud verò, quod temperate infrigidat, cum quo multa fuerit humiditas, humectabit; cùm autem fuerit ſiccum, deſiccabit.

Animadverſio.

VT de qualitatibus alimentorum agant Salernitani; proponunt ſapores; ex quibus ut medicamentorum ſic alimentorum temperamenta & facultates colliguntur, ſicut oſtendit Gal. cap. 1. lib. 1. & cap. 61. lib. 2. dealim. Ut vero alimentum ſua ſubſtantia noſtræ ſubſtantiæ

effluxum reparat,ita ſuis qualitatibus ei quod alteratum eſt in noſtro corpore medetur,docente Gal. cap. 10.lib.4.ſimpl. Ejuſcemodi autem qualitates primæ, ſunt calor, frigus, humid. ſiccit. à quibus alimentum denominatur calidum,frigid. humid. ſiccum, aut à primis ortæ quæ maximè à ſaporibus denominantur, licet & viſu & olfactu & tactu. percip. poſſint quemadmodum demonſtrat Gal. c. 1. l.1. de alim. Et quidem alimenta tẽperata quæ in mediocritate qualitatũ omnium conſiſtunt,propriè & verè aliment adicũtur; quia corpora temperata nullo modo alterant aut immutant, ſed nutriunt ſolum atque conſervant.

Qualitates ciborũ.

At alimenta quæ exceſſum alicujus qualitatis obtinent,quia vim habent alterandi & immutãdi, dicuntut à Gal. Alimenta medicamentoſa quæ ad emendandas coutrarias intemperies debent uſurpari: ſic calida alimenta frigidis naturis exhiberi debent, frigida calidis; ut præter alimoniam, emendationem quoque excedentis qualitatis prębeant. Quamobrem alimenta temperata neceſſaria quidem ſunt,ſed intemperata magis,quia plures ſunt intemperati homines quàm temperati. Ex intemperatis vero habẽtur primo Calida,quorum proprium eſt craſſos humores attenuare,viſcidos incidere,flatus diſcutere,obſtructa liberare,mẽſes & urinas movere,in frigidiorib⁹ naturis; in temperatis vero aut calidiorib⁹ bilem augere & ſitim excitare. Secũdo frigida quæ quidẽ æſtum ſanguinis & vẽtriculi tẽperant, ſomnum cõciliant, ſitim ſedant,venerem extingunt, ſed flatibus materiam ſuggerunt. Tertio, Humida quibus ſiccitas partium emendatur, alvus ſubducitur ob lubricam eorum ſubſtantiam. Quarto,Sicca quæ ægrè coquuntur & diſtribuuntur, ſed firmiter alunt,

Alimẽtũ medicamentoſum.

Calidi cibi.

Frigidi.

Sicci.

alvum sistunt succoque melancholico generando sunt idonea ex cap. 18. lib. de alim. Atque hæc alimenta denominãtur à primis qualitatibus, à saporib. nomen habent Dulcia, pinguia, insipida, acria, amava; salsa, austera, acerba, acida, quorum priora tria temperata sunt, tria sequentia calida, postrema tria frigida. Modus autem quo Gal. temperamentum saporum collegit, affertur lib. 4. simpl. his ferme verbis. Illis saporibus frigiditas inest à quibus lingua contrahitur, densatur, asperatur; certum enim est à solo frigido contrahi, constringi, condensarique corpora. Atqui ab austero, acerbo, acido lingua contrahitur, ut experientia patet, ergo austerus, acerbus, & acidus, frigidi sunt sapores: distinguuntur inter se, quod acidus tenuium sit partium, austerus & acerbus crassarum & terrenarum, quod sic probatur. Terrena corpora inæqualiter linguam desiccant & exasperant; Sapor austerus & acerbus id efficiunt: sunt ergo terrenæ substantiæ. Quæ sunt tenuium partium, velocem habent transitum per sentientes partes, magisque in alto agere videntur: Acidus sapor id præstat; est ergo tenuium partium. Jam vero Amara dulcibus calidiora esse hinc probat; quod quæ summe sunt dulcia, si aut alieno colore aut proprio per vetustatem excoquantur amara fiant, quodque dulcia in naturis biliosis amarescant. Salsa quia vim detergendi & abluendi habent, calida habentur; minus tamen quam amara: aquam enim salsam si coquas amaram reddis: medius itaque est salsus sapor inter dulcem & amarum. Acer quia exedit, urit, crustamque molitur, omnium calidissimus est. Dulcis, quia temperatis naturis familiaris & amicus, moderate calidus habetur: ca-

Saporũ temperies.

lor enim temperatorum moderatus exiſtit. Pinguis eſt ex genere dulcium ; craſſioris eſt tamen ſubſtantiæ , dulcis tenuioris. Inſipidus ad dulcem & pinguem accedit ; niſi quod aquoſæ magis eſt conſiſtentiæ. His præmiſſis quivis intelligit alimentorum à ſaporibus denominatorũ facultates. Siquidem ſola dulcia, pinguia & inſipida vim nutriendi habent , alia nequaquam niſi dulcedinem aliquam admixtam obtinuerint, vel ab inſito ſuo calore , vel adſcititio, ut cum ab igne præparantur, vel à noſtro dum coquuntur ; auctore Gal. c. 11. lib. 4. ſimplic. Bona ergo alimenta ratione qualitatum ſecundarum ſunt. Dulcia; quæ quidem copioſum præbent alimẽtum, maximè ſi compactam habeant ſubſtantiam. Hoc unum tamen nocumẽtum afferunt , quod jecoris & lienis obſtructiones efficiant & inflammationes augeant. Cum enim hepar dulcibus delectetur, ea avidiſſime trahit, priuſquam abſolutam coctionem ſint conſecuta. Alia alimenta minus laudabilia ſunt, veniunt tamen in uſum vel ad voluptatẽ , vel ad utilitatẽ. Ad voluptatem quidem propter ventriculi intemperiem. Soli enim hi qui prȩter naturam afficiuntur ; eduliis tum amaris, tum auſteris, tum acidis oblectantur ex comm. ad ſent. 14. ſect. 5. l. 6. epid. Quam ob cauſam Gal. cap. 3. lib. de ſanit. tuenda obſervat iis qui inæqualem temperiem ſortiti ſunt, diverſa alimenta idonea eſſe ; quod alterum alteri jucundius exiſtat. Utilitas autem eſt duplex: una ut ſua contrarietate impediant ne dulce nimiũ alat aut in ſummo emineat, uno verbo ut ſint velut condimenta, ex Ariſtot. lib. de ſenſu cap. 4. altera ut ſua facultate tum partibus, tum humoribus opem aliquam conferant. Eamdem enim cibi facultatem habent atque medicamenta, cum quibus

Dulcia alimenta.

in ſapore conveniunt,ex Galen. cap. 1. lib. 1. de aliment. Quare Salſi cibi putredinẽ arcent,craſſos humores attenuant, ſed uſu nimio ſanguinem urunt & pruritum excitant. Amari tergent & roborant, incidunt & craſſos humores attenuant. Acres obſtructa liberant, potentiſſime incidunt, ventriculum mordicant, bilem augent & acres halitus emittunt. Acidi refrigerant, incidunt,attenuant, ſuccum craſſum deorſum ſubducunt ſi ſimplices acidi fuerint, at ſi dulcem habent admiſtam qualitatem,ut ceraſa ſi dulcedo ſuperet, alvum leniunt; ſi aciditas aut acerbitas adſtringunt. Acerbi & auſteri aſtringunt,ſed magis acerbi; proinde ſtomachum roborant & confirmant, alvumque ſiſtunt ſi aliis cibis prę̨mittantur; ſolvunt ſi poſtremis epulis aſſumantur; quemadmodum probat Galen. quibuſdam exemplis cap. 21. & 22. lib. de aliment. Cætera repetantur ex comment. Villanov.

Salſa edulia.

Amara.

Acria.

Acida.

Acerba.

De ciborum præparatione variiſque coquendi modis.

Cap. VII.

„ *Lixa fovent, ſed frixa nocent, aſſata coercent,*
„ *Acria purgant, cruda ſed inflant, ſalſaque ſiccant.*

Animadverſio.

Hoc caput de præparatione alimenti ex noſtro manuſc. aſſuimus. Præparatione autem

pertinet ad utendi rationem, quæ ut diximus quatuor capita comprehendit, præparationem, tempus edendi, ordinem in cibis assumendis servandum, ac denique consuetudinem, adeout utendi ratio aliud nihil sit quã certa quædam ratio in exhibendis & assumendis cibis observanda. Præparatio cibi duplex: est una utilis, alia jucunda; utilis circa coquendos cibos occupatur, jucunda cibis condimenta parat; illa necessitatis est, hæc voluptatis; illa hoc capite, hæc sequenti explicanda. Julius Alex. l. 18. salubrium priorem videtur ad Obsonium, alteram ad ἡδύσματα καὶ ἀρτύματα condimenta referre: illam ego ad πέψιν καὶ ἕψησιν ad Cocturam, hãc ad ἄρτυσιν καὶ ἡδυσμὸν ad condituram revoco: nam ut rectè observat Pollux onom. lib. 6. cap. 3. inter officia coquorum duo hæc habentur; ἑψῆσαι coquere, & ἡδύνειν dulcorare seu condire. Est igitur Coctio alimenti quam præparationem utilem vocavimus, ratio artificiosa præparandi per ignem cibi ad excrementosas & noxias ejus partes mitificandas & ita elaborandas ut efficiatur proximè mutabilis in hominis substantiam. Quo loco primò exurgit quæstio an satius homini sit crudis carnibus quam coctis vesci. Nec enim exempla desunt non hominum tantum, sed gentium crudas carnes mandentium. Laertins in vita Zenonis Cittiæi tam continentem eum scribit ut crudis vesceretur, Suetonius in Nerone Polyphagum quemdam Ægyptium narrat crudas carnes & quicquid daretur mandere solitum. Abyssinos refert. Scalig. exer. 22. qui in regno Angot. agitant crudis ali carnibus. Nomades & Scythas semi crudis carnibus vixisse memoria est; postremosque etiam non igne aut sole coxisse, sed calore equorum sub quorum

Vtendi ratio quatuor comprehendit.

Præparatio ciborũ duplex.

An satius uti crudi quam coctis cibis.

ephippiis recondita carnium frusta macerabant. Porphyrius lib. 1. de abstinentia animatorum ὠμοφάγον crudivororum fuisse hominũ genus scribit ante ignis usum. His suffragatur Cardani auctoritas lib 2. de subtil. qui carnium & ovorum crudorum esum ad vitæ diuturnitatem non parum conducere affirmat, causamque eam esse cur qui in ἐρήμῳ habitarunt, ad longam senectutem deducti sint. Rationem autem subjungit ex præparatione petitam; quod scilicet ignas substantias alimentorum separando & tenue à crasso sejungendo deteriores eas reddat. Verum philosophus Diogenes exemplo suo demõstravit quam noxius esset crudarum carnium esus; cum crudo polypo devorato propius nihil factum est quàm interiret. Egregiè vero Cardanum castigavit Scal. exerc. 22. docuitque ex Hippocr. πάντα τὰ ἑψόμενα, ἀεὶ γλυκέα, dulcia semper evadere quæ coquuntur, modoque malitiam suam amittere, modo bonitatem assumere ex 2. de diæta. Arist. probl. 4. sect. 20. quærit rationem cur alia cocta, alia cruda comedantur: docet vero ea quibus sapor protinus gratus existit, cruda edi, quib. ingratus, cocta; succus enim eorum decoctus dulcior redditur à calore. Quo loco Aponensis obsetvat calorem secundum diversitatem patientis diversè operari, nam si inveniat materiam crudam, insipidã, amaram, acidam, eam decoquit & dulcificat; si dulcem in amaram & acutam permutat. Sed non est quod in Cardanum rationes vel auctoritates congeramus, cum ipse palinodiam cecinerit, & lib. 1 de sanit. tuen. cap. 41. statuerit cruda maximè adversari naturæ nostræ, nec se moveri exemplo hujus Adolescentis cujus meminit Galen. lib. 1 de Alim. cap. 25. qui cum per annos quatuor crudis

vixisset phaselis, fœnu græco, lupinis & aliis hujusmodi, sine noxa fuit: vocat enim id *monstrum in medicina*, quod nos minimè sequi sed naturæ cursum debemus.

His ita constitutis, videamus porro quænam sint species & differentiæ coct onis, cujusque sint facultatis ac virtutis singulæ. Arist. lib. 4 meteor. cap. 2. πέψεως differentias constituit πέπανσιν, ἕψησιν καὶ ὄπτησιν mutarationem, elixationem & assationem, sed πέπανσις propria est coctio plantarum & earum partium; facta virtute calidi interni ab externo adiuti: ab exrerno, inquam, non ignis sed cœli ex quo relinquitur eam mere esse naturalem non artificialem, quemadmodum & maturatio humorum & tuberculorum quæ sunt in nostro corpore dicta Galeno πεπασμὸς. Hic vero agitur de coctione artificiali ciborum quæ fit ignis beneficio, qualis est & assatio & elixatio. Est ergo coctio ciborũ duplex: una quæ fit à calore sicco, altera ab calore humido. Ad illam pertinet assatio, ad hanc elixatio. Assatio est concoctio humidi superflui quæ est in alimento, facta à calore externo separato ab humiditate & conjuncto cum siccitate. Ea rursum duplex est: simplex & vera; mixta & minus vera. Prior simplicissima est & antiquissima cum trojani belli temporibus heroes hac sola usi perhibeantur, quemadmodum probat ex Eubulo Athen. lib. primo dipnos. licet Eustach. credat elixis carnibus eos quoque vesci solitos. Ut sit, assatio patum operosa est, solo enim igne peragitur sic disposito ut assandam carnem non tangat, sed è longinquo calefaciat. Adhibendus is modus ne imperfecta fiat coctio, quæ nômen apud græcos non est sortita, vel nimia quæ Græcis στάτευσις Latinis Tostio seu Adustio vocatur.

Coctionis species.

Arist. 4. meteor. cap. 4.

Assatio.

Tostio.

Frixio. Inſtrumentum quo aſſantur carnes commodiſſimè, eſt veru, minus commode ſub craticula ſubditis prunis; ex qua ſequitur potius aduſtio quam aſſatio, eſcharam enim contrahunt carnes quæ ita coquuntur, Mixta aſſatio, eſt frixio quæ fit ἐπὶ τῶν τηγάνων in ſartaginibus, in hac enim adeſt humidum externum, cujus tamen ſiccitate potentiali aſſantur & ſiccantur carnes.

Elixatio. Elixatio eſt concoctio humidi ſuperflui quod eſt in alimento, facta à calore conjuncto cum humiditate aquoſa & in illud humidum ſuperfluum agente, ipſumque vincente & contemperante. Si fiat in aperto dicitur libera & difflata; ſi concluſis undique diligenter ſpiraculis, ſuffocata, ad quam pertinent paſtætorum quæ vocant genera, & carnium inter duos catinos cocturæ. Quænam eſt eorum omnium facultas? Aſſa ſicciora ſeipſis ſunt foris, Elixa humidiora, Aſſa edulia. Aſſa minus ſicca intus, elixa magis. Exteriorum itaque partium comparatione Aſſa interius humidiora ſunt, elixa vero ſicciora, abſolutè tamen aſſa dicuntur deſiccare, elixa humectare. Siccum ergo ſolidumque alimentum prębent aſſa, alvum adſtringunt, & excrementa ſæpe morantur. Elixa. Elixa vero humidius alimentum largiuntur & coctu facilia ſunt & calori noſtro convenientia, facile alvum ſubeunt, minuſque excrementorum gignunt. Frixa. Frixa ſuavia quidem, ſed inſalubria: ſuavia propter humidum pingue in quo fit frixio: inſalubria, quia humidum internum ſuperfluum non ita convenienter emittunt, quin potius plus adhuc externi redundantis attrahunt & imbibunt; ſunt coctu difficilia, alvum ſtringentia, nidorulenta, obſtruentia, ſanguinem exaſſantia. Suffocata. Suffocata quia æqualiter cocta, lau-

dabilem

dabilem ſuccum generant, temperatum, permeabilem, non hærentem in deſcenſu, in exceſſuum omnium mediocritate conſiſtentem. Cum autem dixerunt Arabes ſuffocata veneni vim habere, intellexerunt aſſatas carnes, quæ ex veru extractæ ſi protinus undique concludantur ne exhalare poſſint, non leves noxas contrahunt ex retentis vaporibus. Conſule Iul. Alex. ſalub. lib. 19. cap. ſecundo & ſexto.

Venio ad alterum hujus capituli verſum, ubi acria purgare, cruda inflare, ſalſa ſiccare perhibentur. Multa quidem hic dici poſſent de vi purgatrice medicamentorum; an ea à tota, quod aiunt, ſubſtantia & forma, an à qualitatibus primis & ſecundis proficiſcatur. Nullus eſt alicujus in medicina nominis qui rem iſtam multis difficultatibus implicitam explicare & enodare non ſit aggreſſus, ſed minimo profectu. Alii enim vim illam à cælo deducunt, ut Meſuæus & Fernelius; alii à forma ſeu tota ſubſtantia, ut Galen. & Aphrodiſæus; alii à manifeſtis qualitatibus, ut Eraſtus & Puteanus eleganti libello duplici de medicament. purgantium facultat. alii aliunde, ut videre eſt apud Valeriol. comment. in librum Galen. de conſtitut. artis, & Sanctorium à Sanctor. libro 8. methodi vitandorum errorum. Nos prætermiſſa theſi conſiſtemus in Hypotheſi, an & quomodo purgent acria; quæ eſt Salernitanorum ſententia. Docuit Galen. lib. 4. ſimpl. cap. 8. ex eſſentia Acrium eſſe excalefactionem, nec veterum aut recentiorum quemquam philoſophorum extitiſſe, qui acres ſapores omnium calidiſſimos non ſit arbitratus. Cum autem amara omnia & acida, acria ſint, hujuſmodi tamen propriè non vocanda ſunt acria, ſed ea tan-

Purgátia medicamenta.

An Acria purgét.

tum in quibus vehementem comperimus acrimoniam. At ex acribus alia edi possunt, alia esui sunt inepta: illa dulcem quamdam saltem obscurã admixtam habent qualitatem, quibus interdum pro obsonio, vel condimento utimur, pro vero cibo nunquam. Ista vel tota substantia nostræ naturæ summe adversantur, & vocantur putrefacientia, ac deleteria, vel caloris dumtaxat immoderationem obtinent, suntque simpliciter medicamenta. Rursum, inter acria quę simpliciter medicamenta sunt, alia crassam & terrenam habent consistentiam, alia tenuem: crassa si introsumantur exulcerandi vim habent, tenuia urinam movendi, sudoresque ciendi, incidendi præterea & digerendi per halitum. Si vero foris admoveantur tam crassa quam tenuia, exedunt, urunt, crustamque moliuntur: ex quibus habemus Acrium naturam calidam esse ac igneam, subtilem, attenuantem, mordicantem, ulcerantem, attrahentem, incidentem, purgantem, ac infarctu liberantem. Hæc erant ad conclusionẽ eliciendam à parte acrium consideranda, quibus majus accedet lumen, si omnia quæ ad purgandũ conferunt, in acribus esse ac reperiri demonstraverimus. Galen. lib. 5. simpl. cap. 20. duo purgantium genera constituit: alterum quod quovis modo excrementa purgat; alterum quod per vomitum tantum & ventris dejectionem expurgat: quæcunque autem purgant, trahendi vim habent, vel unum, vel duos pluresve succos, sed prioris generis purgantia improprie sic dicuntur, proprie vero vel bechica, vel diuretica, vel menses moventia & id generis: posterioris differentiæ purgantia proprie sic vocantur quod vim habeant familiarium succorum attractricem. Ea est Galen. sententia ad quam acrium facultatem reducemus. Prima

Acrium differentia.

Ad purgandũ quæ necessaria.

conditio ad purgandum est attractio, quæ si credimus Gaien. cap. 17. ejusdem libri, reperitur in corporibus calidis tenuium partium, proprium enim est calidi semper attrahere, quacunque hæreat in substantia, in crassa quidem minus, in tenui vero vehementius. Atqui acria calida & tenuia sunt, vim ergo attrahendi vehementem possident. Altera conditio cathartici est excretio alicujus succi vitiosi, quam Galen. cap. 20. ad familiaritatem quandá atque substantię similitudinem nescio quo consilio revocavit: nec jam locus est explicandi aut refutandi Galeni; atque satius est cum illo lib. 3. simpl. cap. ult. excretionis expulsionisque causam constituere in purgantis medicamenti mordicatione. Cui intelligendæ supponendum est ea quæ purgant à nostra natura non posse concoqui, neque in alimentum converti: ac præterea odiosa illi esse, infesta, ac perpetuo eam irritantia; quod ut acutè sic doctè observavit Aristot. prob. 47. sect. prima: quo loco duo requirit in medicamento purgante: primum ut sit ἄπεπτον ut concoqui non possit, alterum ut sit κινητικὸν commovens & alterans, sicut exercitandi ratio per motum alienam excernens materiam. Certum enim est ea quæ nutriunt & alunt non esse purgantia, verum quoque ea naturam non irritare ac commovere, nisi forsan copiosiùs ingerantur, tum enim ut advertit ibi Arist. lac ipsum ac mustum corpus purgant: quamobrem necesse est ut purgantia minimè nutrientia sint, sed sint à coctione aliena, ac insuper molesta atque irritantia sive moventia, id est, quemadmodum exponit Petrus Apon. com. in prædictum problema, ut egrediantur extra corpus per inferius aut superius, calefaciant partes, aperiant poros, superfluitates dissol-

Attractio unde.

Mordicatio.

vant in ſudores & tranſpirationem inſenſibilem, moveant humores & liquent, ut ipſis ſtimulantibus expellantur à natura. Duo igitur in purgante deſiderantur medicamento;ut corpus omnino non alat, ut corpus ſtimulet ac irritet. Revocare autē debemus in memoriá duo eſſe acrium diſcrimina: unum eſui aptum de quo hîc non eſt ſermo, alium ineptum quod purgantis medicamenti conditiones omnes habet;quod enim penitus non alat verè incoctile eſt;qua autem incoctile,ventriculo ac corpori infeſtum eſt, atque moleſtum. Plura qui voluerit legat Guillel.Putean.lib.2.de purg.medica. facult.cap.8. & 9.ex quo diſcet acria,ſicut volunt Salernit. purgandi facultatem obtinere. Si quis autem ſciſcitetur cur Salernit. Acrium hic mentionem faciant,ubi de præparatione, non de qualitate ciborum agitur, ſciat id ab illis fuiſſe propoſitū ut ſignificarent quædam eſſe acria quæ coctione miteſcunt, ut ſunt allia & porri quibus pro cibis utimur,alia vero quæ acrimoniam ſuam etiam admota ignibus retineant, à quibus vis omnis nutriendi exulat,alterandi & purgandi facultas nunquam recedit. Sed quoniam duo omnino ſunt crudorum genera quæ à calore noſtro non ſuperātur, alterum quidem eorum quæ prorſus coqui non poſſunt, qualia diximus eſſe acria; alterum eorum quæ apta quidem ut coquantur exiſtunt, cruda tamen remanent; tum quia vel difficilis ſunt coctionis, vel calorem ignavum & imbecillum nanciſcuntur: idcirco addiderunt Salernit. cruda inflare,quo ſignificarent hoc poſtremum crudorum diſcrimen Certum enim eſt crudos cibos & flatus & fluctuationes in corporibus noſtris excitare. Equidem ſi flatus cauſas omnes rimari velimus, eas partim ad efficientem,partim ad materialem

Cruda quæ.

Flatus cauſæ.

licebit revocare. Efficiẽs eſt calor modo intenſus, modo remiſſus & languidus; nunquã frigus; quod cum extenuare non poſſit, vapores quoque excitare non valet. Intenſum calorem flatus efficere docet Galen. 12. meth. med. præſertim cum in humorem craſſum, lentum & frigidum agit: fundit enim & liquat eos humores ac in flatum vertit, niſi quoque vim digerendi valentem poſſideat. Viſus eſt contrariam tenuiſſe ſententiã lib 6. de ſympt. cauſis, ubi nec calorem intenſum, nec frigus flatus generare ſcribit; ſed remiſſum ſolum calorem: vel hoc exemplo quod per conſtitutionem frigidiſſimam ac calidiſſimam purum ſerenumque aërem videamus, per medias autem conſtitutiones nebuloſum. Verùm eo loco Galen. rationem tantum habuit efficientis cauſæ, non etiam materialis: quæ cum cruda eſt, glutinoſa, lenta & frigida, quemcunque calorẽ illa repererit, intenſum, remiſſum, quoſdam ſemper flatus ex ſe promit; quod æſtate media obſervare eſt quando per Solis ardores & æſtus vehementiſſimos, procellæ & tempeſtates ſuſcitantur. Materialis cauſa flatuum eſt frigida, craſſa, lenta, & cruda quævis ſubſtantia, quam dũ calor vult ſubigere, primo attenuat, mox in flatum vertit, ut demum diſſipet ac digerat. Ejuſmodi ſunt leguminum, ſeminum cerealium, & fructuum maxima pars; & iis multo magis, inquit Galen. lib. 2. de aliment. facult. quæ ante exactam maturitatem mãdimus. Flatulentos cibos pene omnes recenſuit Corn. Celſ. lib. 2. cap. 26. his verbis, *Inflant*, inquit, *omnia fere legumina. omnia pinguia, omnia dulcia, omnia jurulenta; muſtum atque etiam id vinum cui nihil adhuc ætatis acceſſit. Ex oleribus allium, braſſica, cæpa omneſque radices excepto cicere & paſtinaca, bulbi, ficus etiam arida, ſed*

Locus Gal. explicatus.

Flatus excitaatia.

magis virides, uvæ recentes, nuces omnes, exceptis nucleis pineis, lac omnisque caseus, quidquid deinde subcrudum aliquis assumpsit, qua conclusione nihil illustrius esse potest ad confirmandam Salernit. sententiam. Porrò quæ debeant vel non debeant coqui & præparari alimenta, explicavit Galen. cap. 16. lib. 4. simpl.

Supereſt ut tertium hujus verſiculi membrũ exponamus, quod præcedentibus oppoſitum eſt: nã illa agunt de crudis cibis, hoc de cibis impendiò cõctis & ex coctione in ſalſedinẽ degenerantibus. Nam quemadmodum Protagoras & Philotimus optimè ſenſerunt, quo diutiùs unumquodque elixatur, caloréque magis exercetur, eo decoctum ſalſius evadit, deinde ſi vehementius excoquatur, amarum. Alimenta ergò ſalſa ex coctione ſeu etiã ex ſalis admiſtione, aut naturali compoſitione vim ſiccandi habent: *Sal* enim ut ait Galenus lib. 11. ſimp. *quidquid corporibus humidum ineſt quodammodo abſumit, & quod reliquum eſt ſubſtantiæ ſolidæ adſtrictione contrahit, ac proinde etiam conditura ſua corpora ſiccat & à putredine tuetur.* Supra diximus ſalſa omnia terrea eſſe, craſſamque habere ſubſtantiam, propterea deſiccare, ſitim afferre & adſtrictione quadam cogere. Hippocr. modo ſalſa ait alvum ſtringere, modo laxare: quod ut intelligatur, legendus Pamph. Herilacus de aquarum facultatibus lib. 3. cap. 7. & Smetius lib. 3. miſcellan. Addamus longæ huic diſputationi de alimentorum coctione, ex cibis alios præparationem aliquam atque coctionem poſtulare, alios nullam: quæcunque enim edulia nutriendorum naturæ ſimillima ſunt, quæque dulcedinem ſummã præ ſe ferunt, à natura ſatis excocta ſunt & apparata: ſic ut nullus alius apparatus debeat adhiberi, quem-

Apud Gal 3. de alim. facult. c. 32.

admodum notat. Galen. 4. ſimpl. cap. 16. & Iſaac lib. de diæta. particul. c. 62. lectione 3. Hujuſmodi eſt lac & maturi fructus; lac enim in uberibus animalis ſatis excoctum eſt, fructus quoque liquidi & molles nullum apparatum deſiderant, ſed duri quique craſſarum ſunt partium. Alia edulia in quibus natura actiones ſuas non explevit, quæque temperaturam nacta ſunt remotiorem à natura nutriendorum, vel coctione, vel conditura, vel utroque indigent. Nullum enim alimentum teſte Galeno habere debet ſaporem ſtomacho noxium, nec odorem fœtidum ac cerebro nocentem, nec duriorem ſubſtantiam ſtomachum fatigantem, nec mordicationem aut vellicationem nervis inimicam. Ubi adfuerint hæc vitia emendari poterunt coctione aut conditura. Et quidem coctionis beneficio tria in alimentis præſtamus: primum eſt ut quæ ſubtilia ſunt & liquida in craſſitiem convertamus, ut ova aſſata: alterum ut dura & craſſa tenuiora & molliora reddamus, ut aſſas carnes: poſtremum ut ſuperflua & flatulenta digeramus ut in leguminibus coctis apparet. Hæc fere Iſaac loco laudato, apud quem & ejus comment. Pet. Hiſpanum de foci & ignis differentiis ac conditionibus nonnulla proponuntur.

Lac coctione non eget.

Coctio ciborum cuid afferat.

De generali ciborum condimento.

Cap. VIII.

Salvia, lac, vinum, piper, allia, petroſolinum,
Ex his ſit ſalſa, nec erit commixtio falſa.

Hic habetur modus conficiendi ſalſamenti communis, ſi in menſa ſpecialia deficiant, &

Salſamenta Varia.

recenſentur quinque ex quibus fieri poſſit. Primum eſt. Salvia qua fit condimentum in aſſatione ſive decoctione anſeris. Anſeres enim ſive porcelli cum aſſantur, ſalvia fere impleri ſolent ut humiditates ſuperfluæ ſive viſcoſæ exhalent, & ſalviæ odor anſeribus vel porcellis imprimatur. Poſt aſſationem tamen ſalvia rejicienda eſt & non comedenda. Ex ſalvia etiam condimentum conficiunt ruſtici, quo in anſerum eſu utuntur: contundunt enim allium cum vino & Salvia, ut auferatur aliquantulum de ſapore allii. Secundum, Sal cum vino eſtque ſalſamentum divitum, ſive nobilium. Ipſi enim deficiente ſinapio, vel verjuto, imponunt ſalſario vinum, & parum ſalis. Tertium, Piper, eſtque ſalſamentum ruſticorum, commiſcent enim Piper cum fabis & piſis. Similiter etiam ex pane aſſo cum cerevisia, vel vino & pipere, fit ſalſamentum nigrum ad modum pultis, quod etiam piper vocant, & hoc effundunt ſuper carnes, aut piſces. Quartum, Allium, ex quo etiam fit ſalſamentum ruſticorum. Miſcent enim cum molli caſeo & lacte, terendo allium, & ita comedunt cum cibo ſive aſſo, ſive elixo, ſive ſalſo, ſive dulci, & cum ovis duris. Quintum, Petroſelinum, ex cujus foliis contuſis cum verjuto, vel albo vino, fit viridis ſalſa, quam cum aſſis edunt. Et hic notandum, ſalſamenta, ſive ſalſas ſecundum temporum diverſitatem vario modo confici. Temporibus enim calidis inclinant nonnihil ad frigus, vel parvam caliditatem habent. Temporibus vero frigidis, contrà.

Salvia.

Sal.

Piper.

Allium.

Petroſelinũ.

Materia igitur Salſarum æſtate fit verjutum, vel agreſta, de ſummitatibus vitis, vel acetum, ſuccus limonum, vel citrangulorum, vel granato-

Aeſtare.

rum, cum ſaccharo, & aqua roſarum. Quibus interdum addi poteſt aliquantulum ſerpilli & petroſelini, ad prędictorum frigiditatem temperandam. Materia verò ſalſarum temporibus frigidis ſit ſinapium, eruca, zingiber, piper, cinnamomum, caryophyllum, allium, ſalvia, menta, ſerpillum, petroſelinum, vinum, juſculum carnium, acetum non forte, ſed vini naturæ propinquum. Temporibus vero temperatis, ſalſarum materia ſit inter caliditatem & frigiditatem temperata. Secundo, variantur ratione cibariorum: cibariorum enim alia aliis indigent condimentis, id quod coci non ignorant. Mutonum enim, vitulorum & capreorum ſalſa debet eſſe viridis, in æſtate quidem ex aceto & agreſta, cum paucis ſpeciebus ſine Allio, cum Petroſelino, Zingibere albo, & agreſta, & pane aſſo in acetum vel agreſtam infuſo.

Hyeme fiat eadem cum pluribus ſpeciebus, pauco allio, optimo vino, & pauca agreſta, vel ſufficiat ſinapium & eruca. Salſa autem pro carnibus bovis elixis eſt piper coctum ex pipere, pane aſſo, jure carnium, & pauca agreſta, & hæc eadem ſatis convenit carnibus porcinis in hyeme. Poſſunt etiam carnes porcinæ comedi æſtate in principio refectionis cum aceto & petroſelino. Si verò prædictæ carnes paſtilentur; pręſertim bovinæ & porcinæ; Hyeme quidem adponatur cepe, allium cum pulvere ſpecierum dulcium parva quantitate: Aeſtate vero ſine cœpis cum verjuto, vel cepæ parvæ in pauca quantitate. Si autem paſtillatura fiat ex carnibus ſubtilioribus, non adponatur cepe. Aeſtate quidem lac amygdalarum, cum verjuto, & pauco pulvere ſpecierum dulcium; in fine adponatur ovum con- Hyeme.

quassatum cum agresta. Hyeme vero loco agrestæ sumatur vinũ cũ speciebus dulcibus. Assaturæ autem cuniculorum, & pullorũ convenit condimentum ex Cinammomo & mica panis. Aestate quidem cum agresta: Hyeme vero cum vino. Assaturæ porci convenit liquor inde descendens, conquassatus cum optimo vino & cepis, idque in hyeme: Aestate vero salsa viridis, cujus supra facta est mentio. Assaturæ phasianorum, columbarum, & turturum, nullo alio indigent condimento pręter salem. Caponum vero & gallinarum elixatarum conveniens condimentum, est aqua decoctionis earundem, cum aliquantulo pulveris specierum dulcium, & pręcipuè si addantur in decoctione salvia, hyssopus, petroselinum, idque in hyeme. In ęstate sufficit sola aqua cum succo summitatum vitis. Verùm pro salsa caponum & gallinarum pinguium pastillandarum, nihil penitus apponendum est pręter pauculum pulveris specierum, & in fine agresta supra dicta in æstate, optimum vinum in hyeme. Pisces vero quanto sunt carnis crassioris, difficilioris digestionis, majoris superfluitatis, & humidioris naturæ, tanto indigent salsis calidioribus, & acutioribus, quod etiam in carnibus observandum.

Pisciũ salsa.

Animadversio.

Conditura ciborum.

Altera ciborum præparatio ad voluptatem magis quam ad necessitatem comparata gręcis dicitur ἄρτυσις καὶ ἥδυσμός Latinis conditura vocatur, ex qua deductum nomen ἡδύματος καὶ ἀρτύματος quod vulgo Condimentum nuncupamus. Est vero Conditura ciborum præpara-

tio quędam: cujus beneficio ſuaviora non minus quam ſalubriora redduntur edulia, quam deſcriptionem ad ſcopum medicum accommodavi, non tam additione vocabuli ſuavioris, quod ſolius videtur eſſe voluptatis & luxus, quàm ſalubrioris, cujus rationem ſemper Medici ſibi propoſitam habere debent. Finis ergo condimenti duplex eſt: ciborum ſuavitas quam edaces & cupędiarii unicam ſibi proponunt, & eorumdem ſalubritas, quę conſiderationis eſt medicæ. Utrumque finem ex Galen. lib. 4. ſimpl. cap. 16. deduximus quo loco ait condimenta *ſuavitatem in augere per quæ ipſa præparantur, & eorum admixtione emendari vitioſa edulia, calida quidem frigidis condimentis, frigida calidis.* Porro condimentorum aliud eſt ſuave & jucundum, aliud in ſuave; aliud ſuave & inſalubre, aliud ſuave & ſalubre ſimul. Suave eſt ſaccharum & mel; inſuave menta, & ſalvia; ſuave & inſalubre eſt piperatum omne & acre edulium; ſuave & ſalubre acetum & agreſta. Sed advertit Galen. loco laudato ex cibo inſuavi & inſuavi condimento ſuavius & incundius effici obſonium: *fieri enim poteſt*, inquit, *ut immoderatis duob. coeuntibus id quod ex ambobus miſtum ſit commoderatum evadat, ac proinde quoque dulce appareat cum immoderata minimè ſint talia.* Officium itaque eſt boni Conditoris ſeu obſonatoris, noſſe rerum miſturas & compoſitiones, ut illa ſalubria, illa inſalubria evadant, qui ſolam ſuavitatem attendit Coci nomen, qui cum ſuavitate ſalubritatem, Medici appellationem meretur, ac proinde Cæl. Apitius coquinæ, Platina medicinæ magiſter habendus eſt. Habet ergo rationem medicus in condiendis cibis, ſuavitatis ſimul & ſalubritatis: ſuavitatis, quia *paulo pejor, ſed ſua-*

Condituræ finis.

Condimenti diviſio.

Coci & Medici diſcrimen.

vior cibus & potus, quemadmodum decernit Hippoc. Aphor. 38. lib. 2. *meliori quidem, sed ingrato præferendus: quæ enim libenter & magna cum voluptate summus, ea arctius amplectitur omnique ex parte appressus concludit & retinet ventriculus atque multo facilius concoquit*, ait Galen. in comment. salubritas etiam maxime attendenda, sic ut ex conditura, cibi ætati, sexui, temperamento, consuetudini, regioni, conditioni consentiant.

Cicer. l 1. de finib. Ex omnibus autem condimentis famem optimam esse dixit Socrates, Antiphanes significavit hoc senario:

Α῎παντ᾽ ὁ λιμὸς γλυκέα πλὴν αὐτοῦ ποιεῖ,

Fastidiebant enim viri prudentes gulæ hæc irritamenta quæ maxime esse solent valetudinis nocumenta: condimentis enim ut plurimum utuntur luxui dediti homines adeo pravis, ut coctioni plus noceant quam commodent, voluptati plus consulant quam saluti; quasi homines illi ideo vivant ut comedant, non è converso ideo comedant ut vivant. Cæterum condimentum omne seu utile & suave sit, seu insalubre, simplex est aut compositum. Simplex quod ex unius rei admixtione exurgit, compositum quod ex duab. aut pluribus rebus conflatur. Placet vero simplicia condimenta pro facultatibus quibus pollent dividere, easque ad primas qualitates & secundas revocare; qui mos est medicorum rerum naturas perscrutantium. Sunt ergo simplicia condimenta, vel calefacientia, vel refrigerantia, vel temperata. Calefacientium alia acria, alia amara, alia salsa: refrigerantium alia acerba, alia acida. Temperata sunt dulcia, & pinguia. Acria penè omnia aromatica sunt, quorum maximus est usus in condituris, cum pro-

Simplex condimentum.

Acria condimenta.

priarüm qualitatum, tum vero jucundi ſaporis atque odoris gratia: cibus enim eo odore imbutus & intro delatus, emendata ſuccorum malitia ſecurum corpori alimentum præbet; non modo quod facilè non putreſcit, ſed etiam quod humorum putrefactioni occurrit. Ad hæc pertinent cinnamonum, acre, odorum, ſuave, calidæ, ſiccæque naturæ, ſubſtantia tenui ſed leviter ſubadſtringente ac roborante, piper, zinziber, Caryophilli, nux moſchata, macer, macis, crocus, ſinapi, allium, ſalvia, ſerpillum, menta, majorana, petroſelinum, ſemen aniſi, cymini, anethi. Inter amara habentur amygdalæ amaræ & cappaes. Inter Salſa Sal τῶν ὄψων ὄψον καὶ ἥδυσμα obſoniorum atque condimentorum omnium obſonium ac condimentum. Ex refrigerantibus acerbis eſt ſuccus cerealium immaturorum, ex quo fit ſalſa, viridis vulgo dicta. Ex Acidis acetum, omphacium, ſuccus limonum, oxalydis, auranciorum, & citriorum. Dulcia ſunt ſaccharum, mel, pinguia, butyrum, oleum, adeps; quorum omnium facultates paſſim deſcribuntur à Medicis. Venio ad compoſita condimenta, quorum multiplices differentiæ recenſentur ab Apicio & Athenæo veteribus uſitatæ, non pauciores in uſu ſunt apud noſtros Cocos, ſed lautiores & ſuaviores; quas ne volumine quidem integro quis poſſit complecti ſi velit, adeo voluptas hominum ex gula ingenioſa eſt & artificioſa. Vulgò tamen commendantur intinctus, & Embammata omnis generis, Saccharata, Salviata, alliata, cepata, oxypora à dignitate & pręſtantia regia & Imperatoria, à gente Germanica & Luſitanica, ſunt & pretioſa ambarata, moſchata, perlata. Vulgaria quoque ſunt

Amara.

Salſa.

Acerba.

Acida.

Dulcia.

Pinguia.

Compoſita condimenta.

Acetaria, non modo ex herbis & radicibus, ſed ex floribus & fructibus nonnullis, non tantum ex ſale ſed ex ſaccharo quoque concinnata & condita, cruda modo, modo cocta. Quid recenſeam Tyrotarichos, Tuceta, tomacula, ſuccidia, capniſtas carnes, jura atria, pulmenta, vitulos, porcelloſque trojanos, pernas, minutalia & trunculos, ventres faliſcos, apexabones, eſcas conditaneas & muriaticas, cæteraſque cupedias & ſcitamenta quæ græcis γωγαλδ'ματα vocantur? Obſonatoris officium eſt noſſe quo condimento ſingula gaudeant edulia, alia enim omphacio, aceto alia, alia ſaccharo, ſale alia aut pipere ſuaviora & gratiora palato redduntur. Illius quoque eſt partium guſtum & palatum utentium tenere, nec ignorare temperamentum; ne calidis naturis calida condimenta exhibeat, aut frigidis frigida. Sunt ergo hæc univerſim conſideranda in condimentis. Primo ut ſani & valentes paucis admodum condimentis utantur. Secundo, nullo modo iis condimentis utendum, quæ plurimum à temperamento noſtro diſtant. 3. iis maximè utendum quæ ad temperamentum ciborum quibus veſcimur proximè accedunt. Quarto, æſtatis tempore & bilioſis naturis frigidiora condimenta, hyeme & pituitoſis calidiora concedenda. Quinto, admiſcenda condimenta quibus, ut ſuaviores ſic meliores & ſalubriores cibi reddantur. Ultimo ſic utendum condimentis ut nuſquam plures cibi ingerantur quam calor ventriculi coquere poſſit. Atque hæc ſufficiant ad doctrinam univerſalem condimentorum, quæ de ſingulis condimentis à Salernitanis proponentur, explicabuntur deinceps.

Obſervanda in condimentis.

De Sale.

Cap. IX.

VAs condimenti præponi debet edenti.
Sal virus refugat, rectè insipidumque saporat,
Nam sapit esca malè, quæ datur absque sale.
Vrunt res salsæ visum, semenque minorant,
Et generant scabiem, pruritum sive rigorem.

HOc loco tria discutiuntur. Primo ponitur præceptum generale, nemini hactenus non observatum, ut videlicet vas condimenti, id est, salis, quod salinum dicitur, primum in mensa apponatur, juxta vulgatos hosce versiculos.

Sal primo poni debet, primoque reponi.
Non bene mensa tibi ponitur absque sale.

Secundò, recensentur duo commoda salis. Primum est, salem resistere veneno. Cujus duplex potest adsignari causa, vel quia sal exsiccatum cùm sit, siccitate sua exsiccat humiditates, unde sequi solet corruptio. Galen. lib. 11. de simpl. Medic. facult. Nam sal, inquit, quicquid in corporibus humidum inest, id quodam modo absumit, & quod reliquum est substantiæ, adstrictione contrahit: ac proinde etiam conditura sua carnes servat, & à putredine tuetur. Vel quod sal exsiccet & reprimat humiditates à corpore extrahendas, porosque claudat, per consequens penetrationem veneni, quæ fieri solet per poros, prohibeat. Secundum est, salem cibis saporem inducere. Nam quotidiano discimus ex-

perimento, nulla cibaria ſine ſalis commixtionē ſapere.

Tertio loco enumerantur nocumenta ſalis ſive cibariorum nimis ſalſorum. Primum eſt ea utere, id eſt, lædere viſum, & itidem duplex cauſa adſignari poteſt: Quod res nimium ſalſæ vehementer exſiccantes inimicæ ſint oculis, viſus inſtrumentis. Oculi enim ſunt de natura aquæ, ut teſtatur Ariſtot. cap. 2. de ſenſu & ſenſibili: vel quòd cibaria admodum ſalſa, pruritum excitent & mordicent, à cibariis autem mordicativis in ſtomacho exiſtentibus elevantur & fumi mordicativi, mordicatione ſua oculis plurimum nocentes, ipſoſque tabefacientes. Unde videmus ebullientes ſalem rubros ferè habere oculos. Secundum eſt, cibaria ſalſiora imminuere ſperma. Quia multum exſiccāt omnes humiditates, unde etiam ſperma exſiccatur & imminuitur. Tertium eſt, generare ſcabiem, quia ſal humorem gignit acutum, mordicatiuum, & aduſtum, unde ſcabies naſcitur. Quartū eſt, augere pruritum, quia generat humorem mordicatiuum pruritivum. Horum 4. nocumentorum meminit Rhazes 3. ad Manſorem cap. 17. Eorum, inquit ſanguinem, qui multam ex eo ſumunt quantitatem, adurit, viſum quoque debilitat, atque ſperma minuit: generat pruritum & ſcabiem. Perſalſa prętерea gigunt ſerpiginem, impetiginem, morpheum, & lepram in diſpoſitis, & vias urinæ diu continuata excoriant. Moderatè tamen ſalſa faſtidium auferunt, ciborum adpetentiam faciunt, atque acuunt.

Animadverſio.

Animadversio.

EX omnibus condimentis Sal proponunt Salernitani ejusque vires explicant, cujus tanta est apud universas gentes utilitas, ut eo ad condimenta utantur & ad salituram , ita ut *siccitate ea carere elegantior hominis vita nequeat quacumque orbis in parte*, inquit Jul. Alexan. salub. lib. 18. cap. 7. Quæritur autem à Plut. lib. 5. Sympos. probl. 10. unde tanta sali acrevit opinio atque honos ut ab Homero θεῖος id est divinus vocetur, ut à Platone salis substantia legum authoritate sacro-sancta diisque gratissima καὶ θεοφιλέστατος prodatur, ut ei à nonnullis Gratiarum, seu χαρίτων nomen tribuatur , sut ab eo orta Venus ἁλιγενὴς denominetur. Salem vero divinum haberi docet communi nomine cum iis quæ quod publicis commodis serviunt & ad varios usus accommodata sunt, divina nuncupantur. Tanta autem est salis utilitas ut sit nutrimenti τρίσκωμα , cibo robur solidumque temperamentum ad urgendam appetentiam prębeat. Adde quod mortua corpora à putredine vendicando atque corruptione, Deorum immortalitatem imitari videatur. Gratiarum quoque appellationem sottitus est , quod sit ἥδιστον ὄψον delicatissimũ obsonium, potissimam cibi partem suavitate condiens. Nec male opinor Venus à sale denominata fuit, cum sal γόνιμος existat & ad genituram non parum conferat: solent enim canes in Venerem segniores salsis muriaque conditis carnibus ad Venerem excitari, circunferunturque maritimæ gentes & salaciores & ad Venerem libidinemque procliviores esse quam

Salis laus.

Quatuor quærũtur de sale.

Primũ.

Secundum.

Tertiũ.

Quartũ

mediteraneæ. Si quis ſalis prędconia legere voluerit, adeat Guillel. Stuchium l. 2. antiquit. convivial. c. 8. Levin. Lemnium lib. 2. de miraculis naturæ c. 36. & l. 4. cap. ult. Eraſmum in Chiliadib. Langium epiſt. 97. Mercurial. l. 3. Variar. c. 2. & Bernardinum Gomeſium opere peculiari ἁλοχαρίας.

Salis differentiæ.

Cæterum quia ſalis non una eſt differentia, ſed multiplex; idcirco ejus diſcrimina breviter adducenda ſunt, ut quæ potior in condimentis ſit ſpecies definiatur. Sal aut verus eſt aut apparens. Verum dico qui pręter colorem ſaporem quoque ſalis habet atque facultatem ſiccandi, calefaciendi, adſtringendi, abſtergendi, diſſolvendi, exſugendi ſuperfluitates, à putredine vindicandi, corrodendi etiam atque mordicandi. Apparens pręter colorem & concretionem ſalis nihil fere retinet. Verus duplex: eſt natiuus & factitius; ille vel è terra, vel ex aquis eximitur, Terrenus ut plurimum foſſilis eſt, ſeu cædatur ex montib. ſeu effodiatur è campis, ſeu ex arenis educatur. In India pleroſque eſſe ſalis montes teſtatur Plinius, & Herodotus narrat lib. 4. in Mediterraneis partib. Africæ Incolas eſſe Atlantas, hoc eſt Sales dictos· quod ibi non minus quam metalla ſales effodiantur. Juxta Cracoviam & in meditarraneis Germaniæ Provinciis è campis eximi ſalem nemo neſcit, in Cyrenaico tractu ſub arenis reperiri ſalem Medici non ignorant, quem idcirco Ammoniacum vocat Dioſcor lib. 5. cap. 75. Eſt & ſal ſaxeus quem ſalem Gemmæ dicunt, eſt & Niger, qui Naphricus ſeu Indus, eſt & viridis, qui Cappadocius, coſtus, metallinus, ſeu Sal quem Taburem vocantur. Petreus nitrum nominatur, quod à regione in Armenium, Africanum,

Sal terrenus & foſſilis.

Ammoniacus. Gemmeus. Niger. Viridis. Petreus.

Romanum Ægyptiacum, Babylonicum dividitur. A colore in album & nigrum, vulgo ab Rabuth. Ex aquis Sal erumpens dicitur fontanus, putealis, fluvialis, lacustris, marinus. In sinu maris Adriatici teste Polybio septem sunt fontes uno excepto salsi. Puteos quosdam Germaniæ salsis scatere aquis narrat Agricola. Ochus & Oxus Fluvii apud Bactros corrasa salis ramenta deferunt. E lacu Tarentino, Tarentinus sal nomen habet, si credimus Plinio, Medicinæ usibus expetitus. Denique è mari marinus sponte emergit, ubi mare fervens æstu spumas agit, easque ad littora & scopulos appellit, quæ abscissæ & in scopulis dimissæ, pro solis, pro aëris, pro loci natura in candidissimum & longe uavissimum omnium salem concrescunt. Hunc Agricola Salem Virginem vocari posse docet. Factitius sal seu arte elaratus multiplex est: alius enim est marinus ex aqua factus marina, alius ex muria nativa fontium, lacuum, aut aquarum salsarum; alius denique Chymicus qui non modo ex lignis, sed ex herbis atque ex omnium fermè arborum frondibus; imo ex rebus penè omnibus: quin etiam ex ipsis hominum & brutorum stercoribus ac fimis educitur ac paratur. Sal porro minimè verus, sed veri colorem mentiens, dicitur. Indicus Paulo Agein. l. 2. c. 54. ex Archigenis mente, vulgo Saccharum, quod an veteribus cognitum sit, vix constat. Manardus Epist. 5. lib. 15. Joa. Baptist. Theodos. Epist. 4. Leonard. Puchius paradox. lib. 1. cap. 35. Ruellius lib. 3. de natur. stirpium cap. 22. Jul. Alexand. salub. lib. 19. cap. 14. cognitum negant, mellisque genus esse quod veteres Sacchar vocabant, asserunt: quibus repugnant Guil-

Fontanus. Fluvialis. Putealis. Lacustris. Marinus. Sal Virgo. Factitius. Chymicus.

lel. Stuxius com. in Artiani periplum maris Erithræi, Cardan.lib. 1.contrad.tract. 1. contrad. 15. Andr. Mathiol. com. in lib. 2.Dioſcorid. cap.75. Joa. Gorręus junior in definition. medic. lib .2. Joa.Langius epiſt.64.Aloyſius Mundella annotat. in examen.ſimpl.Antonii Muſæ Braſa.Joan. Cornat. in Dioſc. lib. 2. Emblemate 71.& alii quibus libenter ſubſcribo ob rationes quas cumulavit Mathiol.epiſt.lib.1.epiſt.ad Jacobũ Boſellum,& Joa. Brodeus Miſcellan.lib.4.cap.22.Plures ſalis differentias videre qui voluerit, legat Andream Chioccũ.ſect.2.Muſæi Calceolariani Veronenſis.

Sal optimus. His ita conſtitutis dicamus quis ex ſalib⁹ potior ſuaviorq; exiſtat; quæ ve utilitates ex eo depromantur.Ex veris ſalib⁹ ut omnium perfectiſſimus eligendus eſt candidus,pellucidus,cryſtalli inſtar. dẽſus, inodorus, quiq; æqualem & cum quadam veluti ſuavitate temperatam habet acrimoniam; qualis ut plurimum eſt foſſilis ex montib⁹ cęſus,in quo omnes perfecti ſalis proprietates & effectus reperiuntur. Nam & caliditate & ſiccitate pollet paulo ultra ſecundum à temperamento receſſum, reſiccat vehementer & ſupervacaneum humorem exſugit, ita cogit,adſtringit & denſat ut extrinſecus ingruere noxa putredinis non valeat: extenuat quoque,diſſolvit & humorum craſſitiem abſumit; adſtringendi facultate & mordicat & corrugat os ventriculi ſuperius,ita ut appetitum moveat.Multa alia addi poſſent in ſalis commendationem non contemnendæ eruditionis, & à Baccio lib. 5. de Thermis & ab Alſario Crucio de quęſitis per epiſtol. centaria tertia,& ex Viginerio com. in Philoſt & tractatu proprio de ſale,& ex Beringuccio Pyrotech. lib.2.cap.8. propoſiti niſi me animad-

versiones scribere non commentarios recordarer. Unum addo, salem idcirco in condimentum ciborum advocari; 1. quod omnium saporum primus excitet ex palato salivam, sine qua non fit bona pręparatio cibi in ore. 2. quod viscosa cibatria & crassarum partium temperet & attenuet. 3. quod cibis omnibus qui ferè insipidi sunt respectu gustus, suavitatem & sapiditatem conciliet. 4. quod humidos cibos & superfluo turgentes succo exsiccet; postremo quod ciborum graveolentiam ac fœtorẽ sit quis adsi tollat aut emendet. Ex his quę de sale dicta sunt, cujus facultatis sint salita quivis intelliget: attamen qui rem exactius nosse voluerit de salsis aquis, consulat Baccium lib. 5. de Thermis, Herilacum de aquarum natura lib. 3. & Georgiũ Vernherũ de aquis Hungariæ. De garo & muria veterum videat Jul. Alexand. salub. lib. 16. cap. 16. & inter alios Lælium Bisciolam appendice ad postremum librum tomi secundisi horarum subsicivarum. Cęterum locus hic esset commemorandi & explicandi singula condimenta à Salernitanis prętermissa, sed à Calcographo urgeor, variis alioquin negotiis distractus; ab iis igitur velut à rebus minus necessariis imprę sentiarum abstinebo, ubi tamen occurrerint non omissurus.

Sal cur condimentum.

De tempore assumendi alimenti penes anni tempestates.

CAP. X.

Temporibus Veris modicum prandere juberis.
Sed calor Æstatis dapibus nocet immoderatis.
Autumni fructus caveas, ne sint tibi luctus.
De mensa sume quantum vis tempore Brumæ.

Veris cibus.

HIC agitur de cibi mensura secundum anni tempora convenienti. Et primo de Vere: Vere siquidem modice prandẽdum est, paululum cibo demendum, adjiciendumque potioni. Avicenna 2.1.Doctr. capite sexto. Ratio. Quia tempore hyemis propter ejus gulositatem & excercitii parvitatem, & resolutionis prohibitionem, humores crudi, & maximè phlegmatici ex temporis proportione generati in interioribus corporis, ob ambientis aëris frigiditatem, sive ἀντιπερίστασιν coadunantur; Ver autem superveniens illos eliquat, & diffundit per totum corpus, quare natura per id tempus plurimum circa illorum digestionem occupata est. Si itaque in Vere daretur magna cibi mensura, natura à digestione prædictorum humorum impedita diverteretur, ut pote per humores, & magnam ciborum copiam plus æquo gravata, unde humores in corpore crudi & indigesti relicti facillime membrum aliquod invadentes ægritudinem inducerent. Quare summopere conandum est, ut id temporis cibo nonnihil dematur. Diminutio enim ciborum maximè pręservat ab ægritudinibus Veris, teste Avicenna ibidem. Et hoc quidem de adulto & extremo Vere intelligendum; novum enim Ver Hyemi adsimilatur, unde & hyemis ritu per id tempus cibus administrandus est. Intelligendum item de corpore humoribus phlegmaticis & crudis repleto. Corpori enim temperato in humoribus, cibus exhibendus juxta mensuram caloris innati, & resolutionem quæ fit à corpore: ablata enim causa est diminutionis cibi, Unde Hip. Aphor. decimo quinto, libro primo: Ventres Hyeme & Vere, natura calidissimi sunt, & somni longissimi: quare per ea tempora alimenta copiosora sunt exhibenda. Etenim tunc

calor innatus plurimus eſt, unde & pluribus eget alimentis.

Secundò, de Aeſtate, quod nimia cibi ſumptio in æſtate noceat. Virtus enim digeſtiva tum debilis eſt: ſpiritus enim & calor innatus, inſtrumenta virtutum debilitantur, minuſque ob caloris externi exceſſum, & attractionem ad exteriora reſolvuntur, & multum cibum digerere nequeunt. Sciendum tamen propter vehementiam reſolutionis humiditatum, tam ſubſtantialium, quàm nutrimentalium corporis, æſtivo tempore craſſiorem ac majorem cibum exhibendum eſſe, ſi virtus digeſtioni ſufficeret. Verùm cùm non ſufficiat uno eodemque tempore multum digerere cibum, parum ſæpeque de eo exhibendum eſt, juxta illud Galen. comm. 17. lib. 1. Aphor. Aeſtivo quidem tempore, quantum ad temporis rationem attinet, ſæpius pauca danda ſunt, quoniam & pluri egent adjectione, ut qui ſunt diſſoluti, & vires habeant imbecilles. Et licet æſtate cibo nonnihil demendum ſit, potioni tamen adjiciendum eſt: tum enim maxima fit reſolutio & exſiccatio corporis, calor etiam humidum longè exuperat, unde & ſitis major exoritur. Elixis itaque utendum, cibiſque frigidis ac potione tum multa, tum diluta. Vinum autem vinoſum & purum evitandum, ut quod facilè inflammetur, & violento æſtu vehementem calorem intendat. Aeſtatis cibus.

Tertiò de Autumno, ut ſcilicet per Autumnum à fructibus autumnalibus, uvis ſcilicet, Perſicis Ficubus, & ſimilibus abſtineatur, vel modicè ſaltem de iis edatur: generant enim ſanguinem putrefactioni accommodum, ob ebullitionem, quam in corpore & humoribus faciunt, quod maximè in ſtomacho immundo in Autumno ſæpius accidere Autumni cibi.

ſolet: unde malæ ſequuntur ægritudines, nimirum variolæ, morbili, & peſtilentia. Pro majori notitia victus ſalubris per autumnum, cavendum eſt, ne famem & ſitim patiantur, vel cibo una hora repleantur, ut præcipit Rhazes 4. ad Manſorem cap. 26. de regimine corporis ſecundum anni tempora. Vinum autem quod bibitur, ſit paulò liberius dilutum, neque tamen immodicè, ut corpus humectet, & calorem reprimat: minus etiam quàm in æſtate bibendum, ne natura per id tempus debilitata digerere renuat, & calor obtuſus, ventoſitates & colicam generet.

Hyemis cibi.

Quartò de hyeme. Tempore ſiquidem Hyemali tantum edendum quantum volumus, id eſt, plus quàm cæteris temporibus, teſte Avicenna Fen. 2.1. Doctr. 2. capite ſexto; & Galeno, in comment. 17. libri primi Aphoriſ. Hyberno, inquit, tempore multa quidem danda ſunt propter robur virium, ſed raro, quia non valde multa indigent adjectione laborantes, ut à quibus non multa fiat evacuatio. Et ratio eſt, quia calor innatus hyeme intẽſior eſt, tum quia unitus, tum quia fortificatus διὰ τὴν ἀντιπερίστασιν, id eſt, juxta poſitionem ſui contrarii, videlicet, frigidi aëris corpora circundantis: quod veritatem habet in robuſtis & corpulentis, & non in raris ac debilibus, in hujuſmodi enim corporibus intenſum hyemis frigus non modo non confortat calorem, ſed magis debilitat. Et hoc innuit Hippocr. Aphor. 15. lib. 1. Ventres hyeme & Vere, natura calidiſſimi: quare per ea tempora, alimenta copioſiora ſunt exhibenda. Etenim hinc calor innatus plurimus eſt, unde pluribus egent alimentis, quæ quidem & craſſiora, ac difficilioris digeſtionis exhibere licet, quia calor intenſior eſt. Vino autem utendum eſt meraciore & rubicundiore.

Notandum tamen, quòd licet consideratione habita ad fortitudinem caloris & virtutis digestivæ in hyeme crassiores & densiores cibi conveniant, attamen quia corpora per id tempus ob phlegmatis abundantiam facillime replentur & obstruuntur, & parva à continente sit resolutio; tutius est uti cibis inter solidum & rarum mediis, sicuti sunt caro hœdina, vitulina, mutonis, lucii, percarum & cancrorum. Crassioribus vero ut sunt bovina, porcina, agnina, concharum, astracrorum, caponum & similes, abstinendum aut una saltem comestione utendum, adhibitis sæpius rebus aperitivis & diureticis, ut petroselino, nasturtio, apio exercitio forti.

Animadversio.

PRæparationem ciborum sequitur tempus ingerenti alimenti. Tempus illud est innominatum aut nominatum. Innominatum rursum generale est aut particulare. Generale comprehendit victus rationem singulis anni temporibus convenientem; de qua hoc capite agitur. Particulare designat tempus quo assumenda sunt alimenta de quo proximo dicetur capite. Nominatum tempus prandium ac cœna, de quibus suo ordine.

Quod spectat ad victus rationem secundum anni tempestates definiendam, observandum imprimis alimentum debere semper comparari cum calore, sic ut major copia ingeratur cibi ubi, major adfuerit nutritiarum partium calor innatus, atqui hyeme & vere uberior adest ventriculi calor, parcior autumno & æstate; ergo hyeme major copia

Fundamentum notandum.

alimenti ingerenda eſt deinde vere, minor autumno, omnium minima æſtate; ut colligere licet ex Aphoriſ. Hippocr. 15. lib. 1. Quocirca idem Hippocrat ſive Polybus lib. de diæta commendat hyeme victum uberiorem ex cibis ſatis ſolidis, carnibus aſſis, calefacientibus oleribus, potum vero parciſſimum ex vino meraco ut corpus calidum & ſiccum efficiatur, eſt enim cibi copia neceſſaria ob caloris copiam tùm vigentis, ſolidi quoque debent eſſe cibi ut magis nutriant. Aſſi præterea quibus facultas ineſt calefaciendi ſimul & exſiccandi. Molliora olera interdici debent quia phlegmatica, non duriora & calidiora ut ſupetfluæ corporis humiditates aliquo pacto abſorbeantur. Vinum debet eſſe calidiſſimum & multi nutrimenti, quale eſt craſſiuſculum, rubrum, flavū, ſed parcè aſſumi debet, quia reſiccanda ſunt corpora, non humectanda. Quod ſi quis objiciat hyeme largiore potu utendum, tum propter ciborum copiam quorum vehiculum eſt, tum propter eorum qualitatem ſolidam, aridam & aſſam, ex quo per anguſtas meſenterii venas difficilius diſtribuuntur, reſpondeo parcum potum intelligi reſpectu aliarum anni partium, non alimentorum quæ aſſumuntur. Quæri hic etiam poteſt cur victus ratio calidior hyeme exhibeatur, cum ventres tùm ſint calidiores. Dicendum calidiores cibos hyeme convenire, propterea quod hyems corpus pituita impleat ob aëris quem aſſiduè ſpiramus frigidam & humidam intemperiem; ex Hippocr. lib. de natura huma. ut igitur conſtitutio illa emendetur, cibi calidiores aſſumendi ſunt; nulla enim eſt in toto corpore caliditas præterquàm in organis coctionis. Idem eſto judicium æſtatis in qua omnes partes calidiores ſunt, excepto ventri-

Objectio. Solutio. Objectio alia. Solutio.

culo. Porro ineunte Vere compoſiori & dilutiori potu utendum & paulatim, cibis mollorib. elixis, idem Polybus conſulit; æſtate vero potu aquoſo & multo, cibo pauco & elixo: Autumno denique cibo paulo pleniori & ſicciori quam æſtate; potu parciori & meraciori: quæ omnia paulo fuſius explicat Galen. in comm. Hier. Triverus & Joann. Placatomus. Cæterum totum hoc caput deſumptũ eſt ex Avicen. Fen. 3. lib. 1. doct. 5. cap. ſingulari; quem locum mirum in modum illuſtrat Jacob. de Partibus ſuo commt. Adi quoque Galen. comm. in Aphor. 15. lib. 1. Aphor. 2. & 18. lib. 3. & in Aphor. 47. lib. 6. Non omittendum eſt quod monet Cato lib. de re ruſt. cap. 56. & 57. familiæ villici hyeme paulo minus cibi præbendum quàm æſtate, & æſtate plus vini dandum quam hyeme. Eſt ne Cato Hippocrati contrarius? Ita eſt, ſed Hippocrates minime deſerendus. Cato enim rationem habet operariorum qui per æſtatem neceſſario plus laborant; Hippocrates hominum qui ſanitatem ſartam tectam conſervare cupiunt.

Cato ad verſus Hip.

Cæterum hic locus exigit ut de antiperiſtaſi aliquid adjiciamus; cum ejus beneficio calorem nativum hyeme intendi omnes perhibeant, ad eamque confugiant in enodandis difficillimis quæſtionibus. Equidem vox ipſa Ariſt. primo meteor. cap. 12. Olympiodoro praxi 14. ejuſdem libri, cæteriſque Ariſtotelis interpretibus Græcis & Latinis uſurpata legitur, uſus ejus apud Hippocr. Galenum, alioſque Medicos frequens eſt ſic ut eam in rerum natura eſſe nemo dubitare debeat: ἀλλ' ἐπειδὴ ὁρῶμεν, inquit Ariſt. ὅτι γίνεται ἀντιπερίστασις τοῦ θερμοῦ καὶ ψυχροῦ ἀλλήλοις, quod ipſum pene repetit Olympiod. intelligunt Hippocr & Galen. in Aph. 21. lib. 5. Sed nec ab ea mente recedunt ii

Antiperiſtaſis cognita Philoſophis & medicis.

qui frigori vim urendi tribuerunt ut ſunt inter Poëtas Virgilius & Lucanus, inter Oratores Tullius, inter Phyſiologos Galeot. Martius, Hieronym. Magius, & Brodeus, quorum recenſendis verbis parcimus ne Medica Grammaticis videamur interſerere. Deſcribenda potius eſt Antiperiſtaſis & ejus ratio explicanda. Deſcribitur autem *calidi & frigidi mutua undique compulſio atque conflictio*, vel ſi mavis *coarctatio, cohibitio, ſeu compreſſio mutua duorum contrariorum, maxime calidi & frigidi, per quam contrarium obſeſſum compreſſumque ab altero contrario multum intenditur.* Etenim cum unum contrarium alteri contrario opponitur puta calori frigus, calor qui eſt contrarium ita oppugnatur ut nequeat obſiſtere frigori: fugit ergo calor, fugiendo ſeſe colligit, ſeſeque colligendo vires ſumit evaditque valentior eo in loco ubi collectus eſt: ibique tum demum reſiſtit frigori cui ante collectionem cedere cogebatur. Notum eſt vulgare illud axioma ſimulque verum, unitam virtutem ipſa diſſipata fortiorem. Sequitur examinandum an ille calor qui ob frigus obſidens interius fugit augeturque, ſitne ſubſtantia an qualitas: ſecundo utrum intenſio illa ſit ſecundum gradus: ac denique fiatne intenſio hæc caloris, vel a calore ipſo ſic ut ſe ipſum augeat, vel à frigore ita ut augeatur calor ab eo quod calorem deſtruit. Multæ hic rixæ & contentiones inter philoſophos, & ſi ullibi ſubtilitas emicuit, maxime in hoc argumento in quo Richardus Suiſſet vulgo Calculator dictus, Pet. Pomponat. Benedict. Victorius Faventin. Joa. Marlianus, Alvarus Thomas præ cæteris enituerunt. Ego ut multa paucis complectar, intricata evolvam, obſcura

Definitio Antiperiſt.

Quæſtiones tres circa Antiperiſt.

illuſtrem & à ſenſibus abſtracta ad uſum & experientiam revocem, arbitror primo calorem illum ob frigus intro recurrentem non eſſe ſubſtantiam ſed accidens. Quod ut intelligatur, ſupponendum ex Galen. comment. ad Aphor. 14. ſect. 1. aliud eſſe τὸ θερμὸν aliud θερμασία, aliud inquam calidum, aliud caliditatem. θερμὸν duo ſignificat corpus caliditate præditum, & ipſam caliditatem quod exemplis demonſtrat, θερμασία, vero ſolam caliditatem denotat. Galenus ergo comm. ad Aphor. 15. ejuſdem ſect. notat frigido balneo τὴν θερμασίαν εἰς τὸ βάθος ὑποφεύγουσαν ἀθροίζεσθαι, & poſtea ἐπανέρχεσθαι, calorem in profundum fugientem colligi; & mox reverti ad extimam ſuperficiem, quod exemplum adducit demonſtrandæ antiperiſtaſeos. Ex hoc ſequitur Galenum intelligere antiperiſtaſi augeri calorem nativum penes qualitatem, non penes ſubſtantiam cum vocabulo τοῦ θερμοῦ uſus non ſit, ſed τῆς θερμασίας, quam Ariſtot. in problem. definit ὑπεροχὴν τῆς θερμότητος, ideſt caloris exceſſum. In qua quoque ſententia fuit Oribaſ. comment. in eundem locum ubi ſcribit πλείω τοῦ θερμοῦ ἐμφύτου θερμασίαν cauſam eſſe majoris appetitus & melioris coctionis. Ait præterea *quod hyems frigida ſit, & ver ei vicinum, hanc ob rem neceſſe eſt ut cavernæ illæ inviſibiles quos poros appellant, concludantur & omnino conſtipentur. Atque hinc fervor noſter naturalis* (θερμασίαν dicit non θερμὸν) *non invenit per quod exhalari & egredi poßit. Continet ergo omne quod eſt intrinſecus & celeriter obit ciborum coctionem, ceu princeps & dominus qui cuncta diſponat.* Et re vera calor qui retrocedit non fixus ille eſt ac ſubſtantialis, ſed ſo-

Prima quæſtio.

lum influens & accidentarius; *fixi enim caloris* ait Liebantius ſcholiis ad prædictum Hippocr. Aphor. *nulla poteſt acceſsio, nullumque incrementum fieri, alioquin immortale foret animal.* Præterea deſtitutas partes illo calore influente ob frigoris appulſum nemo dixerit privatas fixo ac implantato; quod tamen admittendum eſſet ſi quidem ſubſtantia ipſius caloris relictis externis partibus interiores petere cogeretur. Scio Galen.loco adducto videri contrariam tueri ſententiam; cum copioſius penes ſubſtantiam augeri calidum nativum dixerit, ſed tum rationem habuit ſanguinis & ſpiritus influentis, qui pabulum calori influenti ſubminiſtrant, ſic ut tum dicatur eſſe copioſior calor ubi copioſius pabulum ſubminiſtratur; quod tamen materialiter non formaliter eſt intelligendum. Idcirco Thom. Eraſtus comm. in eum Aphoriſ. 15. ait, *dicitur calor auctus hyeme, non quia calor ſingulis membris conceſſus fiat auctior; ſed quia nativus cum calore ſingulorum membrorum junctus augetur.* Ne autem alicui ſcrupulus hæreat, quot modis augeri dicatur & poſſit calor nativus explicandum eſt.

Galeno reſpondetur.

Hollerius in Hippocr. Aphor. 14. quatuor modis calidum innatum augeri docet: *penes ſubſtantiam, quantitatem, qualitatem, & efficaciam ſeu energiam.* Subſtantiam caloris nativi *multifariam* intelligit: primo penes *generationis noſtræ principia.* 2. penes *ſanguinem & pituitam.* 3. penes *ſanguinem & viſcera.* 4. & per antonomaſiam penes *cor*, ubi ſedem obtinere dicitur. A quantitate calor dicitur, *vel multus, vel extenſus.* A qualitate *blandus, acris, languidus*: ab energia, vel magis *intenſus*, vel magis *ſymmetros*. Rodericus à Fonſeca comm.in eundem locum, quinque

Quot modis augeatur calor.

modis aliquid calidius dici posse innuit: *substantia, quantitate*, *qualitate*, *robore & tactu.* Substantiæ nullas dat differentias, quantitatem constituit multitudinis & extensionis; qualitatis unam ratione caloris simpliciter ut calor est, alteram ratione innati quà mitis est. Efficacia etiam caloris duplex: prior ratione innati, posterior ratione caloris: tactui nullam speciem tribuit. Ex his colligit augeri calidum innatum hyeme secundum efficaciam, non ratione caloris, sed ratione innati; quasi statuatur auctum calidum hyeme secundum quantitatem; æstate vero secundum qualitatem, Sed meo quidem judicio Hieronyn. Cardan. eodem comm. difficultatem eam luculentius enodavit. Scribit enim calorem innatum augeri non simpliciter, sed bifariam: primo *juxta corporis proportionem* quod accidit nunquam; deinde *quoad opus.* Opus autem duo quoque designat, vel *substantiam*, vel *opus* tantum. Quoad substantiam calor naturalis augetur, 1. *ex cibis & potibus.* 2. *exercitatione.* 3. *somno* ut auctoritatibus Hippocr. demonstrat. Quoad opus tantum augetur primo calor *ab ira & verecundia.* 2. *medicamentis calidis* 3. *contractione caloris ob frigus*, id est, antiperistasi. Ex his, ni fallor perspicuum est θερμασίαν esse quæ augeatur non θερμὸν. Sed restat altera difficultas an calor ille qui augetur, secundum quantitatem intendatur an secundum qualitatis gradus, hoc est major ne reddatur an acrior. Consensus omnium est eam intensionem juxta quantitatem contingere. At cum quantitas sit duplex; una *numeri*, altera *extensionis*, fit hæc intensio quantitativa non penes extensionem, sed penes multitudinem. Cujus quidem intensionis modus hic est. Calor nativus qui per æstatem non

Altera quæstio.

ſolum per partes internas, ſed externas quoquè diffundebatur, ſuperveniente hyemis frigore ab externis partibus cogitur & comprimitur in internas; diminuitur ergo calor ille juxta extenſionem: tot enim partes non occupat quot antea: ſed augetur juxta numerum: calor enim exempli gratia qui erat in pedibus, manibus, veſica, partibuſque exanguibus, continetur in viſceribus à quibus prius aberat. Rem placet familiari exemplo illuſtrare. Sint in foco novem aut decem carbones igniti, ſed à ſe invicem diſſiti & longius remoti; dubio procul numquam poterunt expoſitam illis ollam fervefacere donec eos circa ollam cogas & unias: tunc autem carbonum calor formaliter non intenditur, ſed propter unionē & colligationem majoris eſt energię, quia quod non poteſt unus, à multis prętatur. Quod ſi accedat præterea ut in foco calido illi accendantur, minorem tunc calefaciendi vim obtinent, quia calor libere difflatur & expirat; at ſi loco mediocriter frigido collocentur qui calorem illum cogere non extinguere poſſit, denuo intendi calorem illum contingit quia numerus radiorum expirantium multiplicatur: exhalationes enim ignis ob appulſum frigoris circunſtantis & obſiſtentis denuo reflectuntur; eademque ratione multiplicantur & augentur atque radii ſolares reflexi. Ex illa ſuppoſitione omnibus difficultatibus patet ſolutio; maximè tertiæ quęſtioni qua petebatur utrum intenſio illa fieret ab ipſomet calore ſeipſum intendente aut à frigore conſtringente. Aſſentior enim Latino Tancredo diſput. 2. de omnigena antiperiſt. cap. 2. aſſerenti non intendi augerive calorem à ſe ipſo neque à frigore. *Verum*, inquit, *frigoris antiperiſtaſis*

Tertia quæſtio.

riſtaſis locum habet, quatenus ventres ambiens occludit conſtringitque corporis meatus, & impedit ne ſpiritus cum calore foras exeant, & diſsipentur. Plura habet idem Tancredus toto ſuo opere, Petr. de Peramato cap. 14. lib. de elementis. Soares ſect. 9. diſput. 18. in metaphyſ. Pet. Garcias Carrero diſputationibus medicis ſuper fen. primam primi lib. Avicen. diſput 5. cap. 6. Thom. de Garbo lib. 2. ſummæ medic. quæſt. 3. maxime vero Joan. Marlian. quæſt. de caliditate corporum human. tempore hyemis & ęſtatis, & de antiperiſtaſi.

De tempore particulari aſſumendi alimenti

Cap. XI.

TU nunquam comedas ſtomachum niſi noveris eſſe
Purgatum vacuumque cibo quem ſumpſeris ante.
Ex deſiderio id poteris cognoſcere vero;
Hæc ſint ſigna tibi ſubtilis in ore diætæ.

HIc traduntur præcepta quædam ante cibi ſumptionem ſervanda.

Primum, ne ſumatur cibus, cùm ventriculus quibuſdam humoribus vitioſis adhuc plenus excitatur. Corrumpitur enim ſimul alimentum, quod inſuper ingeritur, una cum pravis humoribus, qui prius ſunt in corpore, ita ut ipſorum quidem quantitas augeatur, qualitas verò ſervetur. Eos igitur ut lib. 6. cap. 9. de Sanita. tuen. Galenus autor eſt, vomitione, in iis, qui ſuapte natura facile vomere poſſunt, ex-

pellere prius, quàm cibus ingeratur, oportet. Impura namque corpora & vitiosis humoribus rsferta, vacuatione potius, quàm ea quæ per cibos fit refectione egere, testatur cum primis Hippocrates Aphor. 8. & 10. lib. 2. & ibidem Galen. in comment.

Ventriculum vero vitiosis humoribus esse plenum, è nidoribus & ructibus deprehendi potest, quemadmodum Galenus lib. 1. cap. 4. de locis affect. docet, ad quem sane lectorem nunc ablegamus.

Secundum, ne priore cibo nondum concocto, necdum in alvum demisso, alius sumatur, qui enim eo modo supereditur, naturam à prius ingesti concoctione deturbat, quo fit, ut quicquid ejus confectum ex ventre à venis mesaraicis ad hepar deducitur, reliqua statim omnia etiam incocta secum in corruptionem trahat, adeoque tum vasa ipsa, tum totum corporis habitum, cruditatis, & vitiosorum humorum multitudine repleat, ac ob id ipsum morbis non raro tentet. Proinde rectissime Galenus lib. 7. cap. 6. metho. meden. præcipit, ut vacuus purusque ventriculus secundum cibum excipiat. Quin etiam Avicenna. 3. 1. doc. 1. cap. 7. idem prę́scribens, ita fere inquit: Nemo sanitatis suæ studiosus aliquid comedat, nisi ad hoc certe prius incitante desiderio, & ventriculo una cum reliquis superioribus intestinis à præsumpto cibo vacuatis: priore enim cibo nondum concocto, alium insuper ingerere, corpori perniciosum est.

Porro ex ructu nullam alimenti prioris qualitatem referente, ventriculi tumore jam submisso, excrementorum dejectione, & urinarum colora-

tione, licebit conjicere, num prior cibus ad unguem confectus, ac in alvum demiſſus ſit; quemadmodum Gal. lib. 7. c. 6. metho. meden. & poſt eum Paulus lib. 1. c. 97. luculenter & perſpicue docuerunt. Urina enim quæ aquæ ſpeciem præfert, crudum adhuc in venis ſuccum eſſe indicat eum qui à ventre ſubmittitur. Quæ rufa & bilioſa, jam dudum concoctum eſſe hujuſmodi ſuccum portendit. Quæ modice pallet, peractæ modo ſecundæ concoctionis eſt ſignum, quemadmodum eleganter Cornel. Celſus lib. 1. c. 2. & Plinius lib. 28. c. 6. docuerunt. Imperfectæ autem concoctionis, ut teſtis eſt Sect. 6. Aphor. comm. 1. Galenus, acidus ructus certum indicium eſt.

Signa etiam, quibus certo comprehendi poſſit, utrum à vitioſis illis humoribus, ac prius ingeſto cibo vacuus ſit venter nec ne, & hic duo ſubjunguntur.

Primum, deſiderium certum, hoc eſt, vehementior & vera novi alimenti appetentia ſive fames. Nam de medicorum fere omnium ſententia duplex fames eſt: una quidem vera & naturalis, altera vero mendoſa. Veram deſcribit Galenus Aphor. lib. 2. comment. 16. ſic inquiens: Fameſcere illos dicimus, qui ob ciborum inopiam ad extremam eſuritionem perveniunt. Fames.

Idem lib. 1. cap. 7. de cauſ. Sympto. diſerte admodum & copioſe harum appetentiarum rationem & diverſitatem deſcribit, quem locum, utpote ſcitu digniſſimum, hic integrum ſubjicere placuit. Nam quoniam, inquit, cute tenus unumquodque animal in ambiētem aërem digeritur, accidit ut membra, quæ ſub ea ſunt, prima vacuentur, quorum ingenita vis ex proximis ſuum alimentum trahit,

id ſcilicet quo vacuatur reficiens, deinde rurſus illa ex iis quæ ſibi ſunt proxima, ſicut quæ tertio loco ſunt poſita, ab iis quæ ſibi. Atque ita ſemper per continuum, veluti in choro quopiam tranſlatione celerrimè facta, ad venas, quæ ad ventriculum pertinent, vacuatio pervenit. Hæ verò & ſolent pariter, & natæ ſunt ex ventriculo nutrimentum trahere, perinde ut ſtirpium radices, quæ in terram ſunt demiſſæ, ab ea. Cùm enim hoc opus univerſum naturale ſit, non animale, ſimiliter in ſtirpibus, & animalibus perficitur. At in ſtirpibus quidem, terra perpetuò paratum largumque alimentum rigantis ritu ſubminiſtrat: quandiu cœlitus temporum ſtatus pro natura ſe habet; quando autem ex terra ſqualoris exceſſu ſiccatus eſt humor, ſtirpes nutrimenti penuria marceſcunt. Animalibus autem, ut pote terræ non affixis, pręter utique pauca quædam, natura ventrem pro nutrimenti veluti penu fabricavit, quemadmodum ſtirpibus terram. Dedit autem animalibus & penuriæ ſenſum, quo ſcilicet ad cibum potionemque proritata, in tempore expleantur, vocaturque ejuſmodi implendi deſiderium appetentia. Fit autem ex penuriæ ſenſu, cùm ſcilicet venæ ex ipſo ventriculo, veluti emulgentes ſugentéſque aliquid trahunt. Non ferens autem eum ſuctum ventriculus, ſed veluti divulſus, offenſæ ejus medelam cibum comparat. Quippe venæ hoc pacto ad objectos cibos convertuntur, atque ex iis nutrimentum trahunt, nequaquam ex ventriculo. Fitque poſt cibi ſumptionem, ut & venæ ſimul ad cibos ſe convertant, & ventriculus ex iis, quantum prius per venas eſt exhauſtum in ſeipſum trahat. Ac ſuctus quidem ipſius ſenſus fames eſt. Hæc Galen.

Cùm igitur ventriculus non appetit, ſignum eſt, membra nondum refectione indigere, ſed ſatis adhuc alimentorum in promptu habere. Quod certè & ipſum Galenus lib. 3. cap. 13. de facult. natural. innuere voluit, inquiens: Venter ſi melius paratiuſque nutrimentum habet, externum non poſtulat. Cibi igitur exhibitio diutius adhuc differenda eſt, nam quicquid tum ingeritur, gravat naturam, non juvat.

Porrò mendoſa fames, eſt cibi appetentia corpore non indigente. Quæ quidem, ut idem Galenus lib. 1. cap. 7. de cauſis Sympt. docet, tum maximè fieri ſolet, cùm acidus quiſpiam & vitioſus ſuccus ventriculum mordet. Vitioſus namque ſuccus, qui frigidus eſt, ſimilem ſuctui morſum infert; appetentiam verò prorirat, naturalis affectus ſimilitudine. Alimenti autem, non potus deſiderium excitat propter frigus. At vitioſo ſucco, qui ſalſus & bilioſus ſit, ventrem mordente, potio magis, quàm cibus appetitur, præterquam enim quòd calefiat ſicceturque ab eo ventriculus, quæ utique ſitis cauſa ſunt, etiam liquari fundique tum in eo, tum venis ſuccos contingit, fundendorum autem ſuccorum Symptoma, ea quibus continentur implet, quemadmodum frigiditas vacuat. Itaque etiam non parum ad eſuriem, frigiditas eorum, quæ in ventre habentur, confert. Cùm & corpora eorum, tunicáſque vacuet, & cogendo conſtringendoque ad appetentiam irritet. Atque ita quidem vitioſus ſuccus, acidus, ſtypticus & frigidus mendoſæ famis exiſtit cauſa. Fames mendoſa.

Secundum veræ famis ſignum, eſt ſubtilis diæta, videlicet pręcedens, hoc eſt, parva cibi exhibitio, quando enim & hanc fames ſequitur, tunc il- Diæta.

lam & veram & naturalem esse significatur. Unicè igitur semper cavendum, ut numquam, neque prandeatur, neque cœnetur, nisi consueta hora, ac illiciente prius appetitu, nec eo cibum exigente differatur. Omnis enim mora illi nociva est, nisi suspectus sit esse mendosus, qualis ebriorum & fastidio laborantium esse solet. Nam si ventriculus alimentum postulat, ut Galenus lib. 3. cap. 13. de facult. natur. autor est, nec ejus copia est, excrementis impletur. Ea sunt sanies quædam biliosæ, pituitosæque, atque serosæ, quas solas trahenti illi tum scilicet, cùm nutrimento indiget, jecur remittit. Hinc non temere hactenus hoc usurpatum est. Diutius tolerare famem, ventriculum malis ac putridis replet humoribus, quos attrahit ad se loco cibi. Et hoc quidem experientia constat. Quando enim jejunamus, tunc per noctem aviditate quadam ad cibos invitari solemus, sed illis denegatis, nullam omnino appetentiam postero die percipimus. Unde satis liquet, ventriculum, & maxime orificium ejus, jamdudum vitiosis humoribus esse plenum, quæ tamen non vera, sed mendosa repletio est, & ob id pauco assumpto cibo regreditur statim appetentia.

Ciborum ratio.

Cavendum etiam, ne cibus assumatur non præeunte corporis exercitio. Neque enim temere ab Hipp. 6. epid. par. 4. aph. 28. dictum est, πόνοι σιτίων ἡγείσθωσαν, id est labores cibos præcedant. Nam qui cibus manè, antequàm prior descenderit, vel paulò ante exercitationem ingetitur, is Galen. lib. 3. c. 1. de cau. Symp. teste, & intempestive sumitur, & cruditatis etiam causa existit. In ciborum præterea ratione, quemadmodum c. 24. meth. perven. ad medi. Leon. Fuch.

diligenter admonet, id quoque unice obſervandum, ne illi prępoſtero ordine ingerantur: id quod fiet, ſi concoctu facilia, iis quæ difficulter concoquuntur, præmittantur, etſi liquida ſolidis & ardis, & lubricantia aſtringentibus antecedant. Ordo verbi gratia pręposterus erit, ſi cotonea aut punica mala primum ingerantur, poſtremum olera ex garo. Debent etiam ea præmitti, quæ facile & nullo ferme labore ſubſidunt, ut ſunt liquida, quæ verò tenacius hęrent, & difficulter labuntur, ut ſolida & arida poſtremò, idque ſi ventriculus naturaliter ſe habeat. Nam ſi cui ventriculus ſit natura laxior, huic pręſtiterit adſtringentia magis lexantibus præpoſuiſſe, quo ab illis roboratus ventriculus reliqua melius conficere poſſit. Hæc eadem ferè docent Cornelius Celſus lib. 1. cap. 2. & Galenus lib. 2. cap. 11. de aliment. facultatibus.

Jam verò cautio etiam ſit, ne in una eadémque refectione multi ſimul & varii aſſumantur cibi, ac tempus deinde comedendo ultra quàm ſatis eſt producatur, pręſertim ſi diverſis illi conſtent facultatibus. Ex eo autem genere cum primis fuerint cibi variæ ſubſtantiæ, ut exempli cauſa, ab Avicenna ponuntur, carnes & piſces, vel pulli & ſuilla, &c. Nam quæ ad iſtum ingeruntur modum, varie corpus pro ſuccorum diverſitate afficiunt, & concoctionem non ut par eſt, ſortiuntur, Poſtremo enim accedente cibo, jam primi incepta concoctio eſt, atque ita partes quidem in coquendo redduntur diſſimiles, adeò ut primo loco ingeſtæ, confectæ fere ſint prius, quàm ad extremum ſumptæ medium concoctionis ſuæ attingant, unde ſæpenumero poſterius coquendorum ſequitur corruptio. Id quidem Avicenna quoque in-

nuere voluit 3. 1. doc. 2. cap. 7. in hanc ferme ſententiam ſcribens: Nihil quidem deterius eſt, quam ſi multa ſimul ac varia ciborum genera conjungantur, atque juſto longius deinde in comedendo tempus protrahatur: cùm enim poſtremum accedit nutrimentum, primum jam aliquo modo confectum eſt, partes ergo in coquendo non adſimilantur. Atque inde ſane morborum ſcaturigo, qui ex repugnantium ſibi humorum diſcordia naſcuntur.

Cibi varij.

Jam ipſius quoque varius coquendi modus bonæ corporis temperaturæ non parum officit, ut ſi in eadem refectione multi elixi, frixi, & aſſi cibi ſæpius invicem modò liquidi, modo ſolidi & aridi, miniſtrentur. Atque hinc eſt, quod Horatius lib. 2, Serm. Sat. 2. ubi victum frugalem am ſimplicem pro dignitate laudaſſet, hanc ſaporum condimentorumque acervationem, ut perniciofam, his verſibus deteſtatus ſit:

Accipe nunc victus tenuis, quæ quantaque ſecum
Afferat. In primis valeas bene; nam variæ res
[illegible] homini, credas memor illius eſcæ
[illegible] olim ſederit, at ſimul aſſis
[illegible], ſimul conchylia turdis,
[illegible] vertent, ſtomachoque tumultum
[illegible] Vides ut pallidus omnis,
[illegible] corpus onuſtum,
[illegible] quoque prægravat unà,
[illegible] articulam auræ.

[illegible] cap. 52. hanc ſaporum [illegible] inquiens, cibus [illegible] peſtifera,

[illegible] ple- [illegible] qui ſeſe à [illegible]

multo varioque cibo & potu non impleant ſolum, ſed etiam diſtendant, adeoque cibum cibo excipiant, & toti ſint in compotationibus, cùm nihil tamen inde mali percipiant, imò verò multis incommodis difficultatibuſque afficiantur, ſi vel minimum ab iſta conſuetudine deflexerint. Huic Gal quidem reſpondebit, qui in lib. de cibis boni & mali ſucci. cap. 21. ita ſcriptum reliquit. Hæc enim quamvis protinus nullam juvenum corporibus ſenſibilem læſionem inferant, ſenſim tamen occulteque creſcente vitio, cùm jam ætas progreſſu temporis inclinârit, articulos nervoſque, & viſcera iis morbis vexant, qui vel difficulter admodum, vel omnino tolli non poſſunt. Neq; id quidem temere, namque ea pars corporis, quæ natura imbecilliſſima eſt, à lędente quolibet patitur. Quod autem vitioſi humores, morbique gignantur, cruditas aſſidua in cauſa maximè eſt, ſive ea ex boni, ſive ex mali ſucci oriatur cibis. Quin Avicen. quoque 3.1.doc.2.cap.7.idem confirmans ſic ferme inquit. Ille cui mala nutrimenta concoquuntur, non gaudeat ex hoc. Noxa enim etſi ad tempus fortaſſe deliteſcit, temporis tamen ſucceſſu ſeſe exerit, & graviſſimam certiſſimamquem neglectæ artis medicæ pœnam adfert. Atq; hinc adeo pauci eorum, qui iſtum vivendi modum ſectantur deſtinatam ſenectutis metam contingunt, ſed crudis ex intemperantia acervatis ſuccis, podagra, calculo, lepra, carcinomate, frebribus, aliiſque id genus malis prius torti, vitam cum morte commutant. Præſtat igitur, ut diſertè à Fuchſio noſtro ſcribitur, temperantia & parcitate animum corpuſque vegetum ac ſanum ſervare, quam crapula, crebriſque compotationibus & immoderatione infirmum, morbo-

ſum, Deoque & hominibus odioſum reddere.

Edendum quamdiu.

Ac ne illud quidem ſilentio prætereundum hoc loco, quod protracta ad unam fere horam mora, ac juſtæ commanducationis & deglutionis gratir comeſtioni interpoſita, non laudabilis modo, ſed ad tuendam etiam valetudinem utiliſſima cenſeatur. Cibus enim qui exactè dentibus manditur, extenuatur & mollitur, ac ſenſim deinde atque tardè deglutitut, etſi imperfectam ac modicam omnino; aliquam tamen, ut in ſuo genere æſtimandam alterationem in ore conſequitur, quemadmodum lib. 3. cap. 7. de natu. facult. Galeno & Avic. 1. 1. doc. 4. cap. 2. viſum eſt.

Cæterum imperfecta commanducatio ut concoctioni contumax eſt, ita etiam horrorem quendam & inſuavitatem adferens, ciborum appetentiam avertit. Mora verò quæ inter edendum, multis ultro citroq; ſermonib⁹ collocutionibuſq; interpoſitis, ad duas vel tres horas protrahitur, admodum noxia eſt, eamq; nocumenta hactenus enumerata ſequuntur. Ultimus verſus in quibuſdam exemplaribus hoc etiam modo legitur.

Hæc ſint ſigna tibi ſubtilis in ore ſaliva. Nec malè quidem; nam ſaliva quæ ſubtilis & nulla qualitate infecta, ſed perinde quaſi aquoſa guſtui offertur; tum coctionis, tum abſolutæ ſanitatis etiam indicia oſtendit: Gal. lib. 3. cap. 6. de locis affectis teſte.

Animadverſio.

TEmpus particulare aſſumendi alimenti ſtatuitur cum priore confecto & in alvum demiſſo appetentia ex ſenſu indigentiæ nata

novi neceſſitatem declarat : alioqui coctio turbatur & vitioſis humoribus corpus repletur, inde morbi & continuo mortes, ut docet Hippocr. lib. de affectionibus & Apho. 37. lib. 2. ubi dicit *Impura corpora quo magis nutriuntur eo magis lædi.* Duo itaque ante ſumptionem novi cibi obſervanda ſunt. Primum, ut prior cibus è ventriculo deſcenderit, alterum ut puritas adſit corporis. Diſceſſus cibi à ventriculo cognoſcitur ſi ventriculus non turgeat, ſi ructus præteriti cibi aut perturbatio corporis non adſit Si quis enim in ferventem adhuc, & quaſi fermentarum ventriculum, hoc eſt circa cibi prioris coctionem occupatum cibos novos ingerat, ſtatim is gravitatem ſentiet, & hiatu, oſcitatione, fluctuatione, ventris denique torminibus tentabitur. Puritas autem coporis, crudorumque humorum defectus, florida corporis conſtitutione, motus agilitate, naturali denique appetitu deprehendetur. Optima ſiquidem natura quantum appetit, tantum coquit ſicut docent Hippocr. lib. de veteri medici. & Gal. in arte med. Quam differat autem fames ſeu uppetitus naturalis à non anaturali, explicavit Villanovan. in comment. & expoſuerunt Salernitani ſequentibus verſibus quos ex manuſcript. noſtris repoſuimus.

Duo ante cibum notanda.

Quæ fames ingerendum cibum ſuadeat.

Cap. XII.

Non bibe non ſitiens, & non comedas ſaturatus.
Eſt ſitis atq; fames moderata, bonum medicamen.
Si ſuperexedant, important ſæpe gravamen.

Animadversio.

HOc caput prȩcedentis est explicatio. Primo enim jubet nec edendum nec bibendum esse sine fame & siti; at cum appetitus ille edendi & bibendi duplex sit; moderatus & immoderatus, probat moderatum, immoderatum improbat, quasi velint Salernitani insinuare semper appetui nostro non obsequendum cum depravari interdum ita possit, ut cogat nos sumere plura cibaria quam calor noster natiuus coquere possit atque conficere Egregia est Avicen. sententia licet barbara lib. 1. Fen. 3. doct. 2. cap. 7. *Nihil est*, inquit, *in corpore deterius quàm nutriens super nutriens quod non est digestum mittere: & præterea nihil est deterius quam fastidium ex malis nutrientibus, cum inde Ilias morborum oriatur.* Cum verò dictum sit non bibendum sine siti, quærendum est utrum omni potu abstinendum sit iis qui nunquam sitiunt. Esse vero animalia quæ omni potu abstineant jamdudum docuit Aristot. lib. de hist. & de partib. animal. quibus frustra potus offeratur, cum ad hoc nata sint & à natura producta. At de aliis non ita sentiendum. Quamvis enim narret Pontanus in Chronicis puellam quandam decem annorum in pago Roedt natam anno aridissimo nunquam bibisse, referatque Plinius lib. 7. cap. 18. equitem Rom. ut aquam intercutem evaderet, adeo siti ferendæ assuevisse ut in senecta potu caruerit: scribat præterea Volaterranus se Romæ ann. 1585. novisse hominem qui plures dies impotus transfigeret. aliique non pauci observentur qui suo arbitra-

Qui numquam bibe-runt.

tu menses & annos sine omni potu degant, attamen non est existimandum salubrius esse omni potu abstinere. Quamobrem qui non sitiunt aliquando ad potum sunt invitandi; tum quia potus desiderium naturale est & necessarium; tum quia potu assumpto cibus comminuitur, atteritur & in venas defertur. Hoc fusè expositum lege apud Marsilium Cognatum de sanit. tuend. lib. primo, capit. 30. ubi quoque de iis qui sine cibo vivunt agitur.

Cæterum tolerantia sitis & famis interdum utilis est cum nimirum modum non excedunt. Quod enim ad famem attinet, ex cibo nullus est ita replendus ut non sit ibi locus superfluus alteri cibo, *cuique adhuc edendi desiderium non supersit*, ut ait Avicen loco citato: sed hæ famis reliquiæ post unam horam destruuntur. Necessaria quoque fames est postquam quis se ingurgitavit, ne occupatus calor coquendo illi cibo distrahatur, avocetur aut extinguatur adventu novi cibi. Denique fames phlegmaticis inutilis non habetur, tempore enim famis calor naturalis digerit crudos humores & in sanguinem convertit, emendatque partium constitutionem frigidam & humidam. Sitis quoque tolerantia adveniente somno confert frigidis & humidis naturis. Notus est Aphoris. Hippocr. lib. 5. *Quibus noctu bibendi est aviditas, iis admodum sitientibus obdormiscere, bono est, Coquetur enim*, inquit Galen. in comment. *& descendet per somnum siti causa, quæcunque ea sit tandem.* Non est tamen admodum tutum sitim & famem tolerare: hinc enim virium oritur dejectio, febres nascuntur acutæ, partes tabescunt, calor nativus extinguitur, humidum primigenium deficit unde mors. Quoties tamen sitis vel

Fames utilis.

fames præter naturam urget, tali moderatione est utendum, ut quantum appetitus postulat non comedatur, sed quantum sustinendis viribus sufficiat, aut nativus calor domare possit. De symptomat. famis & sitis agitur in Pathologia & apud Galen. lib. de sympt. causis & differentiis.

De Cœna.

Cap. XIII.

Ex magna cœna stomacho fit maxima pœna,
Ut sis nocte levis, sit tibi cœna brevis.
„ *Cœna brevis vel cœna levis fit raro molesta;*
„ *Magna nocet, medicina docet, res est manifesta.*

PRæcipitur hoc loco sanitatis suæ studiosis, ut instante somni tempore frugali cœna contenti, ventriculum vario ciborum genere non distendant, sed ea copia ingerant quæ vires haut gravet. Nam qui noctu multum ingerunt, primum quidem somno destituti corporis inquietudine agitantur. Deinde vero pustulas faciei, gravedinem capitis, graveolentiam oris, coli, calculique dolores & podagram sibi acersunt.

Neque solum immodica hæc sub noctem ingurgitatio bonæ valetudini officit, sed alia etiam quælibet, ut quæ cruditatem incoctionemque, obstructiones, putredines, febres, apostemata, & lepram haud raro generet. Atque ejus sane rei gravissimus testis est Avicen. qu. 13. 3. tract. cap. 36. ubi scribit ex rebus ventriculũ maximè lædentibus esse immoderatam cibi ac potus ingestionem; & ob id fieri non posse, ut intemperantium vinoso-

rumque ac ventri gulæque deditorum corpora alantur atque augescant. Concoctio enim per vitæ intemperantiam impedita necessario humorum cruditatem efficit. Cruda verò tantum abest, ut incrementum corpori sufficiant, ut omnino ne alere quidem possint, quo fit, ut per vitam variis etiam ægritudinibus conflictentur. Qui vero temperantes in victus ratione frugalitatem sectantur, ii inculpatam usquequaque ciborum appetentiam conservant, optimeque non in ventriculo modò, verumetiam per universi corporis molem cibos conficiunt.

Cavendum igitur unicè erit, ne venter torqueatur, adeoque ingestis distendatur, ut pulsus velocior fiat & vix spirare liceat. Cui enim ad eum modum vorare in deliciis est, variis sese periculis exponit. Simili modo & nauseosa satietas, non ex crassis & pravis solùm, sed etiam subtilibus, & boni succi alimentis, vitanda est. Hæc enim tum febres acutas & malignas, tum etiam maximi cruciatus apostemata: illa vero articulorum & renum dolores, podagram, asthma, hepatis atque lienis obstructionem, ac σκίῤῥον, & ægritudines phlegmaticas & melancholicas inducere solet. Proinde optimo quidem jure non nocturna solùm, sed quęlibet etiam ad nauseam usque progrediens satietas, à sanitatis tutela excludenda est.

Summopere igitur hoc semper curandum, ne desideriũ edendi penitus expleatur, sed locus aliquis vacuus, & edendi voluptas ventriculo relinquatur. Quod Avicenna quoque 3. 1. doct. 2. cap. 7. præcipiens, hanc ferè sententiam scribit. Cibo nemo ita replendus est, ut nihil loci sit reliquum, sed à mensa semper cum fame recedendum est. Hinc simile etiam vulgo dicitur: nunquam adeò ventrem cibis

expleo, quin apud amicos edenti cella mihi superſit vacua. Et hoc præceptũ eos cum primis tangit, qui natura vehementiorem ad cibos aviditatem conſecuti ſunt. Quibus vero hæc debilior exiſtit, iis fortaſſe concedi poteſt, ut largius paulo ingerant, quàm appetunt. Apparandi autem, ex ſententia Cornelii Celſ.lib.3.c.6.& Aëtii. l.9.c. 20. cibi plures & varii ac optimo apparatu, & ultra dulcedinem etiam illicientes & appetitum irritantes. De cœnæ frugalitate nonnulla etiam cap. 1.

Uſitata hoc loco & à multis agitata oboritur quæſtio: Utrum videlicet uberius quidem prandendum, parcius vero cœnãdum ſit. Quę ſanè cùm ad hanc materiam propriè pertineat, prætereunda non eſt. Breviter igitur hic ſubjungemus: primo quidem argumenta, quibus Conciliator plus cibi in prandio aſſumendum eſſe probat: deinde verò Leonardi Fuchſii, quibus è diverſo colligit cœnam ut plurimum prandio pleniorem eſſe debere. Conciliator igitur differentia 121. in hunc fere modum ſcribit: Juxta corporum diverſitatem major, minorve ſibi copia exhibenda eſt. Illa etenim, aut jam in morbum lapſa ſunt, aut ſub latitudine ſanitatis adhuc exiſtunt. In morbum vero lapſa, aut junctum habent humoris vitium, aut non. Si ſine humoris vitio fuerint, tum liberius eſt cœnandum. Natura enim in eis ciborum concoctioni ſolummodo, non etiam ſuperfluitatum, quibus carent, maturationi intenta eſt: Sin verò humoris vitium adjunctum habuerint, largius prandium concedendum eſt. Quod Avicenna 1.3. Tract. 5. cap.11. iis verbis ſignificare voluit. Ille, inquiens, cujus conſuetudo non ſuſtinet, ut ſolùm ſemel in die reficiatur, dividat cibum ſuum in tres partes, & ſumat duas tertias in prandio, & reliquam tertiam,

tiam ſcilicet partem, in cœna poſt leve exercitium, Eo namque tempore, quo calor ſolaris vivificus naturæ in concoquendo debili opitulatur, & major ſuperfluitatum fit reſolutio, uberior cibus ſumendus eſt. Hoc autem circa horam prandii magis, quàm cœnere contingere ſolet. Ergo, &c.

Ad hæc interdiu ob præſentiam caloris vitalis ſolis & lucis, melior fit concoctio. Sol enim Ariſtotele lib. 2. cap. 2. Phyſicor. & lib. 2. cap. 10. de generat. & corrupt. teſte, eſt vitæ principium. Cōcoctio itaque diurna duplex habet calidum, nocturna vero non. In ejuſmodi etiam natura noctu circa ſuperfluorum concoctionem magis occupata eſt, quare multi cibi exhibitione impedienda non eſt. Et quamvis calor noctu ſpirituum ad interiora retractatione, & ſomni reductione in quibuſdam confortetur, duo tamen ſimul, alimentum videlicet, & ſuperfluitates conficere non poteſt, ob hoc itaque cœnæ nonnihil ſubtrahendum eſt.

Corporibus verò, quæ ſub latitudine ſanitatis adhuc robuſta & ſufficiente ſana conſiſtunt, ac ſenſibilibus ſuperfluitatibus carent, cum eas propriis meatibus omnes expellant, uberiore cœna uti expedit, vel, quòd eorum natura ciborum concoctioni tantum, non etiam ſuperfluorum, quibus carent, mutationi intenta ſit, vel quòd ſoli corporis robori ſtudeant. Hoc autem noctu magis acquiritur, tum enim amplior fit & ſanguificatio, & diſtributio, atque hinc deinde ſpirituum generatio.

Corpora verò ſi à prædicto temperamento ac robore nonnihil receſſerint, ſicuti plurima in ægritudinem uſq; nunc prolapſa; ejuſmodi aut fatigantur exercitio laborioſo, vehementi, & continuo, aut non. Si quidem fatigantur, ut ſunt eorum

qui victum manibus quærunt, ipsis largius prandere quàm cœnare convenit. Expetitur enim alimentum, non tantum ut nutriat, sed etiã ut humectet & irriget membra, ne arefiant ex forti motu, & ut resolutioni ex caloris incendio provenienti resistat. In prandio igitur uberior cibus assumendus est: ejusmodi enim corpora, propterea quòd ita consuerint, ob exercitia à concoctionis opere non cessant. Usus namque, quemadmodum Avicenna 3.1.doct. 2. cap. 7. testatur, res est extra rationem. Calor etiam ex motu auctior redditus, concoctionem ipsis accelerat. Quare ter in die illiciente appetentia cibum ingerunt, & ingestum probè conficiunt.

Sin vero laborioso, vehementi, & continuo exercitio, quemadmodum prædicti, non agitentur: hoc impresentiarum dupliciter contingit. Aut enim eo interdum solummodo & non continue fatigantur, aut debili tantum utuntur, quod utique superfluitatum copiam parit. Si exercitio plurimo, vehementi, ac laborioso utantur, sicuti viri complures civiles, & plebei circa fortunæ bona negotiantes, aut sanitatis conservationi intenti, vehementi nonnunquam & laborioso exercitio, diu nimirum equitando, iter pedibus faciendo, vel aliud quiddam à consueto fortius agendo, fatigantur, his largiori utique cœnæ, quàm prandio indulgendum est. Nam si prandium augerent, cum sicuti priores illi, consueti non sint exercitio adeo vehementi ac laborioso agitari, concoctio ipsorum impedita pravos humores generaret, horum etiam calor superfluo motu dissipatus debilitatur, cujus quidem circa interiora aggregatio potissima fortitudinis & concoctionis causa existit. Hæc autem noctu magis, quàm interdiu

contingit, quare cœna instante nocte copiosius alimentum expetit.

Eorundem etiam corpora, propterea quod tam vehementi motu ante agitari minime soleant, humiditatibus referta sunt, ipsis itaque ad resistendum resolutioni & exsiccationi, quæ per motum interdiu occurrentem fiunt, parvus cibus sufficit.

Si vero exercitiis & occupationibus paucis & levibus in vita utantur, præcipiendum est eis, ut uberius prandeant, quàm cœnent. Et ratio ejus eadem est cum illa, quæ in corporibus nunc ægrotantibus adducta est. Hi namque, cùm debilem virtutem concoctricem habeant à calore vivifico & luce Solis plurimum adjumenti percipiunt inde enim spiritus propter suum simile confortatur. Ipse enim, ut testis est Avicenna in lib. de viribus cordis, Tract. 1. cap. 2. & lib. 6. naturalium, part. 4. est lux, aut effigiem habet lucis. Adjumentum etiam ex eo percipiunt, quod superfluitates interdiu poris apertis melius, quàm noctu expellantur. Non oportet præterea eos noctu vel ob id multo cibo distendi, quod tum natura magis occupetur circa concoctionem crudorum humorum, quos somnus maximè conficit & benignos reddit. Licet enim virtus concoctrix noctu confortetur, tanta tamen esse non potest, ut simul & cibum & superfluitates superare queat.

Insuper quoque animadvertendum est, in exhibitione copiosioris, aut minoris cibi in prandio, quàm cœna, nonnihil etiam dandum esse consuetudini: Hæc enim cùm in tuenda sanitate, tum etiam in profligandis ægritudinibus, plurimum valet, Hippocrate lib. 2. de victus ratione morb. acut. Apho. 20. & sequentibus, & ibidem Galeno testibus. Quod vel ex eo ostenditur, quod omnis

ſubita mutatio ſi modum exceſſerit, non parvam læſionem afferat. Hinc non temere Damaſcenus Aphor. 57. ita ſcriptum reliquit. Mutare conſuetudinem, præſertim veterem, & noxium & peſtilentiſſimum habetur. Quare malas & pravas conſuetudines corrigere oportet, ſed paulatim ac ſenſim ad meliora transferre. Neque enim natura patitur eas, quæ ſubito fiunt alterationes. Galen. cap. 86. artis Medicin. Plura Rhazes lib. 4. cap. 10. ad Almanſo. & infrà.

Et ſic in univerſum patet, largius prandendum, cùm plurimæ ægritudines ſint materiales, & corpora plurima lapſa. Attamen ſi ſemel tantùm in die comedatur, melius eſt cœnare, niſi oculi aut cerebrum affecta ſint: tunc enim Haliabbate 1. practi. 13. teſte, melius eſt prandere, alias non parum agrotantis oculi & cerebrum læderentur. Exigua namque cœna capiti confert & oculis, Manar. lib. 6. epiſt. 4. teſte.

Hactenus ex Conciliatore adducta, Medici excellentiſſimi, Odus de Odis Patavinus duobus libris de cœnæ & prandii portione, Hierony. Cardanus lib. 1. contradicentium Tract. 5. contradict. 18. & Leonardus Fuchſius l. 2. paradox. c. 21. magna ex parte falſa eſſe firmiſſimis rationibus convincunt. Ex quibus Leonardi Fuchſii rationes hic in oppoſitum ſubjungere placuit, ut ſanitatis ſuæ ſtudioſis plane conſtaret, quid in re tam perplexa aut fugere, aut ſequi debeant.

Nemo eſt, inquit ille loco jam citato, qui hodie medendi methodum præſcribentium libros vel à limine ſalutavit, qui neſciat vulgatum atque tritum hoc illis eſſe decretum, ut nunquam non prandio cœna minor ſit. Quantum vero aberrent, facile deprehendet, qui rem altius expendet. Cœ-

nam enim in omnibus, demptis iis, qui morbis nocturnis & catarrhis ſeu diſtillationibus affligun-tur, prandio pleniorem eſſe convenit. Qui enim jam nominatis corripiuntur morbis, horum cœna omnino modica ſit, tenuis, ſicca, ac præter aliorum morem, noctémque præveniens oportet, ut ingruentibus ſcilicet morbis, natura ab omnibus aliis muniis libera, unius morbi concoctioni operam navare queat. Sunt & qui conſueverunt, minus in cœna ciborum aſſumere, quàm in prandio, horum certè conſuetudo non temerè etiam immutanda erit. Quæ enim ex longo tempore conſueta ſunt, ut ait Hippocrates, 2 Aphor. 10. etſi deteriora ſint, inſuetis minus moleſtare ſolent.

Cur autem in aliis omnibus plenior cœna ſalubrior ſit, multa in cauſa ſunt.

Primum autem omnium, noctis mox accedens frigiditas, quæ extrinſecus circunſtans calorem nativum in profundum ſecedere, & hoc nomine fortiorem fieri cogit, ita ut neceſſario ciborum tum melior fiat concoctio. Et certè idem poteſt noctis frigiditas, quod alias anni tempus Hybernum, aut regio frigida poteſt. Horum enim unumquodque calorem nativum adaugere potis eſt. Teſtis Hippoctates, qui lib. 6. epidem To. 6. Aphor. 6. ſic inquit: Perfrigidior in tempore & regione frigidis, percalidior erit. In 1. Aphor. 15. quoque, ventres hyeme & Vere natura calidiſſimos eſſe aſſerit.

Deinceps eſt Somnus, qui cœnam ſubſequitur: hic autem mirum in modum concoctionem adjuvat. Sanguis enim in ſomno ad interiora magis refugit, ut teſtatur Hippocr. 6. To. 5. Aphor. 29. Cùm itaque ſanguis cúmque eo calor nativus per

ſomnum ad interiora ſecedat, quid mirum ſi calor auctus fortiorem tum ciborū coctionem efficiat? Hinc rectiſſimè Hippocr. lib. 6. epidem. Tom. 5. Aphor. 10. dixit. Labor articulis & carnibus, cibus verò ac ſomnus viſceribus prodeſt. Somnum quoque optimè cibum concoquere teſtatur Galenus lib. 1. de Sympt. cauſis, cap. 8. ita ſcribens. Itaque toto hoc tempore, quo quis dormit, animalis facultas quieſcere, naturalis vero validius agere videtur. Cujus rei conjecturam ex eo facies, tum quòd ipſa ſi quando laboraverit, poſt ſomnum robuſtior evadit, idque maximè cum à modico cibo ſomnum admittimus, tum etiam quod per ſomnum cibus optimè concoquitur, non ſolum in ventriculo, verumetiam per univerſi corporis habitum. Cui ſubſcribit quoque Paulus Ægin. lib. 1. c. 97. dicens: Somnus eſt animalium facultatum quies, ab utili humore cerebrum madefaciente proveniens, hunc qui ritè capeſcit, multa conſequuntur commoda: cibos enim conficit, humores digerit. Quòd autem hac ratione plenior cœna eſſe debeat, teſtatur Galenus, vel quiſquis tandem ejus libri autor fuit, in libro de diſſolutione continua, in hanc ſententiam ſcribens: Antiqui cœnam prandio præferebant, pręcipientes plus ciborum in cœna ſumendum eſſe, ob caloris circa interiora aggregationem noctis frigiditate, & per ſomnum factam: calor namque in ſomno ad interiora corporis revocatur, eadémque calefacit, perinde ut in vigilia contrarium plane accedit. Id quod Hippocr. etiam epidem. ſexto Tom. quarto Aphoriſ. 12. iis verbis indicavit. Plane vigilans calidior circa exteriora, frigidior verò circa interiora: Dormiens contrà.

Somnus.

Sed hic reclamabunt quidam, pleniorémque cœnam ideò damnabunt, quòd pleno ventre ingrata sit quies, atque adeò somnus minus conveniens. His ita responsum volo. Nemo est tam sine sensu communi, qui nesciat inter cœnam & somnum aliquid temporis intervenire debere, neque quemadmodum in brutis, nullam aliam nisi vorandi ac mox dormiendi vicissitudinem esse, quum omnium medicorum consensu consultum sit, quod aut hora aut amplius intersit.

Neque etiam est, ut pleniorem cœnam quis eam esse putet, quia multa ingeruntur tanta voracitate, ut vix spirare liceat, & periculum sit, ne vel crepent, qui ita sese replent, sed frugalem potius, talem tamen in qua plus, quàm in prandio absumitur ciborum. Quod si tamen hic peccatum fuerit, melius certè in cœna, quàm in prandio fertur, quod somnus post cœnam non diu subsequens, facilius delictum, quàm vigilia, quæ prandium concomitatur, corrigat. In somno enim, ut diximus, calor interiora petit, & qui illic sunt cibis cocoquendis solis vacat. Interdiu verò ad exteriora protrahitur, neque iis; quæ intus sunt, prospicere potest, adeò ut verissimè dixerit Hippocrates 2. victus acutorum 59. Vigilia vehemens cruditatem incoctionemque ciborum tum potionis efficit.

Porrò cur cœnam prandio pleniorem esse oporteat, & hæc ratio est, quod rara admodum existat corporis facultas, quæ paulo liberalius prandium spatio vel quinque vel sex horarum, quod fere inter prandium & cœnam interest, conficere possit. Quantum autem incommodi adfert, si quis nondum plane concocto eo, quod prius ingestum fuit, aliud ingerit? morbum nimirùm facit. Ubi

enim cibus præter naturam plus ingestus est, ut ait Hippocr. lib. 2. Aphor. 17. hic morbum facit.

Et si quis denuo objecerit, quòd utcunque somnum à cœna differamus, tamen fieri non possit, quin ad somnum conversis, quod materia tum ad interiora tendat, caput impleatur; huic Galenus quidem respondebit, qui lib. 4. Aphor. 67. ita scribit. Et quidem sicuti à cibo ad somnum conversis impletur caput, sic in plethoricis dispositionibus somni ipsum replentes aggravant cerebrum. Et somni videlicet semper nocerent, quatenus ad profundum & viscera materia confluit, nisi coctionis ratione plus afferrent utilitatis, quàm sit damnum, quod ex motu ad interiora consequitur. Et hæc ad vulgarem multisque communem errorem explodendum sufficiant.

Animadversio.

Hoc cap. quod ex nostro manuscrip. auxi, agit de horis sumendi cibi quæ vulgo dicuntur Prandium & Cœna. De his autem prius quam aliquid definiatur; primo quærendum est quoties Prisci, Græci & Latini in die comederint, dein quoties nostri edant, quoties denique ad salubritatem corporis consequendam edendũ sit. Certũ est primos homines nostris continentiores extitisse, nec ita se luxui, delitiis ac gulæ mancipavisse: idcirco habiti sunt diuturnioris vitæ, morum integriorum, fortitudine corporis majori, dignitate, elegantia, pulchritudine, magnitudine: non est tamen existimandum solis glandibus eos usos esse, ut Poëtarum fabulæ testantur, sed fructibus omnis generis, frugibus etiam atque carnibus. Sci-

Quoties in die Prisci comedebant.

mus enim ex ſacris literis pulſos ex paradiſo terreſtri primos parentes terram coluiſſe, mactataſque tum demum victimas quarum viſceribus, & carnibus veſci potuere: obſcurum vero eſt cognituque difficile quoties in die cibo recrearentur. Probabile tamen non ſemel duntaxat, ſed bis ſumpſiſſe cibum; nam cap. 18. Geneſ. lego Abrahamum in ipſo fervore diei tres angelos invitaſſe ab cibum: *Ponam*, inquit, *buccellam panis ut confortetur cor veſtrum; poſtea tranſibitis*, quod meo judicio non feciſſet niſi moris fuiſſet ſumendi mane cibi ad vires ſuſtinendas. Et certe apud Judæos prandii & cœnæ tempus erat, dicitur enim Tobias cap. 2. prandium reliquiſſe, mortuum ut ſepeliret, nec comediſſe niſi poſt ſolis occaſum. Scribit vero Joſeph. lib. 2. captivit. Eſſenos Judæorum Philoſophos prandere circa meridiem aut paulo ante, cœnare vero ſolitos veſperi. Non alia congero teſtimonia cum Joan. 20. Chriſtus ipſe dixerit. *Cum facitis prandium aut cœnam.* Et Perſæ, ſi credimus Zenophonti lib. 8. de Cyri inſtitutione, primò ſemel in die comedebant, matutino ſcilicet tempore quo diem integrum haberent ad labores, ſed poſtea & prandium & cœnam habuere. Græci jamdum ab Homeri tempore edendi tempora diſtincta habuere prandii & cœnæ. Illud enim vocat Homer. ἄριστον, καὶ δεῖπνον, hanc δόρπον. Nec fuiſſe apud Homer. qui ſæpius comederent obſervavit. Athen. 5. Deipnoſoph. Sequenti autem ævo aliam ſecuti ſunt Græci rationem, nam ut colligere licet ex Hippocr. lib. de victu in acutis & lib. tertio de diæta, aliud fuit ἄριστον, aliud fuit δεῖπνον: nam ἄριστον cibus fuit matutinus ſeu meridianus, quem vocamus prandium; δεῖπνον cibus verſpertinus, quam

Hebreis in die edebant.

Græci quoties comerint.

dicimus cœnam. Præterea expreſſis verbis ſcribit quoſdam ſemel, alios bis, nonnullos ſæpius uno die non ſolum comedere, ſed etiam ſaturari conſueviſſe. Vix autem ullus eſt qui poſt Homerum voce δόρπυ uſus ſit pro cœna quod ea vox exoleviſſet. Pleroſque tamen Græcorum non bis duntaxat die, ſed quater cibum ſumpſiſſe docet Philemon apud Athen. primo Deipnoſ. & confirmant voces ſignificandis illis edendi temporibus uſurpatæ. Primum tempus ἀκρατισμα dictum eſt πρωϊνὸν ἔμβρωμα cibus matutinus, vulgo jentaculum, alio nomine διανηςισμὸς: Secundum tempus ἄειςον ſeu δερπιςὸν convivium meridianum, Latinis Prandium: Tertium tempus modo ἑσπέρισμα, modo δείλινον appellatum eſt, quæ erant epulæ inter prandium & cœnam quaſi veſpertinæ, quas Latini Merendam vocant: Poſtremum tempus fuit δεῖπνον cœna. His tamen non contenta Græcorum ingluvies, à quibus græcari & pergræcari luxuriæ vocabula deducta ſunt, quintum tempus edendi nocturnum adinvenit; cujus epulæ κῶμοι, ἐπιδορπίσματα, ἐπίδειπνα, ἐπιδαιτύδες, appellatæ ſunt; Latinis Comeſſationes quæ nihil aliud erant, ut ait Perottus in Cornucopia, *quam cibus qui poſt cœnam ſumitur.*

Romanorum mos. Venio ad Romanos, apud quos pauci uno cibo veſpertino contenti fuere, multi duplici, meridiano & veſpertino; alii infiniti quadruplici, jentaculo, prandio, merenda, cœna; intemperantes & incontinentes quintuplici, illis enim addebant comeſſationem, quod multis auctoritatibus confirmare poſſem niſi id explicatum haberetur paſſim apud varios auctores, præſertim Marſilium Cagnatum lib. primo de ſanit. tuend. cap. 10. 11. 12. 13.

Stuckium lib.1.antiq.convivial cap. 7.8.9.10. 11. Lælium Bisciolam Horarum subsiciv. tomi primi lib. 9. cap. 10.& 11. Mercurial. variar.lect. lib.4. cap. 7. Beroald. comment. in Servium Manut.de quæsit. per epist. quæst. 4. & 5. Guil. Canter. novar. lect. lib. 4. cap. 38. Muret. libro quarto lect. var. cap. 12. Agellium. Cœl. Rhodiginum & alios.

Nostri quid agant.

Ab illa veterum consuetudine nostri sæculi homines ne minimum quidem deflexere : quater enim in die editur, frequentius nonnumquam, interdum semel, sed quod tota die perseverat: Attamen ut verum fatear, plurimi mortalium prandio & cœna contenti vivunt, alii adjungunt jentaculum ; merenda ferè mulierculis & pueris propria est, & operis quibusdam qui reparare vires laborando quærunt. Ne unus quidem, uno in die cibo recreatur, majores nostri dum jejunio corpus macerabant semel duntaxat viginti quatuor horis cibum sumebant, meridie potius quam vesperi, nos nonnihil hora cœnæ ingerimus recreandis potius viribus quam confirmandis.

An præstet semel an multoties die comedere.

An vero salubrius sit semel duntaxat in die quàm sæpe comedere, hoc postremo loco restat expendendum. Apollonius Dyscolus historiæ. Commentit. cap. 9.refert ex Aristotel. quæstion. naturalibus eos qui semel tantum cibo utuntur morosioros esse iis qui bis. Aucta enim in ipsis utraque bilis animum magnopere perturbat. Hippocr. libro secundo de diæta scribit ex μονοσιτίῃ corpus extenuari, desiccari, & alvum comprimi. Dixit Plin. libro vigesimo octavo capite quinto, non prandentium exta celerius senescere. Ex quo quidem Celsus libro primo capite primo monuit,

bis die potius quam semel cibum capere prodesse, & semper quam plurimum dummodo concoquatur. Amat enim natura ubertatem & luxu gaudet, *& in tenui victu gravius peccatum est quam in paulo pleniore solet esse*, inquit Hippocr. quint. Aphoris. libro prim.

Omnis nutritio aut multa aut parva.

Omnis enim nutritio aut multa est & rara simul, vel multa & frequens; aut parva & rara simul, vel parva & frequens: quæ multa & rara est oneri esse solet & modo torporem ac somnolentiam, modo vigilias inducere, longamque quietem postulare, donec oneris pars coctione ablata sit, minus itaque commoda existit; multo minus ea quæ multa & frequens est; nam copia nativum calorem obruit. Nec utilior esse videtur quæ modica est & rara; nam spiritus & corpus exhaurit, viresque labefactat. Necesse igitur est ut salubris habeatur quæ modica est simul & frequens: nam ea robur virium perpetuo quodam tenore servat, somnum non interturbat, consuetos labores non impedit, sanitatem denique non infringit.

Intervallum inter duas cibationes.

Sed hic exoriri potest quæstio de frequentia alimenti; quodnam scilicet debeat esse intervallum duas inter cibationes; & an satius sit certam semper habere & definitam edendi horam quam incertam. Quod ad primum attinet, superius satisfactum est ubi peracta coctione ingerendum cibum monuimus. Si pergis quærere quot horis illa coctio peragatur; vix habeo quod respondeam: alii enim quibus vegetior & copiosior est calor ventriculi, celerius cibum conficiunt; alii quibus debilior est, tardius. Prætereæ major copia ciborum ægrius coquitur quam minor, duri & solidi difficilius quàm molles & li-

Quot horis peragatur coctio.

quidi, insoliti quam consueti, diversi & heterogenei quam homogenei & simplices, ut idcirco certi quid vix determinari possit. Auctor Anonymus in tabulis & quæstionibus quas ad requisitionem Medicorum civitatis Neapolitanæ edidit, quasque manuscriptas habeo, rem istam ita complexus est, ut quatuor digestiones seu coctiones in corpore admiserit, secundum quatuor loca seu partes corporis in quibus perficiuntur, singulisque in digestionibus horas quatuor requirit propter quatuor triangulos triangulares quatuor elementorum elementariumque complexionum, quasi velit singulæ digestiones quatuor gradus habeant quorum singuli singulis horis absolvantur, respondeantque illi gradus quatuor triangulis elementorum varias complexiones ac temperaturas efficientium. *Locus*, inquit, *primæ digestionis est stomachus in quo fit coctio confusa, grossa & extensa, primus gradus coctionis una hora absolvendus fit in triangulo ignis concordantiam habentis cum aëre in caliditate & cum terra in siccitate. Alter gradus digestionis per horam quoque perficiendus fit in triangulo terræ consentientis cum igne in siccitate & cum aqua in humiditate. Tertius gradus unam etiam horam requirens, fit in triangulo aquæ convenientiam obtinentis cum aëre in humiditate & cum terra in frigiditate: quartus, denique gradus fit in triangulo aëris sympathiam habentis cum aqua in humiditate & cum igne in caliditate, sicque prima digestio absoluta est horis quatuor.* Post quas secunda coctio perficitur quatuor aliis horis & per triangulos quatuor jam dictos in partibus quatuor, hepate, splene, corde & cerebro. Huic succedit tertia magis intensa & exacta quatuor pariter horis & per quatuor triangulos perficienda in aliis corporis partibus, brachiis,

cruribus, &c. Quarta tandem & ultima digestio quatuor quoque horis indigens ob quatuor prædictos triangulos, elaboratur in genitalibus; idcirco cæteris exactior est, perfectior, delicatior; propterea quod aptitudinem habet ad novam partium coctionem generandam, hoc est ad sperma in quo ipsissimæ sunt partes deductæ in potentia. Hæc ex mente auctoris ferè ad verbum, quæ demonstrant digestionem sexdecim horis perfici & absolvi; ex quo sequeretur tantumdem temporis requiri inter duas cibationes si modo ingeri novus cibus non debeat nisi priore cocto penitus & confecto. Ab illo horarum numero non deflectit Jul. Alex. salub. lib. 28. cap. 17. duodecim enim horis primam, secundam, & tertiam concoctionem fieri docet, sed primam qua cibus in chylum convertitur sex septemve horarum spatio peragi vult, hoc argumento quod post id tempus neque ructus sentiantur, & descendentis inferius cibi non obscurus prorsus sensus quidam sese aperiat. Quapropter temperato homini bis eodem die capiendum esse cibum interpositis inter utramque cibationem duodecim æqualiter horis: *nec sane*, inquit, *nisi impedimento aliquid se opponat aliud, fieri aliter debei.* Addit tamen postea cap. 19. habendam esse rationem somni qui noctu peragitur, cujusque beneficio fœlicius & exquisitius coctionis opus procedit, tum ob longiorem moram, tum propter noctis frigiditatem, qua concluditur in penetralibus calor, tum denique propter ferias animalis facultatis. Quamobrem necessarium esse ait ut commodum illud coctioni tempus longius protrahatur, sitque tempus à cœna ad prandium sexdecim horarum, tempus à prandio ad cœnam octo tantùm, cibusque cœnæ uberior sit, prandii par-

cior. Verumenimvero ut optime obſervavit Marſil. Cagnat. cap. 24. lib. laudati, Medici veteres hanc horarum ſubtilitatem prætermiſerunt. Nec expectandum omnino eſt ut ille doctè & eleganter oſtendit diſputatione de ordine in cibis ſervando impreſſa Romæ anno 1581. ad ingerendum novum cibum ut prior prorſus è ventriculo in inteſtina deſcenderit, cum cibus eodem tempore totus non coquatur, ſed veluti per partes, ex quo ſequitur eum quoque partiatim è ventriculo delabi & in inteſtina defluere: modo itaque ſigna manifeſta cruditatis ac repletionis non adfuerint, cœna poterit à prandio quatuor, quinque ſexue horis diſtare, prandium à jentaculo levi duabus, tribus quatuorve horis.

Sine ſemper eadem hora comedendum.

Quæres. Eſtne eadem ſemper hora comedendum? Equidem Hippocr. Aphoriſ. quinto libri ſecundi ad inſolita faciendam eſſe mutationem jubet; cui aſſentitur Galen. in comment. dum exactam conſuetudinem quam Græci μονοειδῆ vocant, parum eſſe tutam ſcribit, quod omnium hominum vita inopinatis incertiſque rerum caſibus ſit ſubjecta. Ne igitur inſolitis rebus & ex improviſo occurrentibus graviter offendamur, conſulit Hippocrates ut in conſuetis rebus immoremur ſemper, ſed inſolitas quoque interdum & contrarias experiamur. *Quemadmodum enim ferrum*, ut ait Triverus in eum Aphoriſ. *quod aqua ſubmergitur & rurſum aqua incaleſit, congelatur fortius: ſic qui modo delicatis, modo duris alimentis utuntur, minus ad morbos proclives evadunt.* Ab hac mente eleganter Celſus libri primi capite tertio. *Sanus homo qui & bene valet & ſuæ ſpontis eſt, nullis obligare ſe legibus*

debet , hunc oportet varium habere vitæ genus , &c. Utut ſit tamen mihi videtur commodius tum valetudinis tum etiam honeſtatis gratia eadem ſemper hora cibum ſumere , honeſtas enim ſuadet ut ſicut in aliis actionibus muniiſque obeundis , ſic in cibi ſumptione certum diei tempus eligamus. Valetudo autem non permittit nos incertam , inordinatam , & tumultuariam vivendi rationem ſequi , aſſueta enim & ordinata inſuetis & inordinatis minus moleſta, cum ordo ſit naturæ opus , ex Hippocr. Aphoriſ. citato.

Satis fit objectioni Hip.

Quid ergo reſpondendum Hippocrati , Galeno , & Celſo ? Eos dicimus locutos non tantum de hora aſſueta in victu , ſed de cibis , potibus , ſomno, vigilia , quiete, motu , aliiſque Higeines capitibus , in quibus bonum noneſt ſic exactam & uniformem ſervare rationem , ut ne minimum quidem ab ea deflectatur. Vix enim vitæ noſtræ caſus diverſi poſſunt ferre longo tempore tam eximiam & exactam conſuetudinem. Hinc fit ut ſubita ingruens mutatio naturam imparatam inveniat , deque ſtatu illo lubrico dejiciat. Hollerius in prædictum Aphoriſ. videtur diſtinguere conſuetudinem in nativam ſeu gentilitiam , & in accidentariam ac coactam : priorem non eſſe mutandam , poſteriorem cum Hippocrate mutari poſſe concedit. Verum de conſuetudine poſtea.

Ad concludendam prolixam hanc Animadverſionem examinanda eſſet celebris quæſtio de prandio & cœna ; utrum eorum ſcilicet levius vel uberius eſſe debeat , ſed quia agitata fuit copioſius à Curione & Crellio in comment. in hoc caput , multoque etiam diffuſius à nobiliſſimis

Medicis

Tab. 36.

HIC TYPUS PERTINET AD PAGINAM 36.



Medicis Jul. Alexandr. toto fermè lib. vigesimo nono salub. Marsilio Cagnato capite 20. & 21. de sanit. tuend. Stuckio lib. primo antiq. conviv. cap. 14. Matth. Curtio, Andrea Turino, Dino de Florentia, Odo de Odis, Petro Toleto, Bernard. Paterno lib. de prandio & cœna scriptis, idcirco à me pretermittitur, ne actum agere videat.

De secundis mensis, seu Bellariis.

Cap. XIV.

Post pisces nux sit, post carnes caseus adsit.
Unica nux prodest, nocet altera, tertia mors est.

HOC loco duo in primis traduntur præcepta.

Primum, ut post esum piscium, casei loco sumantur nuces. Nux enim siccitate sua impedit generationem phlegmatis, quod ex piscibus generari solet, hinc etiam in jejunio quadragesimalii, summo loco exhibentur nuces. Alia ratio, quia pisces, quandoque veneni nonnihil in se continent, difficulter concoquuntur, & facile putrescunt ac corrumpuntur. Nuces vero juvant digestionem, quia quando sunt venenosi, ut dictum est statim, nux remedium præstat contra venenum. Ergo pisces temperantur per nuces, & sic sanum est, sumere nuces post pisces.

Secundum, ut post esum carnium sequatur caseus, non nuces. Caseus enim facit, ut cibus des-

cendat ad fundum ſtomachi, ubi viget digeſtio. Et hoc intelligendum de caſeo, medium inter recentem & veterem locum ſortito. Deinde poſteriore verſu oſtenditur, quòd unica nux, ſcilicet myriſtica, naturæ hnmanæ proſit, bonum enim odorem oris efficit, viſum, hepar, ſplenem & ſtomachum confortat, & maxime orificium ejus; ſecundum Avicennam. 2. Can. cap. 506. Sed altera nux, ſcilicet Avellana ſive communis, nocet. Avellana quidem quoniam in ipſa inflatio eſt, & generat ventoſitates in ventre inferiori, & facit ſodam, id eſt, dolorem capitis, tardæ eſt digeſtionis, & excitat vomitum, inquit, Avicen. 2. Canon. cap. 41. Nux verò communis, quia & ipſa facit ſodam, difficulter digeritur, infeſta eſt ſtomacho, & maxime calido, ob caliditatem ſuam. Dioſcor. lib. 1. cap. 141. Tertia nux, ſcilicet baliſtæ, eſt mors, ideſt, mortem infert, hac enim homines interficiuntur. Vel intelligi poteſt de nuce methel, quæ autore Avicen. 2. Canon. cap. 512. venenum eſt ſtupefactivum, cito mortem inferens. De qua plura Rhazes 3. ad Manſorem cap. 30. Serapion c. 305. de ſimpl.

Avellana

Animadverſio.

Primæ & ſecundæ menſæ.

IAM à priſcis ſæculis mos invaluit convivia diſtinguendi in primas & ſecundas menſas, quas Græci κατ' ἐξοχὴν τραπέζας vocant.

Primis menſis, ut notat Celſus lib. primo cap. secundo, ſalſamenta, olera, carnes tum elixæ tum aſſæ apponebantur; ſecundis fructus ſuaves & delicati, ut fames convivarum pene ex-

tincta, rurſus accenderetur, & irritaretur: unde non minus eleganter quàm verè ſecundæ menſæ παραμύθια ἡδονῆς, hoc eſt voluptatis ſolatia ſeu irritamenta à Platone denominata ſunt. Fuerunt autem varia ſynonyma ſignificandis illis menſis. Nam & Epitrapezomata & Epiphoremata, & Epidorpiſmata & Epidipna, & Catachuſmata, & Trogatia, & Hypotrimmata, & Tragemata, & Pemmata, & Bellaria, & fructus τράπεζας δεύτερας deſignant. Pind. vocat ἀμφὶ δεύτατα circa ultima, id eſt, circa exitum convivii: Clemens Alex. παραψωνήματα, nam ut obſonia adjiciuntur pani, *ſic bellaria obſoniis delitiarum cauſa accuduntur*, ait Caſaub. lib. 14. animadverſ. in Athen. cap. 11. Bellariorum autem inventio ab jonibus fluxit, ſi credimus Valer. Max. lib. 2. cap. 1. titulo de civitate Spartana. *Audierant*, inquit, *Spartani lautitiam ex Aſia, & immodicos ſumptus & omnia non neceſſaria voluptatis genera fluxiſſe; primoſque Ionas unguenti coronarumque in convivio dandarum, & ſecundæ menſæ ponendæ conſuetudinem haud parva luxuriæ irritamenta reperiſſe.* Quamobrem primus finis bellariorum fuit voluptas & luxus. Deinde vero ad concoctionem & digeſtionem ciborum deſtinatus fuit. Ariſtot. probl. 6. ſect. 22. quærit cur uſus ſecundarum menſarum adjiciendus ſit. Reſpondet ut ſatis bibatur, non enim ſufficit bibiſſe per menſas primas ad extinguendam ſitim, ſed juvat poſtea aliquid pręterea haurire, putà delectationis gratia, inquit Conciliat. different. 118.

Bellariorum nomina.

Inventio.

Finis.

Bellariorum vero materia quę fuerit veteribus, non inquiro, cui enim uſui poteſt eſſe ſtudium hoc à Stuckio jam perfectum lib. 3. antiq. convivial? Vide Iod

Materia.

VVillichium in arte magirica.

Digeramus si placet materiam eorum quæ nobis hoc sæculo sunt usitata. Est ergo materia Bellariorum, vel ex plantis, vel ex animalibus deprompta. Ex plantis radices, ut petroselini radix tubera, radix Chrysanthemi, indici strumosi, &c. flores ut auranciorum; violarum, rosarum: fructus, vel herbarum ut melones, fraga, cynari; vel fruticum ut cappares, & baccæ, uvæ transmarinæ: vel arborum, ut poma, pira, cerasa, semina anethi, fœniculi, coriandri; summitates asparagi, lupuli; succi, ut vina, & succi fructuum expressi ac condîti. Ex animalibus excremẽtitia, ut lactis omnia genera, ova, partes ut carnes è quibus fit gelatina & id generis. Ea autem omnia, vel solitaria, simplicia crudave apponi solent & comedi, vel composita condîta aut cocta. Simplicium ac crudorum facilis est cognitio atque judicium, coctorum quoque ubi non est mixtura varia; sed compositorum, ac conditorum, ut multiplices sunt differentiæ ac varietates, sic difficillimæ sunt prorsus cognitionis, & enumerationis. Quis enim omnia placentarum genera enumeraret, de quibus integrum opus delineatum habemus ac magnam partem affectum? Unius sacchari tam fœcunda & admirabilis natura est, ut à quo plus voluptatis & delitiarum gulæ accedat, non habeant coquinæ magistri. Solvitur in embammatis, cogitur in orbiculos, digeritur in panes, pinsitur in placentas, tornatur in crustula, fingitur in castella, in aviculas, & in omnium rerum simulacra, coquitur, aspergitur, duratur, incrustatur, adeo ut in eo monstrificum sit gulæ ingenium.

Sacchari mirabilis usus.

Vsus bellariorum.

Porro ea esse debet bellariorum ratio & moderatio, ut coctioni juvandæ inserviant, seu emẽdan-

do pravas aſſumpti cibi qualitates, ſeu calorem ventriculi cogendo ac augendo. Si itaque calidiores cibi ingeſti fuerint, bellaria refrigerantia convenient; ſi frigidi, calida. Itidem ſi edulia phlegmatica fuerint & excrementis redundantia, quæ digerunt & humiditates abſorbent bellaria ex uſu erunt. Ea propter videmus à Salernitanis alia preſcribi bellaria aſſumptis carnibus, alia piſcibus ingeſtis; alterius enim ſunt conditionis piſces, quam carnes, alterius quoque uſus ſunt nuces quam caſeus. Scio hic multa objici poſſe contra doctrinam Salernitanorum & Villanovani, ſed ex his fluctibus difficultatum facilè enatabit quiſquis caſei & nucis facultates notas habuerit; de quibus erit poſtea locus diſputandi.

De ordine in cibis ſervando.

CAP. XV.

VT vites pœnam, de potibus incipe cœnam.

HIC docetur, cœnam inchoandam eſſe à potu. Sunt qui hoc modo exponant: Si vis vitare pœnam, id eſt infirmitatem, prius bibas in principio cœnæ quam comedas: ſed hæc expoſitio inepta eſt prorſus ac invalida. Secundum medicos etenim conducibilius eſt, à cibo cœnam auſpicari, quam à potu. Nec ipſi Angli, quibus preſens liber dicatus eſt, iſtum morem ſive conſuetudinem ſervant. Communiter quacunque diei hora bibere voluerint, bolum ſive morſum panis præſumunt. Videtur itaque hunc habere ſenſum: Incipe cœnam à potu, id eſt à cibo liquido &

facilè digestibili quemadmodum & Hipp. 2. lib. aphor. 11. potũ usurpavit, inquit, ubi sic: *Facilius est impleri potu quàm cibis.* Ratio autem hęc est, quia si cibus liquidus & facilè digestibilis postremo sumatur loco, cum nocte superveniente fortificetur calor digestivus, cibus ille liquidus & facilè digestibilis longe ante digeretur quam crassus & concoctu difficilis. Qui non inveniens exitum ob cibum crassum nondum digestum minus aduretur; vel si exierit, crassum cibum nondum ad plenum digestum secum corripiet. Melius est ergo ut cibus liquidus & facilè digestibilis præsumatur, ut digestus exitum habeat nullo repugnante.

Animadversio.

Licet Salernitani videantur hoc caput ad cœnam restringere, sicque ab Arnaldo intelligatur & exponatur; re vera tamen latius accipiendum est & ad ordinem qui in cibis sumendis observandus est, accommodandum; sive sit in cœna sive in prandio. Hunc autem in cibis servandum ordinem tertium fecimus eorum quæ ad iis utendi rationem pertinent, qui tam magni in vita est momenti; ut pravum victum emendare cum legitimus est valeat, optimum vero corrumpere si præposterus & illegitimus existat. Iis autem verbis expressum est hoc præceptum, ut tam de potu quam de cibis liquidis intelligi posse videatur. Jampridem enim agitatum est inter Medicos utrum bibendum esset prius quam comedendum. Apud Græcos quidem memoria est morem eum receptum fuisse. Scribit Ephippus Olynthius lib. de exequiis. Hephęstionis & Alexandri,

An bibendum prius quam edendum.

Macedonas ſtatim vel in ipſis propinationib⁹ vini plurimum hauſiſſe. Quod confirmat. Hippoloch. apud Athen.l 4.Deipnoſ.ubi conuivis accumbentibusvigenti dono datas fuiſſe argenteas phialas narrat,quibusſiccatis panis & carnes tum demum appoſitæ ſint : ſed multo evidentius idem Athæn. demonſtrat frugalitatem Cleomenis Lacedæmoniorum Regis deſcribens eodem lib. ſcribit enim ante cœnam πρὸ τοῦ δείπνου cyathum unum convivis datum fuiſſe ; quæ bibendi ratio veteribus πρόπομα appellata eſt ; teſte Iſa. Caſanbono lib. 2. animadver. in Athæn. cap. 17. Propoma.

Uſurpatus etiam mos ille à Latinis, ſed paulo tardius;ſub Tiberio nimirum Cæſare. Sic Plinius lib. 14. cap. 22. *Tiberio Claudio Principe ante hos annos 40. inſtitutum ut jejuni biberent, potuſque vini antecederet cibos, externis & hoc artibus ac medicorum placitis novitate aliqua ſeſe commendantium.* Qua propter Plut. lib. 8. ſympoſ. quæſt. 9. inter cauſas novorum morborum recenſet προπώματα. *Antiqui*, inquit, *ne aquam quidem biberunt antequam ediſſent, nunc ante cibum captum, vino oppleti humectato & fervente corpore cibum aggrediuntur.* Ejuſmodi vero potus vinum fuit mulſum ſeu dulce, quod græci & γλεῦκος & γλεῦξιν & σίραιον & ἕψημα & γλυκὺ vocarunt ; quod coquendo ea dulcedo pararetur ut annotat Camerarius in ſecundum cap. Actor. ejuſque parandi rationem docet Columel. l. 12. c. 29. Florentin. Geopon. l. 6. c. 16. & Plin. l. 14. c. 9. Hanc ingerendi ante cibum vini conſuetudinem attigit quoque Juven. ſat. 7.

------tandem illa venit rubicundula, totum
Oenophorum ſitiens plena quod tenditur urna
Admotum pedibus, de quo ſextarius alter

Ducitur ante cibum rabidam facturus orexim.

Observabis tamen alias mulsum, aliàs vinum deterioris notæ epotum fuisse: mulsum quidem, quod vacuis & inanibus venis dulcem potionem hauriendam esse existimarent; quod colligitur ex Horat. 2. serm. saty. 4. reprehendente Aufidium qui stultè austerum mulsum pro dulci miscebat:

Aufidius forti miscebat vina falerno
Mendose, quoniam vacuis committere venis
Non nisi lene decet, leni præcordia mulso
Prolueris melius

Vinum autem pessimum quod Juven. loco adducto pedibus admotum vocat, bibebatur ad appetentiam proritandam, primo enim vinum illud insuave vomitum excitabat, dein evacuato per vomitum stomacho edendi bibendique orexis provocabatur. De orexi illa locutus est Juven. saty. 7. versibus supra allatis,

------de quo sexarius alter
Ducitur ante cibum rabidam facturus orexim.
Dum redit & terras luteo ferit intestino
Marmoribus rivi properant, aut lata falerno
Pelvis olet, nam sic tanquam alta in dolia longus
Deciderit serpens, bibit & vomit, &c.

Id ipsum est quod dixerat Seneca: Vomunt ut edant, edunt ut vomant. Alios tamen in usus ejusmodi bibendi consuetudinem ante cibum, Medici introduxerant. Aliquando enim refrigerando stomacho, aliàs roborando, nonnunquam alvo laxandæ, interdum stringendæ, vel certè alicui corporis imbecillitati corrigēdæ ea προπόματα seu ut loquitur Aëtius προποτίσμους, Medici consulebant. Hinc multiplex eorum extitit varietas quod ad diversos tenderent fines. Pal-

Vsus promatum.

ladius l. 3. tit. 32. meminit propomatis absynthiati, rosati, tit. 27. myrtitis, tit. 28. Thyriacalis. Nicolaus Myreps. sect. 28. sex & viginti differentias propomatis recenset, quarum Paul. Æginet. & Alex. Trallian. sæpius meminerunt. Quod itaque salutis gratia excogitatum à Medicis fuerat, mox ad voluptatem & ad luxum traductum fuit non si nemagno sanitatis detrimento. Nam ut notat Jacob. Præfectus lib. de vini natura pag. 52. *Vinum jejuno stomacho potum podagram generare potest, substantiam nervorum promptissime offendere, & actus immoderatos veneris excitare.* Possumus autem existimare dulce Vinum seu mulsum ante omnia assumptum fuisse ad evitandam ebrietatem. Docet enim Arist. probl. 12. 13. & 28. sect. 3. Itemque lib. 4. meteor. cap. 9. Vinum dulce non inebriare quod sit lene, crassum ac viscosum vias obstruens quibus vapores ascendunt, inodorum, præterea proinde ad effumandum ineptum, minusque καρηβαρικὸν: quod ante Aristot. scripserat Hippocr. lib. 3. de rat. vict in acut. sed rem omnem eleganter exposuit Plut. sympos. lib. 3. prob. 7. Mercurial. variarum lect. lib. 1. cap. 17. Jul. Guastavin. comm. in prædictum Arist. problema, Septalius ibid. Ludo. Buccaferreus & Francis. Vicomer. in 4. Meteor. Sed his omissis atq; veterum cõsuetudine ante cibum bibendi relictâ, insistendũ esset propositæ quęstioni, an consuetudo illa sanitati sit utilior, & an salubre sit bibere priùs quàm comedere, nisi eum morem antiquatum & obsoletũ animadverterem, neminemque extare tam parum salutis suæ studiosum, qui jejun⁹ bibat. Insuper res ita examinata fuit à Conciliatore, differẽtia 118. & à Jul. Alex. salub. lib. 30 c. 8. ut doctorum animis nullus hærere scrupu-

lus pręterea possit. Ad alia itaque progrediamur.

Potus nomine duo intelligi.

Dictum est voce Potus liquidum quoq; omnem cibum intelligi, quem præmitti volunt Salernitani in cœna, fuit enim mos veteribus ad nos usque transmissus, ut ante cœnam; seu ut verius, dicam ante carnes quidam cibi apponerentur velut ad cœnæ προοίμιον, ut loquitur Alexis Poëta apud Athen li. 2. Deipno. quæ ciborum appositio prima modo antecœna ex Macrobio Saturn. lib. 3. c. 13. modo gustatio & gustus ex Martiali ep. 53. lib. 11. modo promulsis, quod ante mulsum daretur ex Lips. lib. antiq. lect. modo prandium ex Horatio saty. 4. modo denique πρόπομα, dicitur vulgo *l'entrée de table*. Cœna enim duplex fuit: una quæ primas mensas contineret, altera quæ secundas. Primarum mensarum pars duplex, πρόπομα, & cœna ipsa: ex quibus duo si placet observabis. Primùm πρόπομα dupliciter usurpari, nimirum pro potu ante cibum sumpto de quo supra egi, & pro antecœna seu gustatione: alterum est, antecœnam vocari interdum prandium; quod ex unico Horatio colligere est qui loco laudato sic scribit.

Antecœna quid.

Serm. l. 2.

-----Ille salubres
Aestates peraget qui nigris prandia moris
Finiet.

Nam quod velit Horatius, ultima mensa mora ingerenda esse, credibile non est; cum Gal. doceat lib. 2. de alim. facult. mora si sumpta post alios cibos fuerint, aut pravum succum in ventriculo offenderint, celerrimè una cum aliis cibis corrumpi novo quodam corruptionis genere quod verbis explicari nequeat. Non est quoque verisimile consulere Horatium nihil sumendum in prandio præter mora: si enim seriem illius loci attendas facile judicabis eum aliter sensisse. Docet enim

quomodo convivio excipiendus ſit hoſpes ex improviſo adveniens. Pro cœna jubet gallinam apponi, quæ ne dura ſit viva mergatur falerno, pro ſecundâ menſa fungos pratenſes laudat, pro antecœna ſeu propomate mora ante æſtum lecta. Reſtat igitur ut per prandium antecœnam ſignificatam voluerit, in qua eſitata mora ſaluberrima ſunt; vel Galen. teſte loco ſupra adducto cap. de ſycaminis & moris; quos quidem fructus celerrime ait pertranſire, cibiſque aliis præire ſi in ventriculum purum inciderint & ſumpta primis epulis fuerint, atque ut loquitur ἐν τοῖς προπόμασι. *Horatii locus expoſitus.*

Verum enimvero quemadmodum cum veteribus convenimus in propomatis, ſic diſſentimus in genere ciborum præmittendorum: Illi enim fere edulia ſicca & frigida præponebant; à quibus antecœna etiam ψυχρὰ τραπέζα dicta eſt; cujuſmodi erant radiculæ, olivæ, fœnumgræcum ex garo, oſtrea, echini, cruda olera & cætera quæ enumerãtur ab Athen. l. 3. Nos verò ferè humida & calida præſumimus, ut ſunt juſcula & jurulenta omnia. Nec abs re equidem, cum doceat Galen. loco adducto, & poſt eum Medici omnes εὔπεπτα δυσπέπτοις, liquida ſolidis, lubricantia adſtringentibus, quæ facile deſcendunt & ſubducuntur, iis quæ tarde permeant præmittenda eſſe; quod celerius alterentur, facilius coquantur, commodius diſtribuantur atque reliquis viam parent. *Qui cibi præmittendi.*

Optimum tamen eſſet diverſi generis cibis non uti, ſed unius generis ejuſque ſimplicis. Sic enim viſum fuit Clement. Alex. lib. 2. præd. cap. 1. Plut. ſympo. 4. probl. 1. Macrob. lib. 7. Saturn. cap. 4. & 5. qui omnes cibum ἁπλοῦν καὶ ἀπερίεργον velut ἄκνισον καὶ ὡς εὐήκοον μάλιστα τῇ πέψει commendant, damnant ποικίλην τροφὴν, velut νοσώδη, ταραχώδη, βλάβης, κακεξίας στομά- *Simplex cibus præferendus.*

των, καὶ ἀνατρέπεις στομάχων inducentem. Quod colligere licet ex Hippocr. lib. de flatib. Avicen. 3. 1. doct. 2. cap. 7. Christoph. à Vega. lib. 2. methodi, med. Med. Senec. epist. ad Lucilium, Stuckio lib. 3. antiq. conviv. ex Gesneri mente, & aliis innumeris. Sed quoniam ii non sumus qui uno cibi genere contenti vivamus, nobis maxime laborandum est, ne toto genere diversis utamur eduliis. Quod si ad multiplices genere & facultate dapes vitæ nostræ institutum nos cõpellat, eum ordinem servare par est quem ex Galeni & Medicorum consilio proposuimus. Nec enim meo judicio audiendi sunt qui alimenta difficilis coctionis pręmittenda suadent εὐπέπτοις, vel qui nullum prorsus ordinem servandum præcipiunt. In quos tamen prolixius non declamo; quod eorum doctrinam à viris clarissimis explosam velut futilem & inanem animadverto; maximè à Christoph. A vega lib. 2. de arte med. & à Marsilio Cognato libello peculiari de ordine in cibis servando; licet & hi aliquid diversum à doctrina Galeni passidere videantur.

Tempus inter primas & secundas mensas.

Ad ordinem quoque pertinere videtur intervallum quod inter primas & secundas mensas ponitur. Breve illud esse debet, imo continuum debet esse totius cœnæ vel prandii tempus, quod sufficiat bene mastigandis cibis, & sedandæ appetentiæ: si longius fuerit, odiosum est & damnosum, dum enim postrema edulia apponuntur, priora ferè excocta; sunt quo fit ut cruda coctis misceantur, quo deterius saluti nihil esse potest.

De consuetudine in cibis servanda.

CAP. XVI.

OMnibus assuetam jubeo servare diætam;
Approbo sic esse, ni sit mutare necesse,
Hippocrates testis, quoniam sequitur mala pestis.
Fortior est metâ medicinæ certa diæta,
Quam si non cures, fatuè regis & malè cures.

HIc præcepta quædam traduntur de diæta: quorum primum est, omnibus convenire, ut servent consuetam diætam. Per diætam vero intelligitur administratio cibi & potus. Ratio est, quia transgressio à cōsuetudine nocet nocumento magno; consuetudo enim est altera natura. Quod ergo diu adsuetum, est in naturam ferè transivit. Quemadmodum igitur naturam custodire oportet, ita & consuetudinem; præcipue si laudabilis fuerit. Et quemadmodum servanda est consueta administratio cibi & potus, ita & consuetudo aliarum rerum non naturalium eadem ratione. Unde si quis consuetus multum laborare, velit hanc consuetudinem immutare, ocioque indulgere, minusue laborare, vel aliud laboris genus adsumere, idque alio & tempore & modo, ille proculdubio multum ex hoc debilitatur. Idem intelligendum de cibo & potu, somno & vigilia, repletione & inanitione, & animæ accidentibus. In quibus omnibus observanda est consuetudo, si sit laudabilis, vel parum laudabilis sive indifferens in bonitate & malitia respectu illius ad quod fieri debet permutatio.

Diæta.

Consuetudo.

Sciendum autem hoc loco debiles & senes fa-

cilius ferre consuetos labores, quàm fortes atque juvenes inconsuetos. Id quod his verbis confirmat Hippocr. lib. 2. Aphoris. 49. Qui consueti solitos labores ferre, etsi fuerint imbecilles & senes, non consuetis, fortibus atque juvenibus facilius ferunt. Quod verò dicit, inquit, Philotheus tale est. Sunt autem quidam, hic quidem senex, hic autem in vigore ætatis, uterque incipit fodere terram, & seni quidem fodere bene cedit, illi autem qui in ætatis vigore est, minimè: illi quidem ob consuetudinem, etsi imbecillis, huic autem ob inconsuetudinem, etsi robustus sit.

Notionem enim universalem esse oportet, quod exercitatæ partes aliis fiunt robustiores, & propter hoc facilè subeunt consuetos labores. Secundum est, malam pestem, id est, maximum incommodum sequi permutationem consuetæ diætæ, ut testatur Hippoc. lib. 2. de victus rat. in morbis acut. nisi fuerit necesse eam permutari, quando est illaudabilis; ita ut inde sequantur pessimæ ægritudines, qualis est prandium sive cœnam pravis cibis terminare. Hujusmodi enim consuetudinem necessarium est corrigi & permutari, non quidem subitò, sed paulatim & ordinatè. Nam omnis subita mutatio vehementer nocet, maximè si à consueto ad inconsuetum fiat permutatio.

Subita mutatio nocet.

Deinde etiam necesse est eam permutari, ne si forte ad inconsueta fiat tranflatio, sequatur læsio. Nam qui se ad omnem diætam adsuefacit, minus lædetur, cùm se ad inconsueta transtulerit. Idem etiam intelligendum de aliis rebus non naturalibus, id quod testatur Hippocr. lib. 2. Aphoris. 50. Quæ ex longo tempore consueta sunt, etsi deteriora sunt, insuetis minus molestare solent.

Oportet igitur ad ea insueta permutari. Unumquodque enim ipsorum, inquit Philosophus, consuetum effectum minus lædit, eò quòd natura quidem magis innocuum, sed in consuetudinem nondum venerit: ut consuetus comedere manna, in boni mutatione cibi injuria afficitur, propter desuetudinem: & consuetus bibere aquam, si in meri potionem mutaverit, læditur, quoniam à consuetudine aberrat. Sic & in his quæ particularia sunt. Similiter autem oportet & ad insuera permutare, ut si quando fortuna coëgerit, ea ferre possimus, eum enim qui usus est multo nutrimento, oportet & parum comedere, ut causa adveniente ferat & illius usum.

Quapropter quisque cavere debet, teste Rhaze lib. 4 cap. 10. ad Man. ne alicujus rei sibi consuetudinem faciat, quam ipsum observare oporteat, ex cujus observatione constrictionem patiatur. Ut si quis uno cibo consuetè semper utitur, vel aliquo potu, vel omnino ab eis abstineat, vel dormire, vel coire consuescat: & ex aliquo istorum graviter constringatur, maximum incurrit nocumentum, si ab eis abstinuerit.

Quapropter quisque corpus suum sic disponere debet, ut caloris & frigoris patiens esse possit, & ad munitiones & cibaria sibi necessaria aptum reddatur, & ut somni & vigiliarium horas, atque mansiones & domos sine læsione permutare possit. Fortassis enim ex necessitate hoc aliquando agere cogetur. Quod quidem fieri poterit, si consuetudo non observetur ad unguem, sed interdum ad inconsueta transeamus. Consuetudo varianda.

Tertium est, fortiorem ac potiorem metam medendi esse certam diætam, quam si Medicus non curaverit, ac aliam indebitam administraverit, fa-

tuè regit ægrum & malè curat.

Alimentorum triplex genus.

Eſt porro triplex diæta, ſive alimentorum genus. Alimentum ſcilicet plenum, alimentum modicum, alimentum tenue. Alimentum plenum, eſt ſanorum cibus, qui non ſolum vires conſervat, ſed auget. Alimentum modicum ad ſanos etiam ſpectat, vires quidem conſervat, ſed non auget. Alimentum tenue, id eſt, quod vires imbecilles reddit. Hoc vero alimentum quod tenue dicitur ab autoribus in multas partes diviſum eſt; nempe in tenue ſine aliquo addito; in tenue exquiſitè, in tenuiſmũ & in tenuiſſimũ in extremo. Tenuiſſimum, in extremo alimento eſt, nihil penitus dare. Et ſi dubitabis, quomodo alimentum dici poteſt, cùm nihil datur? Reſpondemus, ita eſſe illius vocabuli uſum apud Medicos. Tenuiſſimum verò eſt, dare melicrarum ſolum. Tenue eſt ptiſanæ ſuccus, qui ſi etiam in pauca quantitate ſumatur, eſt exquiſitè tenuis. Sanos homines non ſolum conſervare debemus, ſed etiam augere, propterea victus plenus illis competit. Qui vero ægritudine longa laborant, vires augere non debent, ſed bene conſervare; aliter uſque in finem non ſufficerent: propterea hi modico victu cibandi ſunt, qui etiam, ſanis convenit in quibus vires augere non cupimus, ſed illas ſolum conſervare animo eſt, quos etiam in longo morbo totis viribus ſervare ſtudemus. Cum vero ægritudo brevi terminanda eſt, ſi quarto die finiri debeat, aliquid dare non eſt opus. Imo ſi vires ſufficerent & in ſeptimo terminanda eſſet, nihil penitus dandum eſſet niſi poſt illum terminum. Unde Hippocr. lib. 1. Aphor. 6. Extremis morbis extrema exquiſitè remedia optima ſunt.

Animadverſio.

Animadversio.

De cõsuetudine.

HOc est ultimum caput quod ad utendi rationem pertinere diximus, in quo agitur de consuetudine, quam tanti fecerunt Philosophi omnes & Medici, ut eam natura non inferiorem duxerint. Aristot. lib. de mem. & rem. cap. 2. ait ὥσπερ γὰρ φύσις ἤδη τὸ ἔθος, *tanquam enim natura jam consuetudo est.* Lib. etiam 7. de morib. cap. 11. ob id scribit difficile esse mutare consuetudinem, ὅτι φύσει ἔοικεν *quod naturæ perquam similis sit;* quemadmodum probat ex his Eveni versibus:

Φημὶ πολυχρόνιον μελέτην ἔμμεναι φίλε καὶ δὴ
Ταύτην ἀνθρώποισι τελευτῶσαν φύσιν εἶναι.

Multos, quod partum est meditando, permanet annos;
Atque in naturam tandem convertitur usus.

Consuetudo altera natura.

Quod ipsum quoque affirmavit Michael Ephes. comm. in Arist. de mem. & rem. unde eleganter Galen. comment. 3. in lib. Hippocr. de officina part. 21. consuetudinem vocat ex maximorum medicorum mente ἐπίκτητον φύσιν, *adventitiã naturam*, quam appellationem post Gal. ei tribuit Melet. lib. de structura hominis cap. quot facultatib. homo præditus est. Ex eo factum esse reor, ut à Sext. Empiri. advers. Mathem. c. 10. consuetudo habita sit nec ars pura, nec mera natura; οὔτε τέχνη οὔτε φυσικὴ συνήθεια sed aliquid medium inter artem & naturam. Imò vero tantum consuetudini tributum Hippocratis ætate, ut consuetudo pro ipsa naturâ usurparetur. Testem habeo Galen. comm. 2. in prognost. Hippocr. part. 11.

Cõsuetudo naturæ nomine appellata.

ἀλλὰ ἐπὶ τῶν Ἱπποκράτους χρόνων, inquit, οὐκ ἄλλο μὲν τὸ ὂν κατὰ φύσιν. ἄλλο δὲ τὰ ἔθη. *At vero temporibus Hippocratis non aliud fuit ex natura aliud in cõsuetudine.* Ex qua quidẽ analogia consuetudinis cum natura, idem penè concessum utrique Imperium, eadem potestas attributa: licet enim natura omnibus hominibus insita sit & ex primordiis generationis enata, consuetudo vero adventitia, externa & aliunde comparata, iis tamen interdum pollet viribus consuetudo, ut naturæ nomen induat, natura consuetudinis appellatione delectetur. Si quis tamen consuetudinẽ definire voluerit melius fecerit per ἕξιν ἐπίκτητον, sive habitum, cum Aristotel. probl. 14. sect. 21. quam per naturam acquisititiam cum Galen. Non enim consuetudo sequitur naturam, sed experientiam; cum experientia fiat ex crebra & frequenti actione, in hoc enim differunt experientia & consuetudo secundum Eustatium 1. de arte dicendi cap. 10. quod consuetudo ex actione, experientia ex observatione suboriatur. Vide Francisc. Bonamic. lib. 1. de motu cap. 1. & Crassotum Ethic. lib. 2. Consentiunt vero quod fiant ex frequenti & sæpius repetita rerum singularium eodem modo sese habentium usurpatione. Est autem consuetudo duplex: una propria, eaque scripta; *secundum quam civiliter agimus*, inquit Aristot. 1. Rhetoric. cap. 10. altera communis minime scripta, quam singuli hominum observant, quia sæpe & crebro observarunt. Illa dicitur νόμος lex, hæc ἐθισμός, ἔθος καὶ ἦθος, propriè consuetudo. Priorem illam à postrema nasci voluit Plato lib. de legib. 3. scripsitque lib. 7. consuetudines bonas, leges esse nón scriptas, & scriptas leges efficere firmiores. Addit Perithus apud Stob. serm. 37. consuetudinem bonam tutio-

Consuetudo ut definiatur.

rem esse lege. Architas Pythagoreus lib. de lege & Just. legibus præfert mores, quod leges efficiant nihil, nisi in mores transeant. Nemo ergo mirari debet quod tanti ab omnibus consuetudo facta sit, quodque à Medicis religiose cautum sit ne quis temere à consuetudine semel concepta deflecteret. Quod ut clarius etiamnum elucescat, quærendum nobis est quod à multis video prætermissum, sed à Galeno expositum libro de consuetudine, quid consuetudo possit & valeat in naturam, & utrum facultates nostri corporis assuefieri possint. Scribit imprimis Galen. 2. cap. lib. de consuetud. ea quæ longa consuetudine sunt comparata, vim fere proprietatis naturalis cõtrahere; adeo ut omnes facultates naturales, vitales, animales assiduo & consueto rerum naturalium usu sic alterentur, ut cursu temporis infinitos status possint recipere. Nam biliosi homines evadunt in pituitosos, & frigidi in calidos, timidi in audaces, bellicosi in meticulosos: quod exemplis per facultates omnes ductis facili negotio demonstrari posset. Ad facultatem naturalem pertinet nutritio per alimenta familiaria & amica, necnon generatio seu formatio fœtus: at ejuscemodi functiones legibus consuetudinis obnoxiæ sunt. Quid enim aliud demonstrant ii qui nulli cibo aut potui assueverunt, aut assueverunt veneno? Mago Carthaginensis, Lasyrtha Lasionensis, Andro Argiensis, Jul. viator Eques Romanus ut antea memini vitam absque potu transegerunt etiam salsis eduliis usi: Galen. tertio simpl. cap. 18. Anum Atheniensem memorat ab exigua cicutæ portione auspicata magnam assumpsisse portionem nullo detrimento. Fama est aliquos ita à teneris assuevisse veneno, ut ipsi corpore essent

Quid possit consuetudo in naturã.

Vis consuetudinis in altricem facultatem.

venenato & lethali; quod experiebantur muſcæ cum eis inſidebant. Venena noſtris corporibus generari quæ diu ſine noxa lateant, jampridem ex Galeno nobis perſuadere ſunt conati graviſ-

Visejus in generatricem. ſimi auctores. De forma fœtus ex conſuetudine introducta illuſtre exemplum habet Hippocr. lib. de aër. locis & aquis in macrocephalis, qui cum rotundo ante capite naſcerentur, hominum inſtituto & artificio acuminato capite in lucem prodiere. Novi ego nobilem mulierem, quæ quod frequenter auriculam dextram mariti ſui vellicaret & extenderet, puellulam edidit dextra auricula multò prolixiore atque longiore. Vidi quoque puerulum qui quod mater perpetuo digitis comprimeret pollicem pugnoque ſemper contracto eſſet, ſimili configuratione natus eſt; vixque poteſt jam grandior à tali conſuetudine removeri. In fa-

Vis ejus in vitalē. cultate vitali eadem alteratio obſervatur: ſic qui frequenter iraſci ſolet ad iracundiam paratior eſt; equos videmus atque etiam homines tubarum clangoribus exilire ac velut delectari, quibus antea perturbabantur. Meticuloſi aſſuetudine belli audaces fiunt, audaces contrà rebus plerumque inexpertis contremiſcunt. Nonne lacenæ mulieres corporis nuditatem ſine pudore tulerūt, quam ne ſcorta quidem noſtra ſine rubore non ſuſtinerent? Vultum, frontem, oculoſque mulierum in quibus pulchritudinis ſedem natura collocavit, apertos pudice contemplamur, obſcœnas partes nemo ſine libidine intueretur. Quemadmodum conſuetudo hos animi motus emollit & temperat, ſic actiones mentis & ſenſus aliquo pacto moderatur. Tam imperioſa eſt in oculos conſuetudo,

Vis in oculos. ut ſolito objecto plus oblectentur quam alio quovis. Europæos candor delectat, nigror Mau-

ritanos, quo fit ut in signum lætitiæ atque ornatus nigras vestes assumant; quæ apud Europæos mœroris sunt & funeris monimenta. Invenustarum mulierum deformitatem familiaritas & convictus sic lenit vel dissimulat, ut pro ornatu haberi possit. Ad quod non male accommodaveris illud Lucretii de amore lib. 4. de rerum natur.

Multimodis igitur pravas turpesque videmus
Esse in delitiis summoque in honore vigere.
Nigra μελίχροος est; nervosa & lignea, ἀκοσμὸς;
Cæsia παλάδιον; immunda & fœtida, δορκὰς;
Parvula Pumilio, χαρίτων ἴα, tota morum sal;
Magna atque immanis, κατάπληξις, plenaque
honoris,

& illud, Ovid. lib. secundo amorum eleg. 4.

Candida me capiet, capiet me flava puella.
Est etiam in fusco grata colore Venus
Seu pendent nivea pulli cervice capilli;
Læda fuit nigra conspicienda coma.
Seu flavent, placuit croceis Aurora capillis
Omnibus historiis se meus aptat amor.

Quod dixi de oculis, idem puta dictum de aliis quoque sensibus. Catadupani fragorem præcipitantis se Nili nulla molestia auribus sustinent: fabri raucos limarum sonos, alii pelvium & tintinnabulorum pulsus, nulla potiori ratione quàm consuetudinis. Indi ferculis assam fœtidam immiscent conciliandæ fragrantiæ, rustici allia; nobilies moschum. Sunt qui ex odore ambari in lipothymiam incidunt, stercoris fœtore excitandi, quales multi habentur inter foricarios & scarabeos artifices. Si quis Gallis nostris pullum gallinaceum aut perdicem sine lardo as-

Vis in aures.

Vis in nares.

Vis in linguam.

ſam appoſuerit, inſuave illi edulium præbebit; quod tamen ſapidiſſimum eſſe qui aſſueverunt teſtabuntur. Panis inſulſus Pariſienſibus placet diſplicet Pictavienſibus, arridet azimus Hungaris, Italis nauſeam movet. Quærerem libenter cur media hyeme una facies ventis aperta non obrigeſcat ut cæteræ partes? Quid habent religioſi & Deo ſacri homines à cæteris diverſum, quod hyeme rigida nudis pedibus incedentes diſtillatione perpetua ac tuſſi non exerceantur? ſi conſuetudinem excipias quod reſpondeas nil invenies. In motu vero quot ex conſuetudine miranda deprehendentur? Contemplare funambulos, circulatores aſpice & agyrtas, enumera ſi potes omnes ſaltuum & chorearum differentias ac varietates, numeroſos illos pedum flexus, circuitus, menſuras, librationes, expanſus, pauſas, micationes metire, ambulantes manibus homines aſpice, intuere manuum geſticulationes & ut ita dicam locutiones digitorum; nonne cum Poëta exclamabis?

Vis in tactū.

Vis conſuetudinis in motum.

Tot linguæ quot membra viro, mirabilis ars eſt
Quæ facit articulos ore ſilente loqui.

Sed mirabilis conſuetudo quæ hominum motibus tam certos ac definitos motus imprimit.

Vis in principem facultatem.

Quod ad principes attinet facultates, in eas potentius conſuetudinis micat imperium; quod viſus eſt Hippoc. declarare lib. de aëre locis & aqu. ubi ait virilitatem & laborum tolerantiam, non tam à natura quàm à conſuetudine accedere. Et certe ſi veritati fucum demere liceat, fatendum eſt nos non niſi conſuetudine vivere, ſapere conſuetudine, mentemque ipſam conſuetudine moderari, non ratione. Nullibi hodie regnat ratio à conſuetudine ſejuncta, paſſim conſuetudo triumphat abſque ra-

tione. Epulæ, inſtituta, ceremoniæ, ſtudia ,fama, divitiæ, honores, religio,omnia ex conſuetudine. Aliorum veſtigia omnes premimus, & alieno vivimus exemplo. Non quàm bene aliquid fiat aut ſapienter advertimus, ſed quàm ſæpe *& quàm à multis*. Nemo veritati ſtudet ſed frequentiæ. Hi Platonis Philoſophiam, Ariſtotelis alii dogmata ſequuntur non ratione ſed inſtituto. Quam primum quis ex occaſione ſectam aliquam arripuit, illic firmiter inſiſtitur, nec ſi affulſerit veritas, ab illa hæreſi receditur. Id ipſum eſt quod Ariſt. inſinuavit 2.Metaph. tex. 15. his verbis : *Conſuetudo maximè impedit veritatis cognitionem ; quod leges declarant in quibus puerilia & fabuloſa magis poſſunt quam veritas in ſe.* Quo loco ait Aphrodiſ. *uſque adeo conſuetudinis quam veritatis majorem eſſe vim, ut cum falſa ſit veritatem tamen ſuperet conſuetudo.* Hanc ob rem Pindarus eam appoſitè orbis dominam ac Reginam vocat, alii Tyrannum, alii dæmonem, nec aliter Cretenſes hoſtes ſuos diris devovebant quàm ut pravæ ac perverſæ conſuetudini aſſueſcerent. Sed quorſum hic tam longus de Conſuetudine excurſus ? nimirum ut oſtendamus magnam eſſe ejus vim ac imperium in omnes noſtri corporis facultates, eoſque ſapienter collimaſſe qui eam velut in alteram naturam converti voluerunt, ubi fixa eſt & inveterata, ſemper ſequendam minimeque niſi cum periculo deſerẽdam. Verumenimvero multi concedere non poſſunt conſuetudinem abire in naturam; quod ea quæ agunt naturaliter nequeant alio modo agere : ſic lapis deorſum ſemper tendit, nec ſi crebro ſurſum torqueatur, conſuetudinem aſſumat ſurſum aſcendendi. Huic objectioni ſatisfacit Aponenſis comment. in Probl. 26. ſect. 4. ſtatuitque naturalium dupli-

An cõſuetudo abeat in naturã

cem esse motum & inclinationem. Prior quidem sequitur commistionem primam elementorum dominantium in mixto, & formam datam à generante,& secundum hoc nullam acquirit consuetudinem in contrarium, cum secundum hoc omnia sint inanimata: posterior sequitur formam posteriorem resultantem ex mixtione elementorum aut deforis advenientem, & sic potest habere inclinationem & motum ad id quod fuit primo contrarium per repetitam sæpius actionem. Franciscus Math.Fernandez tractatu secundo de facultat.naturalib. quæst. 1. actionem aliam facit viventium, aliam non viventium. In non viventib. constituit duplicem fotmã: unam substantialem quæ dat esse specificum imperfectiorem forma viventium; ut pote cum ab ea nulla alia forma dimanet: alteram accidentalem,temperamentum scilicet ortum ex mistione alimentorum. In viventibus vero ut pote perfectioribus tres formas admittit: primam substantialem dantem esse specificum, & duas accidentales quæ adveniunt enti in actu. Sic in homine est anima rationalis per quam homo est homo, est præterea potentia ad nutriendum, attrahendum, movendum, &c. emanans ab anima rationali, est denique temperamentum ex miscella elementorum natum. Hoc posito primo statuit viventia operari substantia, facultate, & temperameuto; non viventia vero, substantia tantum & temperamento. Secundo docet ad hoc ut ignis generet alium ignem,non esse necessariam ei potentiam generativam; cum hæc solum inveniatur in viventibus, sed sufficere ut per suam formam substantialem & temperamentum producat similem effectum; cum etiam in igne sit tantummodo forma substantialis ignis & tem-

peramentum calidum-ſiccum quo talis forma conſervatur. Ex his concludit non viventia conſuetudinem non acquirere; cum enim conſuetudo ſit habitus qui contrahitur in potentia non in ſubſtantia quæ determinat potentiam, manifeſtum eſt non viventia conſuetudinis habitum non contrahere, cum ea privata fuiſſe omni potentia adſtructum fuerit. Enimvero ut mentem meam aperiam, Fernandes pro fundamento ſupponit quod maximè in controverſiam adducitur. Nondum enim ſatis conſtat inter Philoſophos utrum ſubjecta agant immediatè per ſubſtantiam an per facultatem aliquam mediam ex forma reſultantem; quis enim novit utrum magnes attrahat ferrum immediatè per formã ſuam an an mediate per facultatem aliquam ſeu potentiam à forma magnetis prodeuntem? Nullus enim dubitat attractionem illam non fieri per temperamentum, cum temperamentum manifeſtam habear cauſam, attractio illa occultam; parum itaque valet Fernandis ratio. Dicendum ergo eſt, in reb. naturalibus potius ex paſſione quam ex actione conſuetudinem contrahi: ſic ferrum aut lignum curvum & arcuatum redditur ubi frequenter patitur contractionem atque curvationem, panni quamcũque in formam diutiſſimo tempore complicati & convoluti fuerint, ſi ſemel explices ad eamdem formam redire nituntur: ex diuturna enim paſſione convolutionibus illis aſſueſcunt, id quod prȩſertim in undula quod vulgo Camelotũ dicitur obſervare eſt; à qua Proverbiũ Gallicum fluxit: *Il reſſemble le camelot, il a pris ſon ply*, quod ad eos tranfertur qui conſuetudinem aliquam imbiberunt. Lapis autem projectus in altum, vix à me creditur eſſe in paſſione ſed in actione violenta, proinde non eſt mirum

Noſtra opinio.

si non assuescat, agit enim violenter lapis in aërem; à quo quid patitur quæso? nihil, nisi levem obsistentiam. At cibus in ventriculum non agit, sed fortiter à ventriculo patitur adeò ut ab eo superetur & reddatur tandem ventriculo similis: quid inde accidit tandem? nimirum ut illi cibi sic assimilati convertantur in ventriculi substantiam, producantque humores qui similitudinem obtinent cum cibis ex quibus sunt geniti. Ex hac similitudine repetenda est causa minoris alterationis & facilioris conversionis seu majoris familiaritatis atque convenientiæ. Semper ergo patiendo fit consuetudo, sed passio esse debet rei cui assuescimus, actio & victoria ejus qui assuescit. Quare homo assuescere nequit cibo ex metallis deprompto? quia metalla nonquam ita possunt pati à ventriculo ut ventriculus superior evadat. Quare quidam assuescunt venenis? quia virtutem habent ventriculi satis robustam alterandæ atque domandæ venenorum substantiæ. Quare venenis calidis, ut ait Galen. nemo assuescit assuescunt autem nonnulli frigidis? Quia venena calida quarto gradu talia: sunt ac calor ventriculi qui benignus est & in gradu multo inferiori quam venenatus, vincitur potius quam vincit, dissipatur citiùs quàm dissipat. At frigida venena licet sint in quarto grudu, vincuntur à calore nativo, non intensione sed extensione, ad id enim ut extinguant calorem nativum, debent non solum insitum parti quam afficiunt extinguere, sed aliunde etiam influentem: sed quia mole & quantitate paucum est frigus veneni; idcirco non potest diu resistere calori perpetuo affluenti & succurrenti insito laboranti. Ex. grat. esto frigus veneni assumpti potens & sufficiens intensione

ſua ad extinguendum calorem inſitum ventriculi, non ſufficiet tamen ſecundum molem, cur ita? Quia calor ventriculi inſitus fovetur calore hepatis, veſiculæ felleæ, ſanguinis arterioſi, partium circumjacentium; quorum concurſu calor ventriculi qualitate minor frigore veneni, redditur quantitate & mole major unde exurgit tandem caloris ventriculi in frigus veneni victoria. Addo qualitates ſecundas veneni calidi deteriores eſſe qualitatibus veneni frigidi naturæque noſtræ magis moleſtas. Venena calida comitantur acrimonia, mordicatio, urendi, divellendi, putrefaciendi facultas, erodendi quoque ac corrumpendi, adeout nec ſapore, nec odore, nec tactili ulla qualitate delectent; frigida venena præter cruditatem ſummam vix habent aliquid naturæ noſtræ inimicum. Scio quam frigidis argumentis Sanctorius à Sanctorio.l.4.Meth. vitandorum errorum conetur oſtendere conſuetudinem non eſſe aliam naturam: non ignoro quoque quam pertinaciter Steph. Rodericus Caſtrenſis lib. 2. de Meteoris microſ. cap. 12. impugnet hiſtorias quæ docent nos poſſe aſſueſcere venenis, quamque futilem & inanem ſubſtituat opinionem, ſed plura non addo ne in immenſum creſcat opus de conſuetudine: & quod paulatim mutanda ſit prava conſuetudo, non confertim, videndus Sanctorius loco citato, Valleſ. lib. 8. controverſ. cap. 5. Bened. Victorius Favent. comment. primo in prognoſt. Hippocr. part. 14. & comment. 2. part. 11. Villanovan. in ſpeculo introduct. medicin. cap. 82. Chriſtoph. à VVega de arte med. lib. 2. ſect. 2. Cardan. de ſanit. tuen. cap. 4. Aver. & Sehegk comment. in cap. primum lib. 2. moral. Ariſtot.

Joan. Bapt. Sylvatic. controverſ. 14. & 15. Jacotius comment. in part. 10. lib. 2. coac. Hippocr. Stuckius antiquit. conviv. lib. primo cap. 13. Jul. Alex. ſalub. lib. 28. cap. 4. Et hæc ſufficiant ad doctrinam generalem eduliorum intelligendam. Singula edulia deinceps proponentur à pane ducto exordio.

De eduliis in particulari ac primo de Pane.

Cap. XVII.

Panis nec calidus nec ſit nimis inveteratus;
Non bis decoctus, non in ſartagine frixus,
Sed fermentatuſque oculatuſque ac bene coctus,
Et ſalſus modice, & frugibus validis electus
Non comedas cruſtam, Choleram quia gignit aduſtam,
Et panis ſalſus, fermentatus, benè coctus,
Purus ſit, ſanus, non talis ſit tibi vanus.

DUO circa Panis electionem tenenda eſſe hoc loco præcipitur. Primum, ne actu calidus ingeratur: talis autem exiſtit recentior, & jam primum è furno extractus. Nam cum lentorem quendam adhuc retineat, vehementer inflet, viſceraque obſtruat, neceſſe eſt: eoque ad ſanitatem inutilis habetur: quod 2. Can. tract. 2. capite 572. in hunc prope modum ſcribens Avicenna, innuere etiam voluit. Non comedatur calidus, ſicut eſt, quando videlicet è furno extrahitur, hujus enim, quemadmodum & reliquorum ſimilium uſus, propterea quod inflet

& immodice viſcera obſepiat atque obſtruat, naturæ adverſus, infenſaſque eſt. Hic idem, ut lib. 2. de vict. ratio. in morb acut. Aphoriſ. 34. Hippocrates ſcriptum reliquit, & loco citato Avicenna confirmat, manifeſta caliditate & recenti fuligine ſitim facit, celeriterque vaporoſa humiditate ſatiat, ſed ſupra ſuſpenditur, & tarde deſcendit. Interdum tamen (reliquis accidentibus circumciſis) faciliùs concoquitur, quippe cum ſit humidior: idque duobus potiſſimum modis cognoſcitur. Primum ex pueris, fere enim ii maxime eo delectantur, utpote ſimili. Alterum teſtimonium ab ætate ſumitur. Nam ſi vetus eſt ſicciſſimus, eum qui recentiſſimus eſt humidiſſimum eſſe oportet. Attamen hic etſi victus ſalubris rationi ut alimentum minus congruit, odoratu tamen præſtantiſſimum habetur. Valenti enim ac ſuaveolenti vino imbutus & naribus admotus cor ipſum mirum in modum recreat ac roborat: atque hac ſane ratione ſyncope correptis utiliſſime adhibetur, imo vero & ſolo ejus olfactu vitam prorogari, nonnulli memoriæ prodiderunt. Quod proinde à Democrito factum eſſe Diogenes Laërtius lib. 9. in ejus vita his teſtatur verbis: Cum jam ex ſenio deficeret, & propinquus videretur morti, mœrentem ſororem, quod ille in celebritate Cereris moriturus ipſa deæ vota exolvere nequiret, bono animo eſſe juſſit, paneſque calidos ſibi quotidie afferre: eos igitur naribus quum admoviſſet, vivum ſe, dum ea celebritas tranſiret, ſervavit. Ubi vero dies illi tranſierunt (tres autem erant) quietiſſime ac minimo dolore concluſit vitam 109. ætatis anno. Extat ſuper hac re Græcum ejuſdem Laërtii Epigram-

Panis odor.

ma, ſic Latinè converſum:

> Quiſnam tam ſapiens viſus, qui tale patrarit
> Vnquam, quale ſciens omnia Democritus?
> Qui per tres tenuit præſentia fata dies, &
> Illa recens coċti panis odore aluit.

Plura hac de re Conciliator differentia 155. & Manardus lib. 18. epiſt. 6. Secundum, ne vetuſtate induratus ſive mucidus edatur. Naturæ enim humanæ, propterea quod nimium exſiccet, melancholicumque ſuccum generet, pro alimento non convenit.

Panis electio. Secundo loco quinque enumerantur panis electi conditiones. Prima, ut ſit bene fermentatus: Siquidem concoctu inter panes, ut lib. 1. de alim. facult. cap. 9. Galenus atteſtatur, ſunt facillimi qui plurimum ſunt fermentati & pulcherrime ſubacti, quique in clibano igne moderato fuerunt aſſati. Porro qui fermento omnino caret, nemini prorſus eſt accommodus. Qui vero parum habet fermenti, hic juxta Avicennæ ſententiam ubertim quidem nutrit, ſed niſi multo exercitio ac labore fatigetur qui eo utitur, prompte læditur. Jecoris enim meatus, per quos fertur alimentum, obſtruit, lienis imbecillitatem auget, calculos denique in renibus gignit. Secunda, ut ſit oculatus, id eſt, rarus, poroſus, & minimum ponderis magna mole nobis præſtans: huic enim viſcoſitatem omnem ſublatam eſſe perſpicuum eſt. Parum tamen, ſi Avicennæ credimus, alit, ventrem excrementis implet, & facile per inteſtina deſcendit, quemadmodum ille quoque, qui, quod ex farina à furfure non ſeparata & furfure à pura farina non ſeparato fiat, αὐτόπυρος ſive συγκομιστός à Græcis, à Galeno vero, πιτυρίας, id eſt, furfuraceus,

&à Cicerone cibarius appellatur. Furfur enim cum nonnihil facultatis habeat absterſoriæ, merito inteſtinis irritatis velox ſit ejus dejectio. Iis autem contrarii quidem ſunt panes puriſſimi, plurimum ponderis exigua mole habentes; omnium vero panum tardiſſime dejiciuntur. Tertia, ut plurimum ab artifice ſit ſubactus, & in clibano mediocriter calido belle percoctus: male namque coctus, cum ægre conficitur, tum ventriculum etiam gravat. Quod Avicennæ etiam teſtimonio confirmatur, qui loco citato ita fere inquit: Panis qui non probe percoquitur, plurimum quidem nutrit, ſed ſi quis privatus & ab exercitatione alienus eo uti voluerit, celerrime in obſtructionis periculum incurret. Hujus etiam generis eſt in patella coctus; nam partes ipſius intimæ minus belle elaborantur. Sed de hac conditione abunde ſupra capit 9. in Tritico dictum eſt. Quarta, ut mediocri ſit ſale condîtus: dulcior enim obſtruit, ſalſior exſiccat: qui vero in utriuſque exceſſus medio conſiſtit, ſi ipſi cætera omnia ante pariter adfuerint, optimum præbet alimentum. Modus vero ſalis guſtu judicandus eſt; qui namque in longiori hujus miſtura offenderit, parvus exiſtit. Quatenus igitur guſtus nullum adhuc ſenſum triſtem ex ea miſtura percipit, eatenus ipſius copiam augere præſtiterit. Quinta, ut ex optimis granis, laudatiſſimo nimirum tritico ſit confectus: de quo ſatis ſuperque dictum eſt capite nono. Tertio demum loco præcipitur, ut ab eſu cruſtæ panis, propterea quod choleram aduſtam atque ſuccos melancholicos generet, abſtineamus: quatenus enim ipſa aduſta & ſicca eſt, ſuccum etiam inde genitum aduſtum & ſic-

cum esse oportet. Quod Galeni testimonio confirmatur, qui in 4. Hippocratis lib. de victus ratione in morbis acutis commentar. 103. ita scriptum reliquit: Ob assationem ambusta, tum ad succi bonitatem, tum ad concoctionem sunt inhabilia, choleramque pariunt, propter eam quæ his accedit acrimoniam. Merito igitur nobiles qui natura biliosi sunt utramque sibi crustam, tam superiorem, quam inferiorem auferri à pane curant: quos præcellentes Ecclesiarum proceres atque delicatiores obsonatricis speculationis magistri imitantur. Deligenda itaque è pane medulla est: quippe quæ melius, firmius atque velocius quam crusta præstet alimentum. Iis tamen qui sani adhuc sunt, sed ventriculum habent humidiorem, quique extenuari cupiunt, crusta nonnumquam post alios cibos vesci conceditur: ut quæ præsumptos cibos deorsum subducat, & os ventriculi roboret. Ultimi duo versus optimi & saluberrimi panis quinque notas continent: nempe, ut sit probe salitus & fermentatus, ut bene percoctus, ut purus ac sanus, id est, confectus ex granis mundis & validis ac bona messe collectis, quæ imbrium multitudine vitiata non sint. Quod Avicenna loco citato his fere verbis innuere etiam voluit: Oportet, inquit, ut panis sit mundus, salitus, belle subactus, fermentatus, probe coctus & hesternus, hoc est post biduum non repositus, Minime præterea silentio prætermittendum, quod major panis portio ex comparatione semper sumenda sit ad pisces, herbas, & fructus humidiores, quam ad carnes & ova: rursus ad carnes major, quam ad ova: & ad mollia ova copiosor, quam ad dura. Addam tritum in scholis Medico-

Crusta panis.

Medicorum dictum; Differtionem utique omnem esse incommodam; verum quæ ex pane fiat, pessimam. Quod sane desumptum est ex 3. 1. doct. 2. cap. 7. Avicennæ, ubi inter reliqua sic ferme scribit: Pânis impedimentum, ubi non percoquat venter, maximum censeri debet: carnis vero non ita. In stomacho quippe residet diu onere imprimis molesto: quod si non concoctus satis tandem dilapsus fuerit, hepar præfarcit ac mesaraicas. Caro autem majorem ducit cum humano corpore similitudinem: proinde ex ea minus provenit nocumenti, & hepatis aut mesaraicarum præfartio levior, ac curationi minus minusque obsistens, imbibentibus membris longe proclivius ob cognationem quandam carnis succum, quam panis. Hæc Cælius Rhodiginus lib.5.cap.26. lection.antiq. Sciendum præterea, quod panis ex farina cribro secreta & à furfure repurgata majus ac purius præstet alimentum: furfuraceus vero, id est, cui furfuris nonnihil commistum est, minimum quidem omnium nutriat, sed facilius, ceu antea quoque diximus, per alvum subeat. De pane plura Galenus lib. 1. c. 9. & 10. de alim. facult. & lib. 5. cap. 8. de sanitate tuenda.

Animadversio.

HUcusque eduliorum consideratio generalis fuit; quæ restat particularis erit, & circa singula hominis alimenta occupabitur. Quæ sint autem edulia homini propria atque convenientia quibusve ex rebus eruantur, scire is debet qui singula edulia examinanda sibi proposuit. Ad quod

quidem constituendum uno argumento opus est ex edulii ipsius definitione desumpto. Definitur edulium, id omne quod propter convenientiam atque familiaritatem naturæ, substantiam hominis alere, hoc est reparare atque augere aptum natum est. Quicquid ergo toto orbe terrarum ejusmodi erit, ut familiaritatem naturæ cum homine habeat, ob idque substantiam hominis alat, reparet atque augeat, id omne homini proprium & conveniens edulium statuetur. At vero quicquid toto orbe existit, aut est substantia, aut accidens. Accidens quidem quodcunque illud sit, ad augendam reparandamque substantiam prorsus ineptum est: cum enim simplex sit ens, non mistum corpus, cujusmodi debet esse alimentum, certè homini conveniens cibus esse non potest. Quæ ratio deducta est ex Aristot. lib. de sensu & sens. cap. 5. contra Pythagoreos statuentes odore ali quædam animalia. Præterea cum alimenti rationem obtineat id solum, à quo caloris ope per coctionem segregantur excrementa; coctionis autem opera nullum excrementum nec sensile nec insensile separari possit ab Accidentibus, restat ut Accidentia edulia esse non possint: quam demonstrationem attulit prædicto loco Aristoteles.

Edulii definitio.

Edulium hominis quale.

Accidens nutrire nequit.

Sequitur ergo ut edulium sit in genere substantiæ. Est autem omnis substantia physica, continuo etiam corporea, seu ea sit simplex seu mixta. Ad simplicia corpora pertinent quatuor elementa. quæ alimentorum censum nullo quoque pacto augere possunt. Cum enim alimentum compositum esse debeat & heterogeneum, ut familiaritatem cum corpore hominis quod mistum est & heterogeneum, habere possit, elementa autem simplicia

Elemēta alimenta esse non possunt.

ſint & homogenea, profecto elementa nunquam poterunt eſſe alimenta.

Ac primo quod ad ignem attinet, is ejus conditionis eſt, ut deſtruere atque conſumere potius hominis ſubſtantiam poſſit quam reparare aut fovevere: Atque inter Auctores nullus hucuſque eum inter alimenta repoſuit; quo fit ut longiori refutatione non indigeat. Ignis non alit.

Aërem autem plurimi veterum atque Neotericorum opinati ſunt inter alimenta annumerandum. Hippoc. & Gal. multis in locis triplicis alimenti meminerunt; ſolidi, liquidi, & aërei; quo poſtremo ſpiritus noſtros ali & reparari voluere. Theophraſtus libro tertio de cauſ. plantar. cap. 8, & 14. terram ait effodi ab Agricolis ut ſubingrediatur aër ad radices plantæ, quo poſtea nutritur. Olympiodorus comm. in Phædonem Plat. & alicubi ni fallor apud Photium in biblioth. refert Ariſtoteli viſum hominem qui omni alimento abſtineret & aëre ſolummodo ac ſole victitaret. Fuerunt è Platonicis qui aſſererent alicubi ampliſſimas eſſe terræ plagas in quibus homines viverent ſolo aëre. Aſtomorum gens, ſine ore halitu tantum & odore quem naribus trahit, vivere circunfertur: nullus illis cibus, nullus potus eſt; ſolis radicum florumque odoribus veſcuntur, ſylveſtriumque malorum quæ ſecum portant longiore itinere ne deſit olfactus. Apud Tertullianum in pallio fertur & *Quadrupes quædam tardigrada, agreſtis, humilis, de mediocribus oppido, ſed nomen grande; Chameleontem qui audierit haud ante gnarus jam timebit aliquid amplius cum leone, illa jejuna ſemper & indefeſſa pellicula vivit, oſcitans veſcitur, follicans ruminat, de vento cibus.* Scaliger exerc. 229. art. 2. Manucodiatam avem atque Ca- Aër an nutriat.

nem levem aëre solo aut vapore vivere admittit. Argenterius ipse comm. 2. in primum Aphor. quibusdam hominibus solum aërem sufficere ad vitam dixit, *Tunc*, inquit, *sub aëre vivitur qui simplex non est, sed ex aliis elementis compositus & propterea non ineptus ad levißimam nutritionem.* Quod ipsum videtur quoque probabile Rondeletio primo de piscib. cap. 13. Verum enim vero licet his similibusque argumentis satis confirmati opinio illa videatur, attamen si ad libellam veritatis expendatur, parum eam tutis firmisque adminiculis innixam observabimus. Quod enim spectat ad Hippocratem & Galenum, qui aëre nutriri spiritus asserere visi sunt, eos metaphoricè ac impropriè locutos pronuntiandum est, sic ut alimenti nomine usi sint ad significandum quodcunque adjumentum quod ex inspirato aëre spiritibus accedit. Et certe Hippoc. lib. de diæt. distinctionem affert inter verum & impropriè dictum alimentum. *Alimentum*, inquit, *non alimentum, si alere non potest, nomine alimentum, re autem non: opus alimentum nomen autem non.* Quem locum exponens Fortun. Licetus lib. 2. de his qui diu vivunt sine alimento, ait duo esse alimenti nomine donata: alterum est alimentum nomine tantum, non etiam re ac opere; alterum vero est alimentum non solo nomine, sed re atque opere. Primi generis alimentum est alimentum æquivocè dictum quod nutrire non potest; secundi vero generis est propriè dictum alimentum quod verè nutrit. De priori illo aër inspiratus dicitur, quia conservat viventis substantiam temperando æstum caloris nativi, atque adeo prohibendo ne hnmidum nostri corporis celeriter absumatur: hoc autem dum præstat, quis

Aër non nutrit.

aërem propriè nutrire dicat ? nemo ſanè, ſed æquivocè. Idcirco eodem libro ſubjunxit Hipp. *Pulmonem contrarium corpori alimentum trahere, reliqua vero membra idem alimentum. Omne enim alimentum*, ait Gourmelanus in comment. *calefacit augetque caloris nativi ſubſtantiam, aër autem omnino refrigerat.* Deinde omne alimentum coquendo craſſeſcit, aër vero quo magis elaboratur eo magis attenuatur. Non eſt ergo aër, vel Hippocr. teſte, verum propriumque nutrimentum, ſed improprium & metaphoricum, quale chylus dicitur eſſe ventriculo, ſerum ſanguinis renibus. Simili explicatione ſatisfieri poteſt auctoritati Theophraſti ſcribentis aëre plantas nutriri, id eſt juvari: aëris enim beneficio attenuati liquores & ſucci terræ per fibras plantarum tenuiſſimas facillimè diſſeminantur atque derivantur. Quod ergo aëris tenuitas pro vehiculo alimenti exiſtat, dicitur à Theophraſto aër plantarum eſſe alimentum. Porro miror quomodo Olympiodorus dixerit Ariſtotelem vidiſſe virum ſolo aëre victitantem, cum nullibi apud Ariſtotelem verba illa extent: imo vero cum ipſe Ariſtot. lib. de ſenſu & ſenſili, cap. 5. expreſſis verbis contrariam opinionem ſecutus ſit, contendens adverſus Pythagoreos nulla animalia ſolis odoribus nutriri. Sed ſi ipſe eſt Olympiod. cujus meminit Photius in biblioth. non valde mirum eſt ſi hoc Ariſtoteli affinxerit, cum dicat Photius ejus hominis *orationem indignam eſſe quæ hiſtoriæ annumeretur*, Figmenta Platonicorum & Plinianæ de Aſtomis fabulæ nec fidem nec auctoritatem merentur. Commemorat vero Jacob. Dalechampius comment. in

Hipp. explicatus.

Theophraſto reſpondetur.

Plin. cap. trigesim. tert. libri octavi, post Joseph. Scaligerum & Gesnerum, Chamæleontem locustis, formicis, muscis, aliisque insectis vesci, quæ lingua sua corripiat, retineat, & ad se adducat. Quod ipsum compertum habemus de Cane levi & Manucodiata ave, de cujus victu agit Ulyss. Aldroand. Ornith. lib. duodecimo, cap. vigesimo primo. Superest ut Rondeletio & Argenterio satisfaciamus, asserentibus aërem nutrire quod simplex non sit sed mixtum corpus. Verum aut aërem concipiunt sub natura elementi puri, aut quatenus à nobis quotidie hauritur & inspiratur. Si primo modo, nunquam diffitebuntur aërem esse corpus simplex, proindeque nutritioni ineptum: Si secundo modo sumpserunt, tum distinguant necesse est inter corpus mistum & inter corpus impurum: mistum enim corpus dicitur quod ex pluribus constituitur secundum minimas partes inter se ita confusis, ut nullius earum natura integra sensibusque conspicua servetur, sed coëant omnes in unum compositum novæ speciei ac diversæ ab elementis simplicibus ex quibus compinguntur. Impurum verò corpus vocatur, cui additur aliud corpus diversæ naturæ; à quo alteratur quidem ac in sua puritate labefactatur, sed non secundum naturam mutatur. Jam vero aëri, quem haurimus, vapores quidam admiscentur qui ejus puritatem labefactant, sed ejus naturam minimè commutant: non faciunt enim sua admistione, ut naturam aëris exuat aër, quod facere tamen deberent si novum corpus mistum constituerent. Igitur aër impurum corpus dici quidem potest, quia vaporum admistione purus ac sincerus non permanet, qualis debet esse sua natu-

Chamæleon vescitur muscis.

An aër sit mistum corpus.

Mistum & impurum differunt.

ra : ſed non poteſt dici miſtum corpus , quod ex illa admiſtione uovam corporis ſpeciem non conſtituat. Ex his ſequitur falſam eſſe Argenterii aſſertionem , indeque colligitur aërem ex cenſu alimentorum prorſus eſſe eliminandum.

Quod dictum de igne & aëre, id transferendum ad aquam & terram : In eis tamen major videtur difficultas cõſtitui, quod hæc corpora non ſint ad ſenſum ita ſimplicia & homogenea atque ſunt ignis & aër. Et aqua quidem graviſſimos habet ſui fautores , rationeſque ſibi miniſtrantes nec jejunas nec leves , quas tamen in caput de potu aquæ rejicimus , ubi commodiſſimè inquiretur num aqua nutriat , aut quem uſum homini epota adferat. Supereſt ergo ut examinemus ŭtrum aliquod alimentum ex terra depromi queat. Non hic deſunt graviſſimorum virorum auctoritates terram animalibus in alimoniam cedere aſſerentium. *Terra an nutriat.* Ac primo quidem Ariſtot. lib. 8. de hiſt. anim. cap. 5. lupos ait eſurientes certam terram devorare. Scriptum eſt 3. Geneſeos inter maledicta ſerpentis, *Quod ſuper pectus graderetur & terram comederet cunctis diebus vitæ ſuæ*; quo fit ut tota hyeme ſerpentes in latibulis degant ſola terra victitantes. *Quæ animalia terram comedant.* Idem Ariſt. lib. eodem cap. 26. obſervat *elephantes ægrotare ſi comederint terram* , niſi ea frequenter utantur, tum enim nihil ſentiunt mali. Addit inſuper lapides etiam eos interdum devorare. Nemeſius Epiſcopus & Philoſophus magni nominis, lib. de natura hominis cap. 1. notat Galeritas, columbas quoque & perdices terram edere: κόρυδοι μὲν γὰρ inquit, καὶ περιστεραὶ πολλάκις καὶ πέρδικες τὴν γῆν σιτοῦνται. Quid plura? Scalig. exer-

cit. 182. art. 1. in terra degere, & è terra vivere vult Bufones; Cardan. lib. 7. de rerum variet. cap. 27. multa animalia cœnum edere ait, alia vero lapides ut Indicus Lacertus & vitulus marinus: at nullum animal tot lapides devorare addit ac Lacertum Indicum, in cujus ventriculo maxima copia arenæ & lapillorum inveniri ſolet. Nicolaus Monardus apud Cluſium exoticorum lib. 10. cap. 37. Armadillum memorat (quem Braſiliani Tatou vocant) animal porcelli magnitudine ſub terra talpæ ad inſtar degens & è terra veſci creditum, quod foris nihil edere conſpiciatur. Omitto Strutiochamelum, Mures parios, piſces foſſiles, incluſas imis ſaxis ranas, aliaque ſubterranea animalia, quæ terra pro alimento uti perhibentur. Subjungo unam aut alteram rationem quæ terram nutrire poſſe confirmat. Prima ex Cardano depromitur loco citato in hunc ferme modum: Illud omne nutrire poteſt quod humido pingui conſtat, atqui omne miſtum ſeu terra ſit, ſeu lapis, humido pingui præditum eſt, ergo & terra & lapis nutrire poteſt. Altera ratio Plutarchum habet auctorem Opuſculo de capienda ex hoſtibus utilitate; quo loco ſcribit animalium ea quæ validiſſimo ſunt ventriculo & ſanitate firmiſſima, lapidibus & teſtis ali poſſe, propter ſpirituum vehementiam & calorem. Tertia ratio omnium firmiſſima apparet cum ex familiaritate terrę cum animalibus deſumpta ſit, ſic vero ſe habet: Iiſdem rebus nutriuntur animalia quibus conſtant, atqui animalia multa terra conſtant, cum plurima ſponte è terra naſcantur, neque ſolum imperfecta ſed perfecta etiam: imo ſi Avicennæ, Pomponatio, aliiſque philoſophis credere licet, homo ipſe. Ergo &

Probatur terram alere.

homo & animalia tam perfecta quam imperfecta terra nutriri possunt. Nonne Galen. 1. de Sympt. causis cap. 7. & Alex. Aphrodis. Probl. 73. lib. 2. mulieres gravidas interdum cimoliam terram, nonnumquam testas vel extinctos carbones appetere monuerunt? Hippoc. 2. Prorhet. decolores ad longum tempus ait capite dolore, lapides ac terram comedere, & hæmorrhoidibus tentati. Imo vero lib. de superfœtatione subdit, ex capite nati infantis se deprehensurũ num mater dùm gravida esset terram esitaverit. Utut se habeant tantorum virorum auctoritates, nunquam tamen apud me impetrabunt, ut terram edulium esse hominum concedam. Quod ad Arist. attinet lupos terra vescentes introducentem, suam ipse non protulit, sed alienam sententiam; deinde ut observat Scalig. comm. in eum locum, notant rustici lupum famelicum non terra vesci ut alatur, sed ut equum aggressurus pondere suo aggravet atque prosternat, deinde terrã removere ac præda expleri. Quæ sententia est etiam Alberti Magni lib. 7. de animal. cap. 5. Sed cum Arist. dicat lupos non quamvis terram vorare, sed τινὰ γῆν certã terram, suspicio est eos per famem ad terram quamdam viscosam, glutinosam & argillosam recurrere, qua non pro alimento sed pro medicamento utantur: ejuscemodi enim terra corrugatum præ fame & exasperatum ventriculum lenire optimè potest, sicque ad tempus famis molestiam temperare, ut eleganter annotavit Fortun. Licetus lib. 2. de iis qui sine cibo vivunt cap. 103. Serpentes autem qui 3. Genes. dicuntur terram comedere, ad dæmones transferuntur qui homines è limo terræ formatos perpetuo appetunt, ut inferno devorandos præbeant: Maledictio, inquam, illa non ad ve-

Respõdetur prædictis objectionibus.

Cur lupi terrã edant.

Serpentes terra non aluntur.

rum serpentem, sed ad diabolum referenda est, quemadmodum sentiunt D. August. lib. 11. de Genesi ad litter. cap. 36. Rupertus lib. 9. de Trinitate cap. 18. & D. Gregorius comm. in Psal. 101. Verum ut dem hoc ad serpentes & colubros pertinere quibus apud Esaiam pulvis pro pane esse dicitur, quique apud Micheam lingere perhibentur pulverem; si tamen vim verbi Hebraïci expendamus, non erit quod multum miremur. Tribus enim illis scripturæ locis vocabulum *Aphar*, positum fuit, quo *Humus*, terra limosa, seu lutulenta designata est quæ in se varia insectorum, plantarumque semina continet quod experimento quotidiano innotescit. Si enim terram limosam, hoc est terram àqua madidam ac subactam aliquo vase reponas & exponas aëri, nullis præjectis seminibus. intra aliquot dies & herbulas & vermiculos excrevisse deprehendes. Quid ergo mirum est si serpentes dicantur ea terra vesci cum in ea reperiant vel herbas, vel vermes, vel eorum semina ad esum aptissima? Deinde cum formulæ loquendi sacræ Scripturæ ad hominum captum ut plurimum conformatæ sint, dictum hic est serpentes terra vesci, quia multis mensibus in terra sine cibo vivunt. Vix autem credidissent Israëlitæ tandiu hoc animal posse sine cibo vivere cum viderent cætera animalia quotidieno cibo uti. Quod tamen absurdum non visum est Aristoteli aliisque Philosophis, præsertim cum experientia constet plusquam sexcentos colubros invicem complicatos & conglobatos media hyeme reperiri in terræ cavernis & educi velut mortuos & inanes: qua forma impossibile erat ut aliquo uterentur. Licet autem hæc divini Legislatoris menti non repugnent, attamen existimo serpentem dictum esse vesci terra metonimicus pro eo

quod est vesci iis quæ terra producit, sic enim & eodem capite Adamo præscriptum est secundum 70. interpretum expositionem ἐπικατάρατος ἡ γῆ ἐν τοῖς ἔργοις σου: ἐν λύπαις φάγῃ αὐτὴν πάσας τὰς ἡμέρας τῆς ζωῆς σου: *Maledicta terra in operibus tuis, in tristitiis comedes eam cunctis diebus vitæ tuæ.* Nemo non videt dictum Adamo ut comedat terram hoc est ea quæ è terra producuntur, idem igitur putandum dictum fuisse serpenti. Venio ad Elephantem qui lapides interdum devorare fertur & impunè edere terram. Hic primo si Aristoteli Aristotelem oppono, credo neminem mihi fore succensurum nec multum in ejus auctoritate positurum. Qui ergo dixit Aristot lib. 8. de hist. animal. cap. 26. Elephantem terram comedere, idem eodem lib. cap. 5. dixerat uni lupo hoc evenire solique illi proprium esse. Sed expendamus verba Aristote. Elephas, inquit, ἐσθίει τὴν γῆν, καταπίνει τοὺς λίθους, edit terram, & saxa devorat. Bene dixit saxa devorare ut ostenderet mandi & coqui non posse in ventriculo, sic pueri devorant nucleos cerasorum & prunorum; nonnulli aurum quoque sed nec coquunt nec conficiunt. Edit autem terram à qua redditur invalidus si ejus esum intermiserit, si non intermiserit nullo nocumento afficitur. His verbis nemo non videt terram edi ab Elephanto non in cibum, nullus enim cibus dum intromittitur nocet, sed in medicamentum. Obnoxius est Elephas flatuosis ægritudinibus, urinæ suppressioni, & alvi adstrictioni: his domandis malis quidni utatur eo terræ & lapidum genere qui incidendi, detergendi, attenuandique facultate præditi sunt? Idcirco dixit Scalig. in eum locum, *Elephanti, inquit, fiunt alvini intercepta etiam urina. Terræ astatione præveniunt morbũ hunc.* Ut enim instinctu naturali norunt animantes

Elephas cur terram edat.

Aristoteles explicatus.

brutæ ſuos morbos ita ſua noverunt remedia. Nemo ergo curioſiùs ſciſcitetur quam terram Elephanti comedant & à quo inſtincti ſint, id enim perinde eſſet, ac ſi quis quæreret cur natura ſit natura, cur piſces natent, volent aviculæ, quadrupedes incedant. Quod ægrotanti Elephanto eſt terra, id perdicibus, gallinis, columbis aliiſque pulveratricibus avibus ſunt arenæ; lateres & nitrum, iis enim rebus aves illæ delectantur non ut alimentis, ſed ut condimentis. Idcirco monet Aldroand. Ornithol. lib. 15. cap. primo art. de paſtoris Columbarum officio, ſalſa tam avide appetere Columbas, ut hoſpitia non commutent ſi argillam parietum ſale condiveris. Videas itaque eas aves nitroſum pulverem comedentes, qui rimis & foraminibus parietum adhæreſcit; non ad nutritionem, ſed ad deterſionem eorum quæ nauſeam eis movere poſſunt. Ut autem demonſtrem ejuſcemodi arenulas in ſuccum alimentarium non converti, ſed integras nonnunquam per totum corpus avium illarum deferri, placet referre hiſtoriam ex Jul. Cæſar. Scalig. comment. in lib. primum Ariſtot. de plantis pag. 28. *Perdices*, inquit, *in ea parte Vaſconiæ cujus ager ſabuloſus eſt eſitavi, offenſi ſunt dentes inter mandendum, lapillorum duritta, primum ibi cum miſero coquo putata eſt ratio ejus operæ non ſine jurgio. Ille negare, Atque ut innocentiam ſecuriorem fecerat ſui conſcia ſedulitas, popoſcit alam ac momordit. Illico tantumdem cauſatus ſectam intus oſtendit lucidiſſimis arenæ grumulis diſſertam, poſtridie narravi ordine quaſi miraculum amicis. Quos inter Regulus quidam aucupii ſtudioſus, Quid mirum inquit ſi in ſabuletis victitans avis ſui cibi refert primordia? ubi factæ ſementes ſunt, inops pabuli alio ſe confert Perdix.*

Aves arenas edunt.

Hiſtoria notanda.

Proinde sues secuta sub sub eribus aut illieibu',glandes , aut Acyli micas quæ ex illorum cadunt ore, sabulo obductas vorat Quis dubitabit amplius arenulas illas non confici ac dissipari in ventriculo illarum avium ? Profecto si dandum est aliquid nostris conjecturis,crediderim terram , sabulum, arenam , lateritiumque pulverem & alia ejuscemodl appeti per famem & devorati à prædictis avibus ad refrigerium caloris nativi : cum enim calor ventriculi earum urgente fame vehementer æstuet, adeo ut colliquationem penè inferat, ad ejuscemodi corpora terrea ut pote admodum frigida & difficulter incalescentia refugiunt, quo fervor ille ventris infringatur & aliquo pacto contemperetur, non ut eo veluti cibo recreetur ac foveatur.

Ab his avibus pergo ad bufonem, & lacertum indicum , cujus ventriculua lapidibus & arenulis turgescere narratur. Ac bufo quidem non magis terra nutritur quam serpens , certè cum araneis, & vermibus insidiari sæpe deprehecdi : hyeme cum vix appareant corpusque habeant totum emacitatum,nescio quem succum alimentarium è terra depromant, eos potius sine cibo degere tunc temporis concedendum videtur,cum naturam habeant seu temperamentum à serpentibus non admodum dissimile. Ridiculum autem est putare lacertum indicum ali terra , quod ventriculum lapillis refertum obtineat : idem enim erit dicendum de homine in cujus membris omnibus quotidie lapillos & calculos videmus succrescere quemadmodum ex multis auctoribus collegerunt Scheckius in suis observationibus & Donat. Marcellus lib. de Medica historia. Quod vero convincit lapillos eos non nutrire , illud est , quod ii quotidie

Bufo edit vermes.

non atterantur, coquantur, dissipent, minuantur, sed potius augeantur ac multiplicentur. De Tatou animali brasiliano, quod nihil edere creditur præter terram, mera fabula est, nam Gesnerus appendice quadrupedum vivipar. hoc animal in nostram Galliam vivum allatum fuisse prodidit, ubi seminibus & fructibus vesci visum sit: ex quo certè eorum hominum sortem deploro qui non nisi alienis oculis vident, aliorumque relationibus nimium fidunt. Strutiochamelum ferrum consumere jam nulli credunt, nisi qui nondum ære lavantur. Mures, pisces fossiles & inclusæ saxis ranulæ quia sine cibo vivunt, idcirco terra vesci creduntur, sed ex dictis quam futilis illa sit ratiocinatio, satis intelligitur. Diluamus modo Cardani syllogismum adstruentis terram & omne mistum humido pingui constare, proindeque nutriendi potestatem possidere. Imprimis falsum est omne mistum humido pingui & aëreo præditum esse: docet enim Aristot. duplex esse humidum: aliud pingue & aëreum, aliud vero aqueum, & aërium quidem humidum nutrire potest, aqueum vero nequaquam, quia est vitæ principiis omnino adversum. Sic ut ergo corpora mista naturam suorum principiorum retinent, ita alia sunt humida aërea & pinguia, alia humida aquea; ex quo colligitur non omnia mista humido pingui constare, cum aliqua humido aqueo prædita sint. Ac certe inter ea quæ humido aqueo constant, habentur lapides, arenulæ, calculi, quorum materia immediata, si philosophi audiantur, est siccum terreum cum humido aqueo commixtum, qua occasione lapides ex alimentorum censu expungentur. Quamvis autem daremus terram hu-

Omne mistum non constat humido pingui

mido pingui & aëreo constare, nondum tamen obtineret Cardanus eam nutritioni aptam esse: non enim omne humidum pingue nutrit. Omne quidem quod nutrit humido pingui abundat, sed quicquid humidum pingue habet, protinus nutriendi facultatem non obtinet. Venena enim omnia & medicamenta, pleraque etiam metalla humido pingui abundant, & tamen non nutriunt. Quid ita? Quia nonnulla illorum tam pravis vigent qualitatibꝰ ut calorem nostrū dissipent ac obruant; Nonnulla humido pingui adeo exiguo, aut tam tenaciter confuso, cum sicco terreno prædita sint, ut non nisi ab ingenti & vehementi calore fundi, liquari, ac separari valeant. Talis autem non est calor noster natiuus, imo potius blandus est ac mitis, non est ergo mirum si ea corpora succum alimentarium nobis suppeditare non possint. Concludo ergo contra Cardanum lapides & arenulas humido pingui non abundare, vel certe tam exiguo & tam tenaciter cum sicco terreo fixo, ut calore nostro miti & benigno coqui non valeant, separari, atteri, comminui & in substantiam nostram converti. Quod attinet ad Plutarchum asserentem nonnulla animalia ali testis & lapidibus ob ingentem eorum calorem: hoc doctrinæ gratia aut veritatis ergo non protulit, sed per quandam similitudinem à qua diversum aliud deduceret ac probaret: Quem admodū inquit, qui valido sunt ventriculo serpentibus ac lapidibus ingestis non offenduntur, qui autem sunt debili, pane & vino læduntur: sic stulti corumpunt amicitias, sapientes vero etiā simultatibus proficiunt Ex his nemo colligat velle Plutarchum lapides alere, sed quosdam homines tam vivido calore nativo esse, ut quævis edulia conficiant & quævis excrementa &

Pinguè mistum omne nō alit.

Plutarchi locus exponitur.

corpore excludant nullo inde accepto detrimento. Restat ultima ratio, qua velut Achille fortissimo ac validissimo utuntur adversarii. Eadem, inquiunt, generationis & nutritionis est materia, iisdem ergo nutrientur animalia quibus constabunt: atqui animalia constant terra, alias numquam animalia sponte è terra producerentur, ergo animalia, saltem ea quæ spontè è terra producuntur, terra nutrientur.

Animalia sponte è terra nascentia.

Equidem negari omnino non potest, quin pleraque insecta ex terra sponte prodeant absque ulla maris & fœminæ conjunctione. Aristoteles, Ælianus, Olympiod. Diod. Siculus, Strabo, Plinius, Mela, Oppianus, Theophrast. Macrob. Jean. Grammaticus inter veteres, Fortunius Licetus lib. de spontaneo viventium ortu; Guillandinus in comment. de Papyro, Baptista Porta lib. de magia, Avicenna, Cardan. Scaliger, VVendelinus lib. de Nilo, Lipsius de stoica Philosophia, Bodinus, Pomponatius, Cæsalpinus inter Neotericos tot exemplis scatent ut de ejus rei veritate nemini dubitare liceat. Sed quod nonnulli velint etiam perfecta animalia atque hominem ipsum eadem ratione produci citra maris & fœminæ congressum, hoc ipsum est quod nec credibile est nec possibile. Vetus tamen ea opinio Platonis & Aristotelis authoritate roborata. Siquidem Plato in Politico narrat Saturni tempore nulla marium fœminarumque extitisse conjugia; quod omnes ex terra reviviscerent, οὐδὲ κτήσεις γυναικῶν καὶ παίδων ἐκ γῆς γὰρ ἀνεβιώσκοντο πάντες. Subdit in Menexemo primum hominem Atticæ regionis potius de terra quam de matre productum, hac conjectura quod non terra mulierem conceptu partuq; imitetur, sed terram mulier. Aristoteles multis in locis præceptoris

Home sponte à terra productus.

ceptoris

ceptoris sententiã amplex⁹ est. *Verisimile est*, inquit libro secundo polit. c. 8. *priscos illos homines, sive ex terra geniti fuerunt, sive ex corruptione aliqua servati, ignaros fuisse & insipientes.* Problemate vero 15. sect. 10. ut rationem reddat animalium quæ sine coitu maris & fœminæ nascuntur, doeet magnas mutationes temporum causas esse generationis majorum animalium, parvas vero minutorum. Sed & libro septimo metaphys. cap. 7. vult in iis quæ fiunt natura eadem, & ex semine & absque semine fieri. Denique suam mentem clarius expressit libro tertio de generat. animal. cap. 11. his verbis. *Quamobrem de prima hominum atque quadrupedum generatione, si quando primum Terrigenæ oriebantur, non temerè existimaveris vel ex verme, vel ex ovo oriri, sed minus rationis est ut ex ovo prodierint, nullam enim generationem animalem talem videmus, sed alteram ex verme; scilicet tum sanguineorum, tum exanguium, tum testaceorũ.* Hauserant, ni fallor, Plato & Aristotel. ex Ægyptiorum mominentis eam opinionem; persuaserant siquidem sibi Ægyptii spontaneo ortu cum reliquis animantibus primos homines in Ægypto velut plantas succrevisse: quod observatum habes apud Diod. Sicul. lib. 1. bibl. cap. 1. Theodoretum sermone 5. de natura hominis, Euseb. pręparat. Evangel. lib. 7. cap. 17. Justinum historiarum lib. 2. Justinum Martyrem in Paræneſi, Jacobum Martinum Scotum de prima generat. cap. 17. & apud Ottonem Heurnium Lugdunensem Profess. mihi amicissimum egregio opere de Philosophiæ primordiis cap. 13. Indici. Sed cum opinio illa vetustate ac senio deficeret, eam Arabum scholæ renovarunt & ad nos usq; transmiserunt. Algazeles enim, & Avicenna lib. de diluvio, Albert. Magnus lib. 8. Phys. & 2. Meteor,

Petrus dein Pomponat. in Apologia & in libro de immortal. animæ, Joan. Bodinus comm. in lib. 2. Oppiani de venatione, Joan. Fernel. lib. 1. de abditis rerum causis cap. 8. Cesalpinus lib. 5. disquisit. peripatet. cap. 1 Cardanus lib. 9. de subtilit. & comm. in lib. Hip. de aëre, locis & aquis, omnes uno ore asseruerunt animalia, atq; etiam hominem beneficio cœlestium corporum sponte ex terra generari posse, ob multas rationes quas Pet. Aponensis seolligit comm. ad probl. Aristot. 15. sect. 10. Picus ipse Mirandulanus inter 900. conclusiones quas Romæ disputandas proposuit, hanc quoq; ex Avicennæ doctrina emisit, *possibile esse hominem ex putrefactione generari*. Denique VVillelmus quidam Aneponymus Philosophus non deterioris notæ, industria Guillelmi Grataroli ab interitu vindicatus, generationem illam spontaneam animalium his verbis explicavit lib. 3. de substantiis physicis. *Corporibus*, inquit, *stellarum sic creatis, quia ignea sunt naturæ, cœperunt moveri atque ex motu aëra sibi subditum calefacere, quo mediante, aqua est calefacta: ex aqua per ebullitionē ignis diversa animalium genera sunt creata: quorum quædam quia plus habuerunt superiorum elementorum aves cœli sunt, quæ ex levitate superiorū & instrumenti habilitate modo sunt in aëre, modo ex gravitate inferiorum in terram descendūt: quæ vero plus aquæ habuerūt, pisces sunt, unde in hoc solo elemēto vivere possunt. Istis effectu superiorū sic ex aqua creatis, ubi fuit tenuior aqua ex istorū creatione & superiorum calore est desiccata: apparueruntq; in terra quasi quadā maculæ in quib⁹ hodie homines & cætera habitant animalia: sed superficies terræ quæ ex superposita aqua erat lutosa, ex calore bulliens, diversa animaliū genera ex se creavit; & si in aliqua parte dominabatur qualitas ignis, inde biliosa nata sūt anima-*

lia ut leo; si terra, melãcholica ut bos: si aqua, phlegmatica ut porci. Ex quodam vero limo in quo elemẽtorum qualitates convenerant, hominis corpus in orientali regione est factum, est enim cæteris regionib⁹ temperatior. Hæc ille ex: quo facilè omnes deprehendunt fuisse Philosophos qui non modo imperfecta animalia, sed perfecta omnia oriri spontè ex terra posse, proindeq; etiam terra ali & nutriri arbitrati sunt. Verum locus hic non postulat ut in impugnanda impia hac opinione diutius immoremur, quam viri ante me doctissimi expurgarunt; Bernardus Mirandulanus in Monomachia, Pererius de principiis physicis; & Licetus opere proprio de spontaneo viventium ortu: is enim destinatus esse videtur ad ostendendum animalia iisdem rebus non nutriri quibus constant. Quamvis enim illud axioma Aristotelicum recto sensu usurpatum à veritate non abhorreat, attamen sic exponi & intelligi potest, ut falsitatis jure merito arguatur. Quis enim nescit hominem quatuor elementis simplicibus, atque etiam ut paulo altius progrediar, materia & forma velut primis principiis constare? & tamen nullus est qui principiis illis prioribus, vel igne, aere aut aqua puris putis elementis nutriri nos dicat. Deinde si perpetuæ veritatis esset axioma, nutriri nos iisdem quibus constamus, verum quoque esset asserere non nutriri nos iis quibus non constamus, sicque falsum esset panem & vinum nos alere, cum pane & vino non constemus; quod tamen veritati & experientiæ repugnat. Præterea si nutriamur quibus constamus, audiamusque Chhmistas nos sulphure, sale & mercurio constare affirmantes; alemur profecto tribus illis; quorum postremus, Mercurius scilicet, in catalogo Venenorum repositus est, sicque Mercurius

An iisdem nutriamur quibus constamus.

eodem respectu nobis erit alimentum & venenum, hoc est naturam simul fovebit, simul destruet, quod contradictionem prorsus involvit. Sensus ergo hujus axiomatis ejuscemodi est, ut nutriamur proxime iis quibus constamus, quasi quis dicat succum alimentarium proximè in nostram substantiam convertendum, habere naturam affinem ac familiarem nostræ naturæ: aliàs impossibile esset ut repararet substantiam nostram, viresque nostras augeret. Idcirco Hip. triplex alimentum constituit: nutriens, quasi nutriens, & nutriturum. Nutriturum alimentum est panis, vinum & caro in chylum cõversa, quæ quia multum remota sunt à natura nostra nondum proximam habent nutriendi potentiam: Alimemtum vero quasi nutriens est panis ille, vinum & carnes in sanguinẽ jam mutatæ, quod enim magis accedant ad nostrã substantiam, dicuntur alimẽta quasi nutrientia, hoc est habentia vicinã nutriendi potestatem. Deniq; alimentum nutriens dicitur cum succus alimentarius ex pane, vino & carne multoties alteratis eductus assimilatus fuerit & in corporis substantiam conversus: tumque alimentum illud simile est nostræ substantiæ qua cõstamus, ex quo recte postea infertur iis quibus constamus nos ali; ejusdemque esse rationis materiam generationis nostræ atque nutritionis. Demus vero animalia quædam esse sponte è terra nascientia, quodnam erit eorum alimentum? an pura terra & elemẽtaris, an quid aliud terræ permistum? E quidẽ quemadmodum ex terra elementari frigida, sicca, & arida manifestum est animalia illa non erumpere, sic certissimũ est ea terra non ali; E terra certe animalia illa educuntur, humente, incalescente, spiritib⁹ ad generandum aptis turgente, rerum quoque se-

Triplex alimentum.

minibus variis pruriente: ergo eadem ipſa terra automata illa nutrientur. Ut igitur omnes prædictæ rationes nos non urgent,ſic multum non promovent auctoritates Galeni, Aphrodiſienſis & Hippocratis,aſſerentium quaſdam mulieres gravidas, necnon juvenes quoſdam, terram, calcem,lapides,abſurdaque alia appetere & devorare.Nam aliud eſt aliquid appetere, aliud appetitis juvari; aliud eſt devorare, aliud devoratis nutriri & ali. Appetunt quidem lapides,calcem,terram qui pica laborant, ſed rebus illis non nutriuntur, nec reficiuntur. Quod ſi quis inquirat cur ergo ſi ea non nutriunt tam avidè expetantur, curve devorata & aſſumpta perpetuo non lædant,ſed recreent,delectent, atque ſolentur; Imprimis ſuponendum duco appetitum illum non eſſe naturalem ſed vitioſum ac depravatum,proindeque errare circa ſuum objectum, non minus quam depravati alii ſenſus in ſuis objectis delinquunt. Nonne lingua bilioſis humoribus imbuta,amara omnia dijudicat? nonne icterici flava omnia intuentur? nonne voluntas ipſa depravata vitiis turpitudinibuſque incumbit, & vitiatus intellectus falſis atque abſurdis opiniobus acquieſcit? Appetitus quoque ipſe propter organum, hoc eſt ventriculum pravis ſuccis atque fœculentis humoribus obſeſſum depravatumque, res obſcœnas,abſurdas & inſipidas, pro legitimis, ſapidis,ſucculentiſque eduliis avide expoſcit & affectat: ſicque terra, calx & ſimilia appetuntur ſub ratione boni quamvis re vera bona non ſint niſi erranti atque depravato appetitui. Quod ad alterum attinet, quo petitur cur terra, calx, carbo & ſimilia devorata, cum non dicantur altere, perpetuo non lædant ſed ſæpenumero ſolatium delectationemque afferant; non eſt ſine magna difficul-

Cur abſurda appetantur.

tate, quam tamen paucis verbis conabor explicare. Sequar autem ratiocinationem Capivaccii, Latini Tancredi, & Augenii. Hieron. Capivac. Practicæ lib. 3. cap. 7. dicit discrimen quod quis male affecto ventriculo appetat capones, alius carbones appetat, repetendum esse à causa morborum quæ sit vel minoris vel majoris activitatis. Minoris est activitatis quotiescumque minus recedit à naturali statu, nec tam pertinaciter mali succi adhærent ori ventriculi. Majoris est activitatis dum magis recedit à naturali statu & præterea altius inhærent succi ori ventriculi. Itaque succi quatenus sunt præter naturam in ventriculo, sunt causa appetitus cõtrarii: sed quatenus sunt exiguæ activitatis, sunt causa appetitus contrarii, sed boni: At si succi illi præter naturam sint insignis activitatis, erunt causa appetitus contrarii non boni, id est non alimentatis, sed medicinalis. Ratio est, quia pravus succus potius à medicamento quam ab alimento corrigitur: verbi gratia calx est efficacior ad absumendum materiam impactam quam panis bis coctus: urina etiam magis strenue absumit succum vitiosumquam aqua, nam alimentum magis à corpore paritur quam agat, medicamentum magis agit quam patiatur Latinus Tancredus lib. 3. de fame & siti cap. 4. vestigia Capivaccii premens scribit humorem illum pravium impactum ventriculo, quia alendo corpori aptus non est, pariter ea expetere quæ inepta sunt nutritioni, sed sunt medicamina magnæ efficacitatis: carbones enim, calx, terra & alia ejuscemodi succum vitiosum destruunt, sunt quippe sicca, & detergentia, idcirco absumunt, corriguntque detestandam materiam. Horatius Augenius tomo primo epistol. medicinal. lib. 3. pag. 427. docet eos qui

rebus illis absurdis non læduntur, uti illis rebus non velut alimentis, sed velut medicamentis morbo oppositis. Ex quibus omnibus tandem colligimus non esse validum argumentum ad probandam è terra nutritionem si ex Hippocr. & Galen. producantur nonnulli qui terram appetant, & comedant: primo enim naturalis non est, sed morbosus & depravatus ille appetitus; deinde comestio illa non est ut alimenti, sed velut medicamenti ut ex clarissimis viris satis dilucide probatum arbitror. Tandem igitur concludo terram elementarem nec animalibus brutis, nec ipsi homini alimentum esse.

Concluditur terram nō alere.

Cæterum ex rebus quæ toto orbe continentur, adstruximus nec accidentia nec simplicia corpora in censu alimentorum esse reponenda: restat igitur ut mista corpora vim nutriendi possideant. At mistorum cum duo sint genera; inanimata & animata, examinandum insuper est utrum mista inanimata, edulia homini esse possint. Ad inanimata autem mista revoco omnia mista imperfecta quæ μετεώρου nomine designantur, & perfecta mista quæ metallica sunt & fossilia, ut succi metallares & lapides omnis generis. Porro si probavero perfecta mixta inanimata nutrire hominē non posse, puto quoque & eadem opera me satis probaturum mista imperfecta minime etiam nutritura. Ad hoc autem constituendum nonnulla pro fundamento supponenda sunt, ex quibus deinde certa elicietur conclusio. Primum suppositum petitur ex parte alimenti; quod quidem debet esse primo amicum familiareque corpori alendo, secundo coctile & superabile, tertio humidum, pingue & aëreum, quarto sapidum, quinto ejusdem rationis cum iis quibus corpus alendum constat. Secundum sup-

An mista in animata nutriant.

1. Fundamentum.

Alimēti conditiones

positum est à parte corporis alendi; cujus quidem proprium est ut quo delicatius, præstantiusque existit, eo delicatiori prestantiorique cibo alatur, & quantum fieri potest, maxime simili & conformi. His jactis fundamẽtis, primo nemo ignorat omnia metallica terreaque corpora nullã familiaritatẽ cum corpore humano possidere, sunt enim ea omnia desiccantia atque ut plurimum frigida; ergo adversantur principiis vitæ quæ in calido & humido consistunt. Secundo loco incoctilia sunt atque insuperabilia à calore nostro nativo; eorum enim consistentia tam firma est, dura, tenax, & fixa, ut nonnisi vehementissimo igne dissolvi possint. mirum ergo non est si à calore nostro qui mitis & benignus est, coqui & superari non possint. Tertio; tantum abest ut substantiam habeant humidam, pinguem & aëream, ut vice versa siccam & aridam hæc obtineant: Siccitas autem illa terrea, mista & conjuncta ut plurimum est cum pauco humido aqueo sicque nullam alimenti cõditionem retinet; interdum tamen cum humido quodam viscoso ac tenaci colligata est, cujus gratia alere credi posset; attamen humidum illud adeo tenax est ut benigno calore dissolvi non queat, quia longa diuturnaque coctione partiumque tenuissimarum & benignissimarum firma evaporatione coaluit; sicut videmus accidere in tophis aut tumorib. scirrhosis, qui rerum calidiorum admotione & applicatione sic interdum obdurescunt & coalescunt, ut nullis malacticis medicamentis, nullis emollientibus rosolvi queant: quarto, nullum terreum metallicumque corpus sapidum est, sive per se sumatur, sive assatione, elixatione, frixioneve apparetur. Potest quidem aliquod alimentum verum, per se sumptum nihil aut

[Margin notes: 2. Fundam. — Metalla vitæ adversa. — Metalla incoctilia. — Metalla sicca & arida. — Metalla insipida.]

etiam malè ſapere, ſed ſi apparatum fuerit aut coctum, gratum jucundumque ſaporem acquirit. Idcirco dedit natura guſtum animalibus animalem, naturalem vero plantis; ut nihil quod ſibi ſaperet, attingerent. Quod dico plantas guſtum naturalem habere nemo turbari debet, nam ſi duas plantas diverſæ naturæ aliquo loco poſueris, ambæ nihil attrahent niſi quod illis ſapidum eſt, ubi quædam earum nihil quod ſapiat invenerit, tum nihil ſuget amplius, nutrieturque ad tempus ſuo ſucco, donec tandem tabeſcat & exareſcat. Id obſervantur in alliis & violis, quorum illa violarum vicinia gravius fœtent, hæ aliorum præſentia ſuavius redolent. Unde hoc? quia violæ & allia ſibi ſapidum & conveniens alimentum alliciendo, defœcant & repurgant alimentum vicini ſui. Nemo autem ignorat quo quid alitur puriùs eo fœlicius valere, & actiones ſuas edere: hinc eſt quod allia quia purius aluntur, melius valeant, hoc eſt gravius fœteant ad quod deſtinata ſunt: violæ vero ſuavius oleant, quæ eſt earum naturalis diſpoſitio. Quæris autem qua ratione vicinæ hæ plantæ alimentum ſibi purius reddant; reſpondeo quia minus excrementoſum faciunt. Eo in loco ſi ſolæ violæ aut allia ſuccreſcerent, traherent quidem ſuccum ſibi convenientem & ſapidum, ſed fieri non poſſet quin ſuccus ille ſecum raperet aliquid minus amicum ac familiare violis aut alliis: At ubi duæ illæ plantæ eodem loco creſcunt earumque ſingulæ conveniens alimentum trahunt, quia naturæ contrariæ ſunt, contrarium idcirco alimentum trahentes, faciunt ideo ut alimentum vicinæ minus alieni ſucci & excrementitii retineat, quo autem excrementoſum minus eſt alimentum, continuo purius, va-

Datus guſtus in plantis.

Cur violæ allii vicinia ſuauiores.

lidius,jucundiuſque evadit, unde vigor, & ſalubritas. Poſtremo metallica ejuſdem rationis non ſunt cum iis quibus corpus conſtat, nec proximo genere conveniunt, quod tamen eſt neceſſarium: propterea quod nutrimentum oporteat converti in corporis nutriendi ſubſtantiam. Conveniunt quidem metalla & hominis corpus genere remoto, quia ſunt corpora perfectè mixta, at differunt proximo, quia metalla ſunt mixta inanimata, corpus hominis mixtum eſt animarum. Scio Cardani & aliorum quorumdam eam fuiſſe ſententiam, ut metalla crederent animata: ſed quod videam eos ob omnibus deſeri philoſophis & experientiam communem reclamare; propterea in ea oppugnanda ſententia minime immorari neceſſe eſt. Urget magis quæ ex dictis educitur ratiocinatio: ſiquidem verum eſt ea tantum eſſe alimenta, quæ proximo genere conveniunt, alimenta oportet omnia animata eſſe, nihil enim nutritur quod animatum non ſit: atqui ut datur hominem ali brutis, bruta plantis quæ animatæ ſunt, ſic negari non poteſt plantas ali ſucco terræ qui minime animatus eſt: non ergo perpetuæ veritatis eſt axioma, alimentum & alitum proximo genere debere convenire, cum ſuccus terræ inanimatus non conveniat cum plantis quæ animatæ ſunt. Huic difficultati enodandæ confugiendum eſt ad ſuppoſitum noſtrum ſecundum, quo adſtruximus, eo præſtantius ac nobilius eſſe alimentum quo id quod nutritur excellentius nobiliuſque eſt. Ab hac ſuppoſitione habemus primo terrea corpora & metallica, alimenta non eſſe hominis; cum homo nobiliſſimus ſit omnium viventium, metalla inferiorem gradum obtineant quam plantæ & brutæ animantes. Secundo colligitur brutas ani-

Metalla ut conveniunt cum homine.

Objectio gravis.

Solutio.

mantes convenientius esse nutrimentum hominis quam plantas, quia plantæ inferiores sunt animantibus brutis. Tertio, constat inde ex animantibus brutis eas optimum esse cibum hominis quæ magis homini temperamento affines sunt & conformes. Sic *suilla caro* teste Galen.lib.3. de aliment. *omnium ciborum potentißime alit*, quod carnis humanæ similitudinem maximam possideat. *Suillæ carnis*, inquit Galen. loco citato cap. 1. *similitudinem cum humana ex eo poteris intelligere, quod quidam carnes humanas pro suillis, sine ulla in gustu vel olfactu suspicione comederunt, id enim ab improbis hospitibus & aliis quibusdam factum fuisse jam compertum est*. Quarto: inde quoque deducimus ex plantarum partibus eas magis hominem nutrire quæ magis excoctæ fuerunt, sic fructus magis nutriunt quam radices, quia secundam quamdam coctionem adeptæ sunt: semina & grana adhuc magis quam fructus nutriunt, quia tertia quadam coctione sunt ematurata. Denique quemadmodum ex ea suppositione colligimus proprium convenienſque alimentum hominis esse brutas animantes ac præterea plantas quæ animatæ sunt & conveniunt cum eo in genere proximo viventium quorum nutritio propria est: deinde vero brutarum animantium nutrimentum proximum esse plantas: sic fatemur succum terræ alimoniam esse propriam plantarum. Sed succorum terræ duo sunt genera: alii enim sunt fœcundi, humentes, spiritibus turgidi, rerum seminibus referti, atque ut ita dicam in proxima potentia ut sint animati: alii vero sunt steriles, aridi, jejuni, rigentes, ac ut ita dicam emortui. His non aluntur plantæ, quia potentiam nullam habent ad vitam, illis maxime delectantur atque

Nota.

Terra duplex.

reficiuntur, quod conformitatem maximam seu affinitatem cum plantis habeant, sintque in proxima potentia ad vitam. Quod confirmatur ex principe Philosophorum Aristot. lib. 2. de anima text. 46. Scribit enim eo loci. *Quoniam nihil alitur quod vitæ particeps non sit & animatum, idcirco alimentum dicitur ad animatum esse & non ex accidenti:* id est, *quia corpus alendum tale est per vitam & animã, ideo alimentum habitudinem & relationem habet ad corpus illud quatenus animatum est & vivum, non quatenus est corpus; ergo relatio illa alimenti, cum sit per se non per accidens, erit secundum esse, non secundum dici: quod si ita est, omne alimentum erit animatæ rei vel pars vel fructus vel id simile, eoque maxime quod tale nutrimentum materiam obtineat aptam induere immediate formam & animam ejus quod alitur, in cujus substantiam commutari ejusque formæ subjici per nutritionem ipsum oporteat,* sic enim Aristotelem explicavit Fortun. Licetus cap. 10. lib. 2. laudati operis. Posset hic examinari gravis difficultas *de auro potabili* Chymistarum, quo sustentari vita ad multos dies creditur, sed nolim obvia quæque quasi ex occasione arripere. Legatur Thomas Erastus dispositione de auro potabili, Licetus libro quarto prædicti operis capite quinto, Dessennius adversus Georg. Fedronem & alii quos brevitatis causa omitto. Concludo corpora mista inanimata, sive perfecta sint sive imperfecta homini nullatenus esse posse alimenta, tum propter rationes à me adductas, tum propter multas alias quas attulerunt licetus libro citato capite tertio, & Hieronymus Dandinus, in libro secundo de auima comment. 53. digressione 75.

Aristotelis expositus locus.

Definivimus tandem sola mista animata ho-

mini edulia esse : jam ergo facilis erit alimenti distributio & divisio ut ordine de unoquoque edulio disputetur. Alimentum igitur hominis, vel à plantis, vel ab animalibus desumitur: A plantis, herbis, fruticibus, arboribus, quæ vel totæ vel secundum quasdam partes in cibum veniunt. Animalia sunt terrestria, volatilia, aut aquatilia, quæ etiam secundum se tota, aut secundum quasdam partes suas aut secundum excrementa in edulium assumuntur.

Porro ut ab herbis exordiamur, aliæ sunt fruges, aliæ legumina, aliæ hortenses. Ad fruges pertinet triticum ex quo Panis componitur; de quo cum Salernitanis hoc capite nobis est agendum. Cerealium enim seu frugum alimentum penes panem maximè attenditur, licet alia quoque ratione fruges mandentur. Nam & frumentum, & hordeum, & oriza, & milium, interdum cum aqua coquuntur, interdum cum lacte, imo farina ex illis frugibus aliquando coquitur in pulticulam, sed commodior earum præparatio & utilior est in Panem.

Triticum vero cum dico, intelligo excellentissimum illud reginæ naturæ templum, atque habitaculum vegetabile balsamumque pretiosum, quod ab ignis figura pyramidali aut pari cum eo utilitate πυρὸς græcis denominatur. Ejus autem nomine generaliter *frumentum significatur quod ex spicis tritum ac trituratione repurgatum est*, ex Diodon. in histor. frumentum cap. primo. In jure etiam civili triticulum videtur quam sępissimè pro toto frumenti genere usurpatum l. triticum. ff. de verborum oblig. ubi Accursius generale nomen esse dicit omnium quæ in area teruntur, quod cōfirmat Stephan. Forcatulus tractatu de alimentis

Tritici laus.

Significatio.

c. 6. Est autem Triticum apud Colum. lib. 2. c. 6. trium generum. Primum genus durum solidumque atque rutilo colore non solum extrinsecus, sed interius etiam splendens *Robus* appellatur, pōdere & nitore præstans. Alterum mollius est, lenius, interiori medulla laxius, candidumque, quod veteres *Siliginem* vocaverunt. Tertium genus τρέμηνος πυρὸς καὶ σητανίας dicitur Latinis *trimestre triticum ac setanium*, Gallis *Martium*, quod Martio mense seratur. Ex omnibus vero laudatissimum habetur, cui prædensa confertaque est undique substātia; sic ut dentibus vix queat confringi, colore autem subflavo est: observant tamen nostri Pistores ex candido tritico panem lautiorem fieri quam ex rufo, sed leviorem & qui minus alat. Dioscorides triticum laudat recens, perfectè maturum & colore luteum, deinde trimestre, è cujus farina paratum panem leviorem cibum præbere & qui facile in membra digeratur, asserit lib. 2. cap. 78. Porro quod Columella *Trimestre* vocat triticum, id Plinius *trimenon*, Pollux ἐπέτειος, Cicer. *Hornotinun*, Diocorides τριμηνιαῖον καὶ σητάνιον, appellavit; quæ vox trimestre quoque significat. σῆτες enim (ut notat Cornarius emblem. 74. in lib. 2. Dioscorid.) designat ἐν τῷ δὲ τῷ ἔτει. Dores autem σῆτες dicunt; unde σητάνιος πυρὸς, quod apud Hippocratem Galenus exponit in glossis, τὸν ἐκ τοῦ ἐνεστηκότος ἔτους, τοῦτ᾽ ἐστὶ τὸν κατὰ τὸ ἔαρ ἐσπαρμένον. Adeout *setanium* triticum *hornum* dici queat, cum Vere seminatum, æstate metatur. Matheolus comment. in cap. 78. lib. 1. Dioscorid. triticum optimum censet quod est *fractu contumax, densum, grave, colore aureum, lucidum, læve, trium mensium, maturum, mundum pinguique terra ortū*. Improbatur fractu facile, rarum intus, subinane & laxum. Si quis de colore

Divisio seu species.

quærat, flavum magis laudatur, cum ab eo triticum Græcis πυρὸς dicatur, quasi πυῤῥὸς & Latinis *Robus* ab eodem colore flavo quem veteres *Rubeum* prima syllaba producta & *Robeum* appellabant, quemadmodum ex Servio probat Dalechamp. libro quarto histor. plant. cap. 1. Licet autem tres solum tritici differentias attulerimus, plures tamen existunt aliæ, seu ex loco, seu ex viribus, seu ex forma, seu ex aliis circumstantiis depromptę; quarum meminerunt post Theophastum Matheol. & Dalechampius locis citatis.

Cæterum tritici integri partes tres potissimum: *arista*, *gluma*, & *granum*. *Arista*, seu *spica*, velut acus tenuis eminet è gluma apicis instar, dicta *arista* quod prima arescat, & à spe vocata *Spica*. *Gluma* folliculus est grani à glubendo quod eo folliculo deglubitur granum, quod propriè triticum est. Tritum & comminutum triticum *farina confusanea* dicitur; cujus partes tenuiores ac puriores generali nomine *farina creta* vocantur, crassiores ac impuriores *Furfur*. In priore parte, quod purissimum, mollissimum, tenuissimum & ab omnibus furfuribus exactissimè repurgatum, *Flos* & *Siligo*, translato à candidiore tritico nomine nuncupatur, Græcis σιλίγνις καὶ ἄλευρον λεπτὸν; quod autem nec omnino purum ac tenue nec penitus crassum ac impurum residet, *Similago* & *Simila*, vulgo Græcis σεμίδαλις vocatur, quæ tenuis est quędam farinæ pars siligine seu flore impurior, cum ex ea non omnes excussi sint furfures sed crassiores tantum repurgati. Uno verbo medium quoddam genus videtur esse inter florem & farinam confusaneam.

Tritici partes.

Farinæ partes

Jam autem *Furfures* seu crassiores farinæ par-

tes sunt vel reliquiæ floris seu siliginis excussæ; *Pollen* Corn. Celso dictæ, vel reliquiæ Similaginis, quas prisci *Canicas*, Græci πίτυρα, Palladius *creturam*, plerique *utriculos & exta tritici* nominant, sicuti relatum est à Dodonæo in historia frumentorum.

Panis ethymologia.

Hæc fuerunt necessario premittenda ad panis optimi notas ac differentias constituendas, quæ ex genere tritici desumuntur. *Panem* qui dicit, dicit lautissimam aquæ, fermenti & farinæ mixturam, suavissimumque hominum edulium, qui quia uno gentium consensu in usum & esum admittitur ἀπὸ τοῦ παντὸς nominatus est: *Panis*, inquit Isidorus libro vigesimo Ethym. *dictus, quod cum omni cibo apponatur, vel quod omne animal eum appetat*. Becmanus appellatum vult quod *instar omnis alimenti & maximè necessarii existat*. Nonnulli ob *alimenti copiam* quam præbet sic vocatum crediderunt apud Athen. libro tertio Deiphos. Nam Messapii καὶ τὴν πλησμονὴν πανίαν vocabant, καὶ πάνια τὰ πλήσματα: ἀπὸ τῆς πανίας vero deductus πανὸς Panem designans & denominans. Græci philosophi à perfectione, Pani ἄρτου nomen dederunt, est enim inter omnes figuras circularis perfectissima, & absolutissima, ut ait Asclepiades apud Athen. libro undecimo. Rem eleganter exposuit Aristophanis Scholiastes in Pluto ad scenam quintam act. 2. ἄρτος δὲ, inquit, παρὰ τὸ αἴρειν, προσφέρειν ὅθεν καὶ προσάρματα αἱ τροφαὶ διὰ τὸ τοῦ σχήματος ἄρτιον, ὅ ἐστι τέλειον. οἱ γὰρ ἄρτοι κυκλοτερεῖς εἰσὶν εἰς ὁμοίωσιν τῆς τοῦ παντὸς σφαιροειδείας, ἢ καὶ ἄρτοι λέγονται, οἱονεὶ ἄρτιοι, διὰ τὸ τοῦ σχήματος ἄρτιον, ἤγουν τέλειον, quod repetitur & ab Eustatio in libr. Iliad. 2. & ab auctore magni Ethymologici in voce ἀρτὸς. Quod ergo rotunda figura panis fieret, idcirco dictus

ἄρτος

ἄρτος Græcis & Panis Latinis, πᾶν enim universum seu mundum designat, quem esse rotundum nemo nescit.

Sed his omissis expendamus qui panis omnium laudatissimus existat, quosque usus homini afferre soleat. Differentiæ panis desumuntur vel ex materia è qua paratur, vel ex ejus præparatione. Materia aut pro necessitate est, aut pro condimento. Materia necessaria est *triticum* in farinam comminutum, *fermentum*, *Sal* & *Aqua*. Cum dixerimus quatuor esse in *farina confusaneas* partes, necesse est ut totidem genera panis existant. Ex flore farinæ quæ *Siligo* dicitur, paratur Panis *Siligineus* ac σιλιγνίτης; ex *similagine* quæ post florem purior est farinæ pars, *Similaceus*, seu σεμιδαλίτης conficitur: ex *polline* quæ pars furfuris minus impura & crassa est, *Cibarius* coquitur, *ater*, *gregarius* ac *sordidus* Græcis ῥυπαρὸς. Ex *furfure* fit *Furfuraceus*, *Cannaceus*, Pacuivio, Festo *Acerosus* καὶ πιτυρίας. Denique ex *Farina confusanea*, constat Panis *Domesticus*, αὐτόπυρος, συγκομιστός, ἀλευρίτης, ξεπυπυρείτης, πύρινος, καὶ χυρίτης, quem nonnulli *Cibarium* vocant. Jam vero ratione *Fermenti* alius cum fermento dictus ζυμίτης & *Fermentatus*; alius sine fermento ἄζυμος vocatus & à Nicandro δάρατος. *A Sale* alter dicitur *Salitus* qui cum sale est, alter *Non salitus* qui sine sale paratur. Ab Aqua nulla panis differentia, licet magnum habeat in pane momentum, nam à laudabili aqua panis lautior, suavior & laudabilior evadit. Sic apud Parisinos cum idem sit genus tritici ex quo Pistores urbis & Pistores pagi Gonetii (qui aliquot duntaxat milliaribus ab urbe distat) panem conficiunt, suavior semper est & salubrior Gonetta-

Panis differentiæ.

A farina.

A Fermento.

A Sale.

Ab Aqua.

rus panis quam *Parisinus* non alia ratione quam propter aquas quæ Gonetii meliores sunt & salubriores. Similiter aqua si frigidior fuerit, aut paulo calidior, bonitatem panis imminuere potest, proinde semper cavendum est ut moderatè calida existat, tam in dissolvendo fermento, quam in subagitatione. At vero materia panis condimento apta, varia est, varias idcirco Panis differentias atque species constituens. Nam à Buryro *Butyriatum* panem, à Caseo *Caseatum*, à Croco *Crocatum*, à Saccharo *Saccharatum*, ab ovis *Ovatum* denominant, quas species revocare soleo ad Placentarum genera quibus peculiarem disputationem designamus.

Porro præparatio panis spectatur ante co-
Mistio Panis. ctionem, in ipsa coctione, & post coctionem. Ante coctionem mistio & subagitatio considerari debent. In mistione fermenti & salis adsit modus quem gustu deprehendes, ex quo *Sapidus* dici potest Panis aut bene mistus, vel Insuavis
Subagitatio. ac male mistus. Subagitatio nec nimia esse debet, nec pauca, sed moderata, moderata tamen est plurima, plurimum enim subagitari debet panis optimus, à qua præparatione Panis vocari solet bene, vel male subactus aut suba-
Coctio. gitatus. Coctio pro ratione loci in quo peragitur Panem denominat. Locus est *Furnus* aut *Focus*, ab illo *Furnarius* panis, ab hoc *Focarius* nomen sumpsit. Prior ille duplex est: *Clibanites* seu *testaceus*, in testis, seu furnis portatilibus; & ἰπνίτης in majori furno coctus. Posterioris multiplex est differentia. Prima, ἐσχαρείτης super craticulam tostus: secunda, ἐπανθρακίς super cineres calidos excoctus: tertia, ἐγκρυφίας seu ἔγκειπτος *Subcinericius* qui cineribus obductus coquitur.

Denique post coctionem variæ denominationes Pani tribuuntur: Alius enim est *Coctus*, alius *Incoctus*: Coctus vel semel, vel bis. *Biscoctus* vocatur διπυρίτης καὶ δίεφτος, cujus duplex est differentia. Prior est Siligineus ex tritico puriore confectus, posterior Sordidus & Nauticus ex impuriore. Quidam vero *Recens* est aut *vetus*. Recens rursum, *calidus* seu *tepens*, vel *refrigeratus*. Nonnulli quoque dicuntur *magni*, *parvi*, *spongiosi*, *solidi*, *leves*, *ponderosi*, & sic de cæteris. Jam vero cujusnam sunt facultatis singulæ illæ Panis species? *Siligineus* purissimum corpori tribuit alimentum atque plurimum viresque auget: cui proximè accedit *Similaceus*; *Cibarius* & *Ater* minus quidem alit, sed magis per ventrem descendit ob admistos furfures quibus vis inest detergendi. Idcirco memini virum doctissimum *Pet. Milon* Archiatrum Henrici Magni Regis Christianissimi, in jentaculo atrum semper panem assumpsisse lubricandæ alvo. *Furfuraceus* minimè omnium nutrit, sed maximè omnium per alvum secedit. αὐτόπυρος satis optimè quidem nutrit, citoque alvum petit, sed nutrit minus quàm Siligineus & Similaceus; magis vero quam Ater & furfuraceus; nec tam cito secedit quam duo isti postremi; at citius quàm priores duo. *Fermentatus* levior est & coctioni distributionique aptior quam *azymus*, aut *acrizymus* qui δύσπεπτοι sunt, ventriculum gravant, venasque obstruunt: sed magis Azymus quam Acrizymus in quo aliquid inest fermenti; sed minus quam oporteat. *Salitus* salubrior, jucundior, levior non salito qui difficilioris coctionis habetur. Insalubres autem sunt omnes qui pręter salem aut fermentum, caseum, buty-

Panis facultates.

rum, vel quid simile admittunt; evadunt enim δύσπεπτοι, ventriculo graves, generandisque obstructionibus opportuni. *Sapidus* panis insipido præferendus, maximè cum ex modulo mistionis suavitas illa exurgit. Male *subagitatus* panis obstruit, inflat, onerat. *Clibanites* εὐπεπτος omnium optimus est, quod, ut ait Galen. 1. de alim. facult. cap. de tritico *per totum seipsum æqualiter coctus sit*. Quo loco observabis ex Mercuriali libro primo var. lect. cap. 12. errare eos qui credunt eum panem in majoribus furnis, Iphitem verò in minoribus coqui solitum: ac proinde eum panem magis similem fuisse pani nostro biscocto, quam nostro vulgari. Erat enim Clibanus, ut scribit Cassiodorus in psal. 20. *coquendis panibus anei vasculi deducta rotunditas quæ sub ardentibus flammis ardet intrinsecus:* quem Cato lib.2.deRep. cap.74.testum visus est appellare. Quod autem Clibanus major furnus esse non possit, colligimus ex Aristoph. in Acharnensibus, ubi Dicæopolis legatum irridet, qui bones è clibano integros in convivio appositos jactabat, quod tamen à ratione alienum non fuisset penitus, si furnis nostris majores fuissent Clibani. *Furnarius* panis præcedente paulo deterior est, quia in profundo non similiter assatur. Tostus super craticulam, cineres calidos, aut foci pavimentum, pravus; ut qui inæqualiter se habeat, exusta namque superficie partes intimæ crudæ relinquuntur. *Subcinericius* omnium deterrimus; quod cineres pravitatem illi aliquam aspergant. *Biscoctus* vim habet desiccandi & cum siligineus est, minus omnium excrementi relinquit. *Recentes calidi* siticulosi sunt, flatusque pariunt atque suffocationes;

Recentes frigidi salubriter atque jucundè esitantur: biduani triduanique neque gustui grati sunt, neque utiliter eduntur; quod præ siccitate concoquantur ægrius, minusque nutriant. *Vetus* panis durus & mucidus situmque recipiens, humorem melancholicum generat, alvum adstringit, ægreque conficitur. *Magnus* panis & maximæ molis valde nutrit, quod ignis ejus humidum non excoxerit, gravitatem tamen affert ventriculo & flatus excitat quod æqualiter coctus non sit undecumque. In *parvo* & minori ignis violentia crustam justo majorem undique inducit, proinde sanguinis assati materia est, & siccitatis causa: *Mediocris* itaque *magnitudinis* panis magis laudandus. *Spongiosus* & *levis*, *solido* & *gravi* præstantior; nam & leviter alit, & obstructiones in visceribus minimè creat. Ex his colligimus panem siligineum ex tritico maturo non admodum recenti nec vetusto, solo pingui enato, tineis, pulvere, lolii semine, nigella aut pruina minime vitiato, non imbre madido, aut ex asservatione fœtido confectum, benè pertritum, fermentatum, salitum, coctum, omnium esse ut lautissimum sic saluberrimum. Primò enim non parum interest quo solo triticum provenerit considerare; macrone an pingui, humido ac uliginoso, an sicco ac perflato: nam planè vitia soli secum triticum refert, ex quo redditur aridum nimis aut tenue, vacuum aut pingui nimis humore densatum, cortice furfurisque parte plurima, farinæ exigua constans. Sic ex commentariis decurionum Parisiensum colligimus, quatuor generibus tritici, ut electissimis ac probatissimi uti Parisienses ad Panificium, quæ ex agris qua-

Panis optimus.

Solum tritici considerandum.

tuor urbi vicinis aſportata ſint; *Belſico , Franciſco , Bryæo*, & *Namterreo , blé de Beauce , de France , de Brye*, & *de Namterre*. Secundum obſervandum, ne tricitum quamvis laudabile ſtatim ex area ad molam mittatur , ſed aliquo tempore aſſervari debet in loco ſano minime fœtido aut humenti , ſed alto & perflato, ut excrementitius humor exſiccetur. Cum recens ex area molitur , pluſculum farinæ reddit ſed excrementitiæ ; cum diutius aſſervatur, ſiccam farinam & modicam exhibet. Ipſum præterea repurgabis rebus inutilibus, ut pulvere , loligine , nigella & aliis quæ vitioſum alimentum generare poſſunt. Sic mundatum tum demum molæ committitur, ſed molarum haud parva ſunt diſcrimina , penes duritiem , ſoliditatem & colorem. Probantur ex duriſſima lapidum materia, nam *molliores & teneriores*, ut ait Bruyerinus de re eibaria libro ſexto capite ſecundo , *atteruntur , eroduntur , ſemperque relinquunt aliquos calculos verſando ac rotando , qui farinæ confuſi ac miſti gratiam & ſalubritatem panificio adimunt , & plerumque dentibus admodum noxii ſentiuntur , cibiſque ex ea confectis commendationem detrahunt.* Laudantur quoque ex ſolidis lapidibus. Circa Tholoſam fiunt molæ ex ſaxo arenaceo,rubro , candidis maculis diſtincto, in quo raræ rubræ , quas Græci πνειφρύνοις vocant generantur : *quocirca id genus ſaxa omnia* (ſi credimus Guillandino comment. in Plinium) *priuſquam molas ex eis faciant , perfringunt; quod ni fecerint , ranæ ubi cum molæ verſantur concaluerint , inflari ſolent , & diſruptis molis frumenta veneno inficere.* Hactenus Guilland. Color quoque neceſſarius in molis; quo fit ut molis candidis triticum comminuant, ni-

Triticum recens.

Molarum diſcrimina.

gris fruges minutas frangant. Præterea videndum qua vi impellantur molæ, nam piſtrinorum aliæ vivis aquis agitantur, aliæ per rotas penſiles vi æolica hoc eſt ventorum flatu verſantur: dicuntur autem farinæ Aeolicorum piſtrinorum deteriores farinis aquatilium piſtrinorum. Credo quod uniformis eſt ac pene ſemper æqualis agitatio molarum per aquam, inæqualis valde per ventos, qui modo validius modo lenius ſpirant, itaque piſtura tritici per aquam æqualis, æqualitatem partium in farina parit, inæqualis per ventum, & inęqualitatem & diverſitatem maximam. Tertio è molendino farina cribris tranſmittenda eſt, à quibus differentias pręcipuas panificii deſumimus, prout ſcilicet ſpiſſioribus minutioribuſque foraminibus aut rarioribus ac patentioribus incernicula conſtant. Sic alia dici poſſunt *Siliginaria* quæ ſiliginem ex farina ſubducunt, alia *Similaginaria* quibus ſimiligo cernitur, alia *Pollinaria* & ſic de cæteris. Quarto notandum, farinæ modum fermenti addendum eſſe ante ſubagitationem. Eſt autem fermentum ſic dictum quod fervendo creſcat. Gręci ζύμωμα καὶ ζύμην vocant, quod nihil aliud eſt quam farina ſubacta ad pultis modum decocta, & relicta donec aceſcat. Ejuſcemodi fermentum optimum eſt ſine additione, quod nonnulli faciunt, aceti, ſucci acerbi, omphacii, &c. ſicque ſervari poteſt in decimum quintum diem, ultra ſi protrahatur corrumpitur. Pridie itaque quam panis fiat aqua ferventi diluunt verſantque cum farina fermentum; quod hyeme multa veſte tegunt & velant ne vis evaneſcat. Ejus opera paſta fermenteſcens excreſcit & turget, & glutinoſitatem atque craſſitiem

Piſtrinorum genera.

Incernicula varia.

Fermentum.

nimiam deponit, sicque attenuatis partibus glutinosis quædam aëreæ inducuntur, à quibus levis rarusque ac spongiosus redditur panis. Galen. primo de aliment. panem qui fermento omnino caret nemini prorsus esse accommodum scribit. Celsus tamen libro secundo capite vigesimo quarto, panem sine fermento posuit inter res stomacho idoneas, & cap. 25. fermentatum panem inter res stomacho alienas, rursum cap. 28. panem fermentatum dixit facilè intus corrumpi, non fermentatum difficile. Et ut Galeno Celsus videtur contrarius: utrumque tamen possumus conciliare, si dixerimus Galenum locutum fuisse de pane velut alimento, Celsum de pane velut medicamento. Proinde Celsus εὐστόμαχον vocat panem ἄζυμον, quia ut ipse innuit cap. 30. sequenti, adstringentis est facultatis: scimus autem ex Galen. adstringentia εὐστόμαχα esse, cum sint roborantia. Pari modo Galen. libro secundo de alimentis cap. de rubi fructibus, βατίνα monuit, licet admodum adstringentia, capiti & stomacho nocere; si sine lotione sumantur; quia, ut dixerat capite de sycaminis, aliud est alimentorum, aliud medicamentorum facultates exponere. Quod autem de medicamentis eo capite egerit Celsus, ex eo patet quod illic Acida posuerit inter εὐστόμαχα, cap. vero 21. eadem Acida posuerit inter res mali succi; quo loco nemo dubitabit eum de alimentis agere, de quibus solis di itur aliquid esse boni, vel mali succi. Similiter cum cap. vigesim. quinto alienum stomacho dixit panem fermentatum, locutus est de eo velut medicamento, quia certissimum est ea remedia, quæ rara sunt & spongiosa, qualis est panis fer-

Celsi locus difficilis explicatus.

mentatus, laxare robur ventriculi, proinde ſtomacho eſſe aliena; idcirco eo capite lac & omnem caſeum aliena fecit ſtomaco, quæ boni ſucci eſſe dixerat capite vigeſimo. Idem de cæteris eſt dicendum & concludendum cum Celſo capite vigeſimo quinto; *non quicquid boni ſucci eſt, protinus ſtomacho convenire, neque quicquid ſtomacho convenit, protinus boni ſucci eſſe*, quia multa bona ſunt ut *medicamenta*, quæ ut *alimenta*, mala exiſtunt. Ex quo ſequitur Celſum Galeno nullo modo eſſe adverſum, quod omnes tamen hactenus ſunt arbitrati. Eſt ergo fermentum in pane utiliſſimum, ſi ea quidem quantitate ponatur quæ nec excedat nec deficiat: conſulo tamen ut potius in exceſſu peccetur, præſertim, ſi ex trimeſtri tritico aut recenti panis paretur, quia in illis plus ſemper glutinoſitatis deprehenditur. Nihil autem mali aliud ex fermenti exceſſu accidit quam minor alimonia ob nimiam raritatem, raritas enim & laxitas nimia addita pani facit ut minus alat, & ut alimentum citius diſſipetur: at ubi in defectu fermenti peccatur, graviſſimæ noxæ contingunt, cruditas, tardus deſcenſus, meatuum prope omnium infarctus; unde morbi tandem graviſſimi.

Quinto animadvertendum eſt, cum fermento totam farinam multum diuque ſubagitandam eſſe ac verſandam, cum multa aqua tepenti optima, & ſalis eximii momento, ſicque verſatam paſtam tribus horis veſte tegendam, priuſquam ſecta & diviſa in fragmenta & in orbes modicos tornata clibano aut furno coquenda exponatur. Subagitatio in omnem partem crebra ſit, aſſidua, & exacta, quo fermenti, ſalis, & aquæ vires quoquo- Subagitationis ratio.

versum insinuentur: sic fiet ut disrupto glutino & viscididate evicta panis bene solutilis reddatur, neque ori vel stomacho repugnet: cum versatio exacta non est, post cocturam panis, reperiuntur partes etiamnum farinaceæ; interdum aliæ nimium salitæ, aliæ insipidæ prorsus restant. Juvat autem subagitationem *Aqua*, quæ cum copiosa est pastam auget, quia ejus beneficio minus densata, sed spongiosa magis ac levior evadit, ex qua fit panis maxime omnium coctu facilis quamvis exiguum corpori alimentum parumque firmum ac permanens suggerat. Aqua minus justo si admisceatur, massam reddit solidiorem, duriorem, graviorem, ex qua facti panes alimenti plus exhibent ipsumque durabilius sed concoctu magis difficile. Cum vero frigidior aqua infunditur, vitium exurgit quod rustici Parisienses vocant *Laqueux*, quæ est aquosa concretio ac velut congelatio micam panis obsidens. Salis interim moderata aspersio utilis, imo necessaria; tum quod gratiam palato addat & ventriculo acceptiorem reddat panem, tum quia nimium humorem exsiccet, sicque panem & coctioni & distributioni aptiorem efficiat: ejus exuberantia plus justo siccescit panis ac durescit, retorridumque in corporibus sanguinem cumulat. Detestandus eorum est error qui loco salis aqua marina panem subigunt, nam inde morborum ilias exoritur. Puniendi quoque pistores qui ut panis gravior fiat, salem detrahunt, norunt enim salis admistione leviorem panem fieri, cujus rei causam postea dabimus. In summum *salitus* panis non salito jucundior est ac salubrior; quamobrem laudare non possum *Lutetianum* panem qui sine sale paratur, dicique non potest quam morborum multitudinem civibus accersat. Credide-

A quæ modus.

Salis moderatio.

rim calculorum generationem quibus obnoxii sunt Parisienses, hanc præcipuam habere causam: Veram enim esse Galeni sententiam arbitror lib. 1. de alim. c. de Pane loto, asserentis *cibos omnes boni succi & multi alimenti eos qui ipsis assidue utuntur, lædere, obstructiones in hepate parere & in renibus calculos gignere. Cum enim*, inquit, *humor crudus lentorem assumpsit & transitus per renes quibusdam natura sunt angusti, ibi quod crassissimum est ac maxime lentum diutius moratum, πῶρον, id est, tophum prompte gignit.* Nemo autem est qui ignoret panem Parisiensem vulgarem, ut boni est succi, sic multum nutrire, succumque alibilem suggerere diu perdurantem, maxime cum magna copia ingeritur: exinde quoque contingit ut plenitudine Parisienses laborent ac πολυαιμίᾳ quę coërceri nullo aptiori remedio potest quam phlebotomia frequenti, quod observare debent ii qui Parisiensibus Medicis injurii eos αἱματοπότας vocant, propter sanguinis detractionem quam frequentèr pręscribunt. Ultimo considerandum, ut exacte Panis coquatur, quod fiet si furnus rite incaluerit, & panis moderatæ fuerit molis. Incalescat furnus lignis siccis & sanis, non cariosis, putribus, fumidis aut gravem odorem habentibus; Incalescat autem moderate, non tenuiter, non supra modum. Ex imbecilli coctione vitium Pani accedit contumacitatis cujusdam in ore ac tenacitatis, sic ut commodè mandi non possit, sed palato hæreat & visciditate quadam os oblinat. Ejuscemodi Panem Galli vocant, *Pain gras-cuit*, quasi dicas crasse coctum. Fit id interdum Pistorum avaritia dum pondus in pane quærunt. Certum enim est minus coctos ponderosiores esse ob humoris copiam intus manentem. Vitium huic contrarium

Calculus morbus familiaris Parisiensib.

Parisiens. plenitudine laborant.

Coctionis modus.

est tostio ex immodico ignis calore, non alienum tantum humorem ac supervacaneum absumente, sed & natiuum, succulentũ & alibilem. Probandus ergo moderatus furni calor cujus beneficio sensim per totos seipsos æquabiliter panes coquuntur; maxime si neque prægrandes fuerint, neque minores. Atque hęc de pane laudatissimo cognoscendo dicta sufficiant. Omnia quidem scrupulosius & minutius exequuti sumus, sed in te talis momenti & in alimento tam communi & necessario, levissimæ observationes magnum pondus habent.

Aliæ panis species

Non ignoro alia panificii genera recenseri, singulisq; urbibus ac Provinciis sua esse ac propria; sed quæ diximus omnium norma esse possunt, ad quam proprietates & temperamenta cujusque panis examinari debent. Solum panem triticeum intelleximus non ex hordeo, secali, milio, aliisve cerealibus confectum. Non est vero quod longius divagemur in exquirendis hordei & secalis speciebꝰ, virtutibusq; earum investigãdis. Breviter dicamus, *Hordeaceos* panes triticeis multo minus alere: qui tamen ex pręstantissimo hordeo conficiuntur, minus à triticeis absunt, qui vero ex laxo & levi, panibus furfaraceis respondent: magis vero refrigerant quam triticei ac detergent, ut idcirco alienum non sit interdum tritico hordeum admiscere. Plura lege apud Bruierinum de re cibaria libro quinto capite octavo. *Secalini* panes ad alvum emolliendam primo cibo sumpti prosunt, sunt tamen atri & ponderosi, quia mandendo lentorem dentibus repræsentant, & stomacho ingratissimi sunt, quod gravitatem insignem afferant, otiosis præsertim, difficillime conficiantur, obstructiones viscerum pariant, in renibus calculos gignant, mali succi, crassi, lenti & melancholici existant. Cęte-

ros panes ex aliis cerealibus paratos non moror quod vitiosum succum producant. Panis partes.

Cæterum quæ dicta sunt de pane, de toto & integro pane intelligenda veniunt, non de ejus partibus sigillatim sumptis, quæ diversas penitus facultates obtinent. Partes autem panis duæ sunt μύελος καὶ θρύμμα, *Medulla* & *Crusta*, *Medulla* seu μεσαίτατον τοῦ ἄρτου mollior est pars, candidior, humidior, crustis undîque obducta ad quam præsertim pertinent omnes illæ virtutes à nobis de panib⁹ enunciatæ: *Crusta* vero est duplex: superior quam Græci ἀπαρχαγον vocant, Latini *Hettam* licet proprie hetta seu hecta & ἀπάρχαγος non sit ipsa crusta superior, sed λύκταιναι pustulæ quæ vi ignis in illa crusta erumpunt ac efflorescunt quas nonnulli ψύχας appellãt ut notat Hesych. in lexico. Crusta inferior proprium nomen non habet, denominari tamen potest à pustulis quæ in ea quoque protuberant, quas Græci nominant ἐψηθίας. Crustæ proprium est desiccare, humiditates superfluas absorbere, calorem acuere: si retorrida sit, humorem generabit adustum & atrabilarium, quod colligi potest ex Gal. comm. 104. in libr. quart. de victu acutorum; exemplo carnium quæ ob assatio-nem ambustæ tum ad succi bonitatem, tum ad concoctionem sunt inhabiles, choleramque pariunt propter eam quæ eis accidit acrimoniam. Quo nomine *cholera* non intelligendus est humor biliosus quem vulgo cholericum vocant, non Ira quam nostrates appellant choleram, sed cholera morbus sine febre (ut ait Gal.) acutissimus & periculosissimus. Non ea tamen est crustæ malitia, ut morbum illum producere dicatur, nisi ex exustione nigra fuerit, vetus ac mucescens, & multa copia ingesta.

Hetta quid

Crustæ facultas.

Pro coronide hujus prolixæ animadversionis nonnulla de pane problemata proponemus ac dissolvemus.

Primum est: cùm glande primi homines vixisse perhibeantur, unde Panis in usum primò venit? Certum est barbaras quasdam gentes ante cultum glande usas esse; ac inter cæteras, Arcadas; quos Plutarch. glandiphagos non inepté idcirco vocavit. Hinc Oraculum.

Glande satur multa obsistet tibi plurimus Arcas.

Quod videre potes apud Ælian. de var. hist. lib. 3. cap. 3. & Pausan. lib. 8. Sed omnium gentium primus hic cib⁹ non fuit: Appii enim & Tirynthii pyra, Athenienses ficus, Mæotici milium & lotometram, Medi Amygdala, Ichthyophagi pisces, locustas Æthiopes, Indi arũdinum fructus, Getuli ferinam carnem, Chelonophagi testudines, Persæ cardamum, palmulas Cormani, alii alia pro cibis panis loco primum habuerunt, ut ex Æliano, Strabone, Solino, Herodoto, Mela, Philostrato, Diodoro Siculo, Plinio, Arriano collegit Alex. ab Alexand. lib. 3. genial. dier. cap. 11. & ejus commentator And. Tiraquellus. Attamen ut verum fatear, hi omnes cibi pane multò posteriores sunt ac recentiores. Ex libris quippe Moysis Hebræorum legislatoris qui rerum omnium origines complectuntur, constat Panem cibum esse vetustissimum, ac ut ita dicam, à fructibus primum, fructus quippe arborum Adamo alimoniam præbuere in terrestri paradiso degenti, ubi vero loco illo exclusus est ob trangessum Dei præceptum, coactus fuit terram colere & arare, uno verbo agriculturam exercere, panemque in cibum præparare; sicque commutatus est victus Adami ex fructibus arborum sponte ortis in victum ex herbis agro-

Panis primũ alimentum.

rum magna diligentia excultorum. *Nam ante peccatum non fuisset opus homini terram colere ad percipiendos fructus degendæ vitæ necessarios, cum Paradisi terra in qua versatus fuisset homo, per se fertilissima, quæcunque ad hominis victum pertinuissent, sponte naturæ suppeditasset lagissime: at eo solo exterminatus homo, ex multis ac diversis terris plerumque sterilibus aut ægre fructus optatos ferentibus, alimenta sibi petere coactus fuit*, ait eleganter Perer. in cap. 3. Genes. quo loco imperavit Deus Adamo ut *in Sudore vultus sui vesceretur pane*: Hunc autem Sudorem Aben Ezra refert ad eos labores quibus Sudor maximè excitatur, ut est ventilatio, commolitio, subactio farinæ, pinsio, coctio: unde colligere est tum Adamo supplicium & industriam datam panis conficiendi. Ab eo tempore ad diluvium usque, panis usus nusquam intermissus; cum non defuerint nec Agricolę nec fruměta. Sed post diluviũ propagata hominum gente & in diversas orbis partes disseminata, plurimis populis panis defuit, tum ob agrorum sterilitatem qui triticis generandis inepti erant; *Nec enim omnis fert omnia Tellus*: tum propter desidiam aut ignorantiam incolarum, qui terram colere aut nescirent aut detrectarent, ex quo contigit ut aliud alimentum magis obvium quidam eorum usurparint pro commoditate soli & terrarum quas incolebant. Sed glandium nullus usquam esus fuit apud Hebræos, sed solius Panis; cujus etiam quærendi gratia Abrahami Nepotes relicta patria in Ægyptum descenderunt. Prout autem frequens institui inter gentes cœpit commercium, sic usus panis ad omnes pervenit, illique attributa fuit Panis inventio qui usum illum primus docuisset, sicque multi habiti sunt Panis Inventores, quia unus non potuit ad

Panis inventores.

diversas gentes illius usum deferre. Proinde Diodorus Siculus libro primo Isidi Panis inventionem tribuit apud Ægyptios, Pausanias in Arcadicis Arcadi Triptolemi filio apud Arcadas, Plinius lib.7. cap. 56. Cereri apud Atticos, Italos, & Siculos; Justinus Triptolemo apud Eleusinos, Macrobius & Eutropius Saturno apud Latinos, Trogus Habidi Hispaniæ Regi apud Hispanos, alii Pani, alii aliis prout observare est in Historicorum lectione. Sed origo prima ab Hebræis, Hebræi à Noaco, Noacus, à Majoribus qui ante diluvium fuerunt; hi tandem ab Adamo & Caino qui primi omnium nascente mundo & Agriculturam excoluerunt & panificium excogitaverunt. Quo loco reprehendendus est Possidonius philosophus qui Sapientem in pistrinum usque deduxit & philosophiam panificii inventricem finxit. *Philosophus*, inquit, *rerum naturam imitatus panem cœpit facere. Receptas in os fruges concurrens inter se duritia dentium frangit, & quicquid excidit ad eosdem dentes lingua refert: tunc vero salivæ miscetur ut facilius per fauces lubricas transeat. Cum pervenit in ventrem aqualiculi fervore concoquitur, tunc demum corpori accedit. Hoc philosophus aliquis secutus exemplar, lapidem asperum aspero imposuit ad similitudinem dentium, quorum pars immobilis motus alterius expectat. Deinde utriusque attritu grana franguntur & sæpius reteruntur, donec ad minutiam frequenter trita redigantur. Tunc farinam aqua sparsit & assidua tractatione perdomuit, finxitque panem quem primo cinis calidus & fervens testa percoxit, deinde furni paulatim reperti & alia genera quorum fervor serviret arbitrio* Hæc Possidonius apud Senecam epist. 90. qui philosophiæ tribuit quod fuit tribuendum Deo, qui quidem scientiarum & artium

tium omnium atque adeo agriculturæ ac Panificii notitiam gratuita liberalitate Adamo infudit, quemadmodum docet D. Thom. 1. parte quæstio. 94. artic. tertio & quæst. 101. articulo primo.

Panis invētio apud Græcos.

Secundo problemate quæritur quo tempore, ex qua materia, & à quibus Panis confici solitus est apud Græcos & Latinos? Athenienses dicuntur usum panis accepisse à Triptolemo sub Erichtheo rege, quod incidit in annum mundi 2528. regnanto apud Hebræos Moyse. Romani vero Pistores per annos fere sexcentos usque ad Persicum bellum nullos habuere, teste Plin. lib. 18. cap. 11. pulteque non pane victitabant: notatque Festus Pompeius cocum & pistorem eumdem fuisse.

Materia panis.

Materia autem ex qua Panes facti sunt primo apud Græcos, Hordeum fuit: nam Dionys. Halicarnass. lib. 2. scribit putasse Græcos Hordeum fuisse *Frugem vetustißimam*, quod innuit quoque Plinius libro octavo capite septimo, & Theocriti interpres ad Idyll. 7. velut explicat diffusius Marsil. Cagnatus libro primo variarum obser. cap. 28. At Romani ex farre primum panem confecerunt. Ovid. 6. Fast.

Sola prius furni torrebant farra coloni

Tradit Plinius in tertio libro 18. capite septimo, farre tantum & frumento populum Romanum trecentis annis usum, quod idcirco *vetustißimum fructum* vocabant, teste Halicarnass. loco laudato: Porro cum veteribus Romanis molarum nullus usus foret, sed fruges igne tostas in pilas conjectas pinserent, inde dicti *Pistores* & *Pisones*; qui & idem *Coci* erant, quibus cura fuit parandi panificii: sed mox eam sollicitudinem mulieres suscepere, exemplo credo aliarum nationum apud quas mulieres etiam Regiæ pistrices erant, ut observare

eſt apud Herodotum lib. 8.

III. Cur in pane rei alimentariæ ſummam natura poſuit? an quia panis merum eſt alimentum, cibi cæteri alimentum medicamentoſum? Certe Galen. 6. de tuend. valet. panem tanquam ſimpliciſſimum alimentum laudat, & Aphrodiſ. probl. 66. libri ſecundi, panem omnium ciborum maxime nutrire cenſet. An quia cum frequentiſſimè edatur, nullum unquam faſtidium parit ſicut cæteri etiam delicatiſſimi cibi? Hoc autem eum naturæ noſtræ familiariſſimum eſſe demonſtrat: etenim non niſi à temperatiſſima cauſa univerſaliſſimus ejuſcemodi effectus provenire poteſt, idcirco Galen. 7. de uſu partium cap. 8. *naturæ noſtræ familiariſsimum* illum conſtituit, & laudatiſſimum facere ſuccum docuit lib. 3. de alimentorum facultatibus. An quia cibi nomine apud Catonem lib. de re ruſt. panis ſignificatur, quodque Græci σιτίον & σῖτον genere neutro cibum vocant, σῖτος vero genere maſculino frumentum quaſi σιτίον dictum ſit, quoniã illius materia eſt σῖτος? An quia triplex homini alimentum ſuppeditat, ſpirituoſum, liquidum & ſolidum? Nemo ignorat Democritum ſolo panis odore vitam per triduum protraxiſſe, quod etiam de Demetrio Cydonio narrat Athen. ſecundo Deipnoſ. Sua itaque ſpirituoſa & odorabili ſubſtantia ſpirituoſum eſt alimentum panis. Inſtar quoque potus cum juſculo ſumptus ſitim ſedat: ſolidus ſolidum nutrimentum præbet, ut annotavit Zuingerus ad lib. Hippocr. περὶ τροφῆς Aph. 32. An quia Panis nomine omne genus cibi ſacræ litteræ comprehendunt? Id certè admonuit D. Hieronym. exponens votum Jacob cap. 28. Geneſ. conceptum, quo quidem à Deo expoſtulat *Panem ad veſcendum & veſtimentum*

ad induendum. Verum panis ille triplex erat si credimus Ruperto in eum locum: *panis* scilicet *vitæ æternæ* de quo dicit Dominus; *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum.* Panis *intelligentiæ*, de quo dictum est; *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit ad ore Dei:* & panis *vitalis* confirmans hominem, quem solus ipse producit de rore cœli & de pinguedine terræ. Ex his omnibus de pane licet concludere quod Galen. de cera: hanc enim quod aliis medicamentis misceretur *materiam* appellavit *medicamemtosam*; Nos quod Panis *omnibus modis alat, omnibus alimentis* misceatur, *omnium gentium* sit cibus, *summam rei alimentariæ* contineat, denique quod sit *Panis*, jure eum appellare possumus *materiam alimentosam.*

IV. Cur Panis tam conformis est naturæ humanæ? An, ut ait Francisc. Georg. Venet. sect. 7. tomi sexti probl. 246. quia *temperatissimus est cibus? An quia est cibus jovius hauriens vim à Iove qui semper juvat? Nobis autem propitius est Iupiter, ob fontem pietatis & bonitatis divinæ, cui directè ipse subest, ut secretiores Theologi docent. Hinc Christus voluit præbere nobis cibum cælestem corporis sui sub panis specie, tanquam perfectissimum alimentum & super omnes cibos humanæ vitæ accommodatissimum.* An quia ambo Panis & homo ejusdem sunt originis? homo enim ex terra eductus, velut Rex & Impetator viventium, Triticum ex terra genitum velut vegetabilium omnium princeps; nec melius luxuriat ullibi, quam ubi oleto humano, aut humanis cadaveribus agri pinguescunt.

V. Cur Plautus in Curculione dixit ventris stabilimenta esse panem & carnem bubulam? An quia ad robur confert? Sic scriptum est primo

Reg. cap. 28. *Et robur non erat in eo, quia non comederat panem tota illa die.* An per panem intellexit azymum, aut acriazymum quibus Messores & Athletæ utuntur, ut robur sibi concilient diuque nutriantur? est enim ille panis ut solidus sic ubi confectus est solidum nutrimenrum præbens. An quia panis siccus comestus serosas ventriculi superfluitates ebibit, quibus sæpe sæpius languet & laxatur. Sane Jul. Capitolinus auctor est Antonium Pium Cæsarem senem jam ac silicerniũ manè solo pane sicco robur virium sustentasse.

VI. Estne comedendi panis certa quantitas definienda? Ita est: nam panis multum probeque nutrientis quantitas minor esse debet: calor ventriculi quo major est, ut hyeme eo panis copiam majorem expetit: corpori superfluis humoribus carenti & vehementi exercitatione utenti, copiosior Panis convenit: denique majori quantitate edi debet cum alimentis quæ minus nutriunt, ut sunt fructus, herbæ & pisces, quam cum carnibus πολυτρόφοις. Porro observat Marsil. Cagnat. libro primo de sanit. tuend. capite decim. oct. apud veteres vulgare demensum panis quod pro diurno cibario viritim dabatur, fuisse *Chœnicem*, seu quantum Chœnice capiebatur. Fuit autem Chœnix genus mensuræ quam Hebręi Homer, vel Komor vocabant. Eam Pollux libro quarto & decimo Onomast, tres cotylas habuisse refert, fuisseque cibum diurnũ. Addit Angelocrator doctrina de ponderibus sicut Romanis sextarium castrensem. Hinc proverbium *super Chœnicem ne sedeas*, dicitur in eos qui in diem vivunt nulla cura futuri. Credidit Budęus libro quinto de asse, Chœnicem fuisse duorum sextariorum, sextarium vero duodecim cyathorum, cyathum un-

Panis edendi quantitas.

ciarum duarum, ſic ut in chœnice unciæ quadraginta octo fuerint, ex quibus Athenis quatuor magni panes conficiebantur, octo vero parvi ex Interprete Ariſtoph. in veſpis. Cibus igitur diurnus & vulgaris quatuor panes fuere, quorum ſinguli ex farinæ tritici libra vel libræ ſextantibus quinque conflabantur. Notandum tamen eſt eos qui libras panis quatuor ſingulis diebus abſumebant, & pauco obſonio uſos, & magna exercitatione. Apud Pariſienſes primarius panis & candidus eſt unciarum duodecim, ſecundarius quatuor librarum. Sunt autem multi qui tres panes candidos ſingulis diebus edant, nullus qui poſſit uno die ſecundarium panem conficere, quia ſolo pane nemo contentus vivit, ſed una carnes aſſumit, adeout mirum non ſit, ſi noſtris temporibus tantùm panis quantum olim, non abſumatur.

Panis diurnus.

Panis Pariſiẽſis pondus.

VII. Cur Hippocrates repletionem panis peſſimam dixit? Nuſquam divini Senis ea fuit ſententia, nec quid ſimile in ejns monimentis reperire eſt. Prĉrerea nullus eſt ejus rei inſignis auctor, niſi forſan producatur Avicenna fen. 3. primi Doct. 2. cap. 7. ad finem, ubi ſcripſit hæc verba: *Amplius ſcire debes quod impedimentum panis cum non digeritur eſt multum. Sed carnis impedimentum cum non digeritur, eſt minus hoc* Quo loco Jacob. de partibus ait repletionem panis eſſe malam, *quia ſtomacho diu injacet gravans ipſum plurimum & opprimit pectoralia; quod ſi deſcenderit tandem de ſtomacho non bene digeſtus, oppilabit hepar & meſeraicas: at Carnes*, inquit, *minori nocumento ſunt, quia plus proportionantur humano corpori & minus premunt pectoralia: & ſi tranſeant indigeſtæ ad hepar & meſeraicas, minus ſtabiles & magis cura-*

Repletio panis mala.

biles oppilationes inducunt quam panis; trahentibus membris avidius succum carnis propter similitudinem, quam succum panis.

VIII. Estne ergo repletio panis pessima, ob idque vituperandusne est panis? imo vero licet panis repletio pessima sit, id tamen potius ei laudi esse debet quam vitio. Primo quia hoc ex copia alimoniæ quam firmam & durabilem suggerit Panis, advenit, sic ut usu illius nimio sanguinis exuberantia distendantur venæ, totum corpus majorem in molem assurgat, meatus obfarciantur, ac perspiratio impediatur, quod quidem ex bona & laudabili causa periculosus est ac damnosus effectus. Secundo quia quæcunque optima sunt, si propter copiam corrumpantur, eorum corruptela multo est deterior quam eorum quæ minus bona sunt; quemadmodum Baptist. Sylvatic. controvers. 6. & Vincen. Alsatius libro septimo de morbis lectione quadrages. sext. referunt ex Hippocr. lib. περὶ παθῶν. Cum ergo hoc panis vitium sic excessus bonitatis non malitiæ, nequaquam inde Panis vituperandus venit. Audiendum potius censerem Ichthiophagi illius apud Herodot. libro tertio de Pane censuram. Is cum sciscitatus esset quibusnam rebus vesceretur Rex Cambyses, & quodnam longissimum tempus vitæ Persis esset; audissetque vesci Regem pane, cujus totam historiam acceperat, nec Persas ultra octoginta annos vivere; tandem pronuntiavit; *Nihil se mirari si stercore vescentes Persæ paucis viverent annis*, οὐδὲν θαυμάζειν εἰ σιτεόμενοι κόπρον, ἔτεα ὀλίγα ζώουσι. Alludebat autem ad fimum & oletum quo stercorari agri solent ut fœcundiores reddantur, ex quo interdum non leve tritico vitium adnascitur utentibus perniciosum.

Histo-
ria.

IX. Eſtne nutritio panis an carnis melior? Reſpődet Petrus Hiſpanus comment. in lib. Iſaaci diætar. particul. panem magis vel melius nutrire accidentaliter, quod tardè convertatur & multum immoretur: carnem vero magis nutrire naturaliter, quia citius digeritur & citius diſſolvitur à membris. Vel dicendum eſt quod caro magis nutrit naturaliter & accidentaliter; naturaliter quia magis & citius convertitur in ſubſtantiam membrorum; accidentaliter, quia tardius ſeparatur à membris: & hoc patet, quia natura magis allicit nutrimentum carnis quam panis, & ſicut plus allicit etiam tardius ſinit abire, & ita plus moratur in membris & ſic plus nutrit accidentaliter. Quod ſi dicatur in pane eſſe cibum & potum, aquam ſcilicet & farinam: dicendum quod verum eſt, ſed illa humiditas eſt aquoſa, unde non nutrit, carnis autem humiditas aërea, calida & humida, cujus ratione nutrit.

Nutritio panis & carnis, quæ melior.

X. Cur repletio carnis minus nocet quam repletio panis? An ob rationem à Jacobo de Partibus allatam & problemate ſeptimo propoſitam? An ejus rei repletio minus timenda eſt, quæ minus nutrit tardiuſque convertitur in ſubſtantiã membrorum, ex quo levior argui poteſt panis repletio. Anne dicendum eſt ejus rei tantum repletionem minus eſſe timendam, quæ minus nutrit ratione tenuitatis ſubſtantiæ, non ratione impuritatis, quo ſenſu aſſerendum panem minus nutrire ratione impuritatis ac viſcoſitatis ſuæ, ejus idcirco repletionem magis timendam? Vide Petr. Hiſpan.

Repletio carnis levior.

XI. Cur magis nutrit ſiligineus panis & candidus quam ater & ſurfuraceus? An quia candor

De albo & atro pane.

ex medulla tritici, nigrities ex cortice: nutrit autem triticum non cortice sed medulla? An quia albus magis attrahitur ad membra ob conformitatem naturæ quæ in colore consistit, ater vero conformitatem illam non habet propter furfures qui frigidi & sicci sunt? An quia albus diutius immoratur in membris, cum natura sit magis avida in ejus retentione? Nec dicendum est atrum magis nutrire, quod crassarum sit partium; sicut dicitur caro bovina magis nutrire quam caro pnlli: nam ratio hæc locum habet in rebus ejusdem generis, iisdem observatis conditionibus: at panis ater non nutrit ratione furfuris, sed medullæ quam parciorem habet quam candidus.

Panis optimus in Scotia.

XII. Cur in Scotia optimus omnium panis esse dicitur? An quia terra levis est, idcirco quod producit triticum leve? An quia singulis regionibus, aliquid singulare & eximium innascitur ratione soli & cœli? An quia triticum Scoticum minus terræ retinet propter terræ levitatem & raritatem; quemadmodum Theophrastus dixit libro quarto de causis plantarum cap. 10. trimestre triticum levius esse, quasi minus terræ retineret propter temporis brevitatem à semente ad messem! An quia gelido solo nascitur & diuturnis nivibus operto, sicut idem Theophrast. refert de Pontico tritico quod κουφότατον καὶ σκληρότατον vocat, *facillimum & durissimum*, tum ob solum leve, tum ob gelu & nivem cujus commoda recenset Scaliger comment. in libr. secund. Theoph. de caus. plant. cap. 2. *Nix*, inquit, *postquam incubuit, duo facit, dum manet* ἀναζυμοῖ *fermentat locum ipsum, itaque etiam cruda terra dicitur inepta. Intus igitur calorem concludens quem deprehendit coquit arvum. Deinde cum solvitur & macrescit*

Nivis effecta

ſenſim ſubit. Adderet nivem fumi vicem gerere. Omnino enim ex nive fit aliquid lutoſum. Ad hæc ita cenſeo, nivem multum concepti aëris continere, tota namque ſpuma eſt. Omnis autem aër principium cujuſpiam pinguedinis eſt. Nix vero ita gelat tellurem, ut non compilet, ſed potius diſſipet. Sub nivibus enim ſolum non ſolidum ſtipatumve, ſed ſolutum invenimus. Hæc Scalig.

XIII. Cur panis ſine alio cibo ſumptus in ventriculo corrumpitur & aceſcit, curve in ventriculo minus? An quia ſubſtantiam admodum lentam & pituitæ proximam producit? An quia acor fermenti caloris vehementia acidum humorem invehit, qui pituitæ ſapor eſt? An hoc tantum contingit in pituitoſis ſtomachis aut pravo humore oppletis, quorum calor debilis temperamentum panis ad calorem inclinans & aliquo pacto biliosum ſuperare nequit, unde corruptio & Aciditas? Certum enim eſt bilioſo ſtomacho homines hoc non pati cum panem conficiant, teſte Galen. lib. ſecundo de temperamen. cap. 6. propter ſiccum & igneum ventriculi calorem. Idipſum confirmat Avicen. fen 3. Doct. 2. cap. 7. dum ait eos qui igneo ſunt ſtomacho, validos & difficiles coctu cibos digerere; ſubtiles vero & coctu faciles corrumpere. Vide Aphrodiſ. probl. 17. libri ſecundi. Panis ſolus corrũpitur.

XIV. Cur panis calidus frigido humidior ſitim excitat? An quia plus humoris quidem habet, aërei, ſed non aquei, cujus proprium eſt ſitim ſedare? an quia humorem habet aqueum actu & potentia calidum, proindeque vim deſiccandi habentem? an quia poroſitate ſua ac raritate ſuccos ventriculi ebibit & exſugit? Panis calidus ſitim excitat.

XV. Cur panis calefactus frigido ſuavior? An Calidus

panis suauior frigido. quia calore blando dilatatur & attrahitur foras humor inteſtinus & è centro circumquaque diffunditur? mediocriter autem humida, ſapidiora ſiccis? an quia calore guſtus acumen excitatur, frigore infringitur, quo fit ut meatibus linguæ per calorem patefactis ac veluti reſeratis dulcedo panis altius ſubeat? an quia calor viſcoſum panis humorem eliciens, facit ut aliquo pacto ori & linguæ adhæreat, diutiuſque in partibus guſtus retineatur? Conſentaneum autem rationi eſt; ut aliquid dulcius ac ſuavius ſentiatur quo diutius guſtatur, aut in ore detinetur.

Calidus frigido nigrior XVI. Cur panes calidi frigidis nigriores apparent? An quia calidis uberior ineſt humor; qui quidem cauſa eſt nigroris, poros opplendo, ſicut ignis cauſa eſt albedinis partes rarefaciendo? An quia calidi effumant exhalationeſque emittunt, à quibus pori obſtruuntur quæ obſcuritatis eſt cauſa?

XVII. An veteres calido pane uſi? Sic videtur Hieronym. Mercurial. libro ſexto variarum lect. cap. 5. & prælectionibus Bononienſib. in lib. Hippoc. de rar. vict. in acutis ob auctoritates & rationes quas cumulavit.

XVIII. Cur panis parum tritus & ſubactus & panis multum tritus facile franguntur? An quia parum tritus partes habet male unitas ac invicem colligatas; unde diviſio atque ſolutio facilis? an quia hic multum humiditatis continet, humida autem facile diffluunt? an quia panis multum ſubactus ſiccior primò fit agitatione, deinde coctione ſicciſſimus, unde humoris inopia cum contingit, facili negotio ſolvitur atque frangitur?

XIX. Cur panes frigidi humectati & madefa-

cti, si se tangunt non cohærent, calidi autem cohærent? Causas repete ex Arist. Probl. 6. sect. 21. & ex Pet. Aponensi in commentario.

XX. Cur Hebræi pane azymo usi? fermentone semper abstinuerunt? Quod ad postremum attinet, Cornel. Tacitus historiar. lib. 5. existimat eos à tempore cladis & famis hierosolymitanæ omni fermentato pane abstinuisse *Longam*, inquit, *olim famem crebris adhuc jejuniis fatentur & raptarum frugum argumentum panis Iudaicus, nullo fermento detinetur.* Falsa tamen ea opinio est ab ignoratione rerum Hebraicarum nata. Et sane, ut ait Lipsius in comment. hujus libri, *Strabo, Plutarchus, Democritus, apud Suidam multo majora deliria delirarunt contra hanc gentem & libros sacros.* Equidem verum est Hebræos pane azymo usos certis diebus religionis ergo, sed non ad victum quotidianum. Legimus Exod. 12. ob Angeli & Judæorum ex Ægypto transitum præceptum fuisse à Deo ut incipiente quarta decima die mensis primi à vespera Judæi comederent panem sine fermento ad vesperam usque diei vigesimæ primæ. *Septem dies*, ait Dominus, *fermentum non invenietur in domibus vestris. Omnis qui comederit fermentatum, peribit anima illa ex congregatione Israël. In omni habitaculo vestro comedie azyma:* ex quo factum est ut Hebræi festum illud vocarent azymorum. Sed cur potius pane azymo usi quam fermentato? an quia festinati cibatus erat symbolum, siquidem eodem loco scriptum est Judæos ex Ægypto fugientes coxisse farinam in subcinericios azymos: non enim fermentata fuit; quod ejecti ab Ægyptiis non potuerint expectare, neque pulmentum sibi facere ad viam. Fermentatio autem lenta & morosa res est, & à festi-

Institutio panis azymi.

Iudæi cur pane azyma usi.

nantibus aliena. An quia panis azymus ſincerior puriorque habitus eſt & adhibitus in ſacris tam apud Judæos quam Ethnicos? D. Paul. 1. Corinth 5. *azyma* vocat *ſinceritatis; fermentum* vero *malitiæ*, & Chriſtus juſſit ut diſcipuli caverent *à fermento Phariſæorum*. Plutarchus in quæſt. Roman. quæſt. 109. Flamini Diali non licuiſſe fermentum tangere obſervat, aitque: *Fermentum cum ipſum natum eſt ex corruptione, tum farinam cui admiſcetur corrumpit ut languidior fiat & inefficax; omninoque fermentatio putrefactionis ſpeciem gerit, quæ ſi modum excedat, plane aridam reddit & perdit farinam.* Galen. ipſe 1. de facult. alim. azymum feſtis uſurpatum docet. *Porro*, inquit, *qui fermento omnino caret, nemini prorſus eſt accommodus. Quod ſi caſei aliquid inſuper addatur, ut ruſtici apud nos feſtis diebus ſolent apparare, eoſque panes ipſi vocant ἀζύμους*, &c. An quia epulis celebritates exhilarari debent? at azymus panis dulciarius eſt inter τραγήματα, ſeu bellaria enumeratus à Græcis, quemadmodum demonſtrat Lang. epiſt. 56. l. 1. De aliis ſignificationibus panis azymi ac myſteriis, videndi Philo. Judæ. lib. de cong. quær. erud. grafia; & libro de ſacrificiis Abelis & Caini, Pererius in cap. 12. Exodi. & Franciſ. Georg. Venet. harmon. mundi Cantic. 2. toni 3. cap. 20.

Azymus panis venerē excitat. XXI. Cur panis azymus venerem excitat? Hæc enim fuit ſententia Didymi libro 2. Geop. cap. 31. πάντη γὰρ οἱ ἄρτοι οἱ ἄνευ ζύμης γινόμενοι ἐνεργητικώτατοί εἰσι πρὸς τὰ ἀφροδίσια. *In univerſum*, inquit, *panes abſque fermento facti efficaciſſimi ſunt ad venerem:* An quia viſcoſitas frumenti & craſſities in flatū vertitur? an quia multum nutrit, præſertim corpora valida & robuſta? an quia πνευματώδης exiſtit à tritici ſpiritibus, qui inter ſe fortiter uniti non diſ-

ſipantur niſi in ſecunda coctione quæ fit in corpore? an quia ſuccum melancholicum generat, melancholici autem libidinoſi?

XXII. Cur Rhaſes lib. 1. Aphoriſ. Aphor. 46. exiſtimavit eos qui panem azymum comedunt corda parva & hepata habere? an rationem habuit pravæ nutritionis quam affert, ex prava autem nutritione attenuatio partium & marcor hepatis & cordis tabem adferens? an per cor & jecur intelligendus eſt ſanguis venoſus & arterioſus, qui in illis partibus elaboratur, quorum exigua generatur quantitas in debilibus corporibus quæ pane azymo nutriuntur? an per corda parva puſillanimitas audienda eſt eorum qui eo pane veſcuntur? ſunt enim illi melancholici, quia melancholicum ſuccum, craſſum ſcilicet & frigidum ſanguinem panis ille adauget? an vero jecur parvum dixit lienis comparatione, quod lien infarctu humoris melancholici intumeſcat in hominibus pane azymo utentibus? Notum autem eſt vulgare illud, partes omnes tabeſcere, ubi lien ſemel luxuriat.

Pane azymo utentes corda parva habent.

XXIII. Cur Ægyptii ſacerdotes pane ſalito olim abſtinebant? an quod, ut ait Plutarch. ſympoſ. lib. 5. Probl. 10. ſal fugiebant ceu *delicatiſſimum obſonium* ac *condimentorum jucundiſſimum*? an propter caſtitatis ſtudium, cui contrarius eſt ſal, ut pote qui caloris vi libidinem proriret? an quia Sacro-ſanctus & divinus ſal exiſtimabatur, quem idcirco in prophanos verebantur deducere uſus?

XXIV. Cur ſalitus panis minus ponderat quem non ſalitus, cum ſalis adjectio ad pondus facere aliquid videatur? an quia ſal depopulatur atque deſiccat omnem humorem qui à ca-

lore ſolet putreſcere? humoris autem abſumprio levitatem inducit; hinc fit ut panes pridie facti leviores ſint quam cum eſſent calidi: an vero quia ſal ſua adſtrictione poros & meatus panis externos occludens, extraneam humiditatem aditu & ingreſſu repellit, ex quo & levior panis redditur & integrior minuſque ad corruptionem aptus?

Creta addita pani.

XXV. Quomodo vero pondus pani additur? Triplicem modum proponit. Joan. Baptiſt. Porta lib. 4. magiæ natural. cap. 19. Primus eſt, cum res additæ frumento pani pondus addunt, quemadmodum creta inter Puteolos & Neapolim in colle Leucogæo inventa. Secundus eſt, cum res quædam ſiccæ glutinoſæque natura, refractum elementum in panis ſubſtantiam conſpiſſant, impediuntque, ne inter verſandum, cribrandum, ſubagitandum, tenuior ac levior farina evolet, talis eſt oriza & milium. Tertius modus eſt per fermentum, quod velut tritici anima vegetat, creſci tut vivens. Rationem hujus fermenti lege apud eumdem.

XXVI. Cur Panes Perdiccæ Macedonum Regis dum mercenarius eſſet Regis Lebæorum in duplum creſcebant? Herodot. in Urania hiſtoriam recitat; ac ſcribit uxorem illius Regis ſua manu cibaria coxiſſe, retuliſſeque ad Regem, Perdiccæ mercenarii panem dum coqueretur in duplam molem quam eſſet excreſcere ſolitum; idque ſemper contingere? an vero prodigium fuit ac ſignum regiæ poteſtatis, quam adepturus erat Perdiccas? an vero ipſe Perdiccas nonnihil fermenti ſuis panibus addebat regina inſcia ac ignorante? an loco aquæ lacte paſtam ſubagitabat à quo panis intumeſceret?

XXVII. Cur panis albiſſimus lumbricos gignit? an quia dulcedinis multæ particeps eſt, abſtergendi vero facultate caret quia furfuribus caret: dulcia autem quæ minimæ detergent, apta ſunt generandis lumbricis? an quia magna quantitate ſumitur, ex copia vero cibi nimia cruditas, ex cruditate putredo, ex putredine vermis? an quia diu cunctando in ventre propter furfurum abſentiam putreſcit? Hoc loco non poſſum non reprehendere Sanctor. à Sanctorio meth. vitandorum errorum lib. quinto cap. undecim. qui ut probet lumbricos naſci ex pane albiſſimo, nititur auctorit. Galen. comm. 7. in libr. ſext. epid. tex. ſept. cum eo loco Galen. de albiſſimo pane non ſit locutus, ſed de impuro atque atro. Hæc ſunt verba Galen. ex interpret. Baptiſt. Raſarii, cum Græco exemplari deſtituar quod cum aliis Galen. operibus impreſſum non eſt. *Generantur feræ* (id eſt Lumbrici) inquit, *à crudo ſucco vel à pane, vel à leguminibus, vel ab oleribus: ipſæ vero & tormina, & morſus faciunt. Quocirca ſi quis pane impuro & cum leguminibus facto utatur, cumque frequens cruditas male habeat & edat ea in quibus ſit aliqua corruptela; is lumbricos in ventre habet ſine dubio, vel generabit.* Hactenus Galen. apud quem panis impurus idem eſt atque candidus Sanctorio. Sanctorii error.

XXVIII. Cur ater panis tenebras inducit? an quia impurum fœculentumque ſanguinem gignit à quo ſpirituum impuritas? an quia exiguum alimentum ſuppeditat & parciſſimum ſanguinem à quo ſpirituum inopia? an hoc tantum ſcurriliter & paraſiticè dictum à Philoxeno Cythereio qui cum in cœna quadam atriorem inferri panem animadvertiſſet; *Ne multum*, in-

quit, *appofueris, ne tenebras forte inducas*. Zuinger. volum. 9. theat. vitæ humanæ lib. 2. pag. 2239.

Lotus panis.

XXIX. Quæro quid ſit Panis lotus, quave ratione lavatur? Lege Mercurial. lib. 6. Varia. lect. cap. 17. Silvaticum controverſ. 6. & Joannem Baptiſt. Theodoſium epiſt. 7. Interim lotum panem differre ab Aquatico Plinii diſces, lotus enim non eſt novum genus panis aut nova præparationis ratio ante, ſed poſt coctutam: Sed Aquaticus is dicitur qui multa aqua eleboratus ante coctionem levis & ſpongioſus redditur.

Aquaticus panis.

XXX. Cur panis aqua aut vino madens efficacius ſitim tollit quam ſi duo illi liquores ſeorſim aut conjunctim ebiberentur? nonne propter moram quam trahit panis in ventriculo? ut enim aliquid ſiti adverſetur, in ventriculi orificio ſuperiori aliquantiſper inhęreat neceſſe eſt, quod panis ſuo lentore melius prętat quam aqua aut vinum quæ leviter idem orificium irrigant ob celerem eorum tranſitum.

XXXI. Cur Panis vino intinctus citius inebriat quàm vinum potum? an quia ut ait Pet. Hiſp. in Iſaac. lib. diæt. comment. panis ſolas partes vini vinoſas ebibit, aquoſas relinquit? an propter moram longiorem panis in ventriculo quam vini cito elabentis; quare diutius panis effumat è ſtomacho ad cerebrum, quam vinum ipſum.

XXXII. Cur Panis aqua madidus febricitanti datus ei reſtituit appetitum, ut ſcribit Avicen. fen 12. 3. tract. 2. cap. ſeptimo? an quia ſua mora ſtomachi inflammationem ardoremque delet, qui cibi appetentiam proſternebat? ratione quippe

quippe aquæ ſubbucit ichores bilioſos aut reprimit vapores malignos ſtomachum ferientes & appetitum dejicientes : an ratione ſolius aquæ quam βοῤῥὸν vocavit Hippocr. 6. epid ſect. 4. an quia ſanguinem in ventris tunicis contentum modicè cogit & conſtringit? quæ autem id præſtant, appetentiam augere & procreare poſſunt, ut exponit Galen. comment. in locum Hippocr. prædictum.

XXXIII. Quamobrem vino cum pane febricitantibus oblato febris per calorem vini non intenditur, ſed minor eſſe incipit? Rationem reddit Alex Aphrod. problem. 66. libr. 2. quam ibi lege.

XXXIV. Cur qui Panis fruſtum grandiuſculum devorarunt iis ſingultus ſupervenit? Cauſam repete ex eodem Aphrod. problem. 47. libro primo.

XXXV. Quis erat Panis Doricus, quo nutritum Herculem narrat Theocrit. Idyllio 31. his verbis.

Δεῖπνον τε κρέατ' ὀπτὰ, καὶ ἐν κανέῳ μέγας ἄρτος
Δωρικὸς ἀσφαλέως κε φυτοσκάφον ἄνδρα κορέσαι.

In prandio carnes aſſa pro cibo ſunt, & magnus è caniſtro panis Doricus qui probe ſatiare poſſet ruſticum foſſorem? An idem eſt atque ἀκάθαρτος καὶ εὐτελὴς ſordidus & vilis, ut exponit Apollonii interpres; quique ſimilis eſſe poſſit Cilicio Pani quem apud Athenæ. lib. 3. cap. 27. Plato Comicus vocat μεγάλον καὶ ῥυπαρὸν magnum & ſordidum? an Doricus Theocrito eſt qui Ariſtophani in Luſiſtrata ἄρτος νεανίας appellatur, id eſt, καρτερὸς καὶ μέγας ſolidus & magnus adeo ut ſaturare valeat νεανίαν καὶ ἄνδρα φυτοσκάφον; Juvenili robore conſtantem virum & robuſtum

quemvis fosſorem? Si quis autem cur ejuſcemodi Panis Doricus à Poëta dicatur interroget, reſpondebo id factum, vel quod Dores alloquendo vulgarem panem deſignaret quo utebantur, vel quod muſicæ Doricæ rationem haberet cujus modus ex Athen. lib. 14. erat ἀνδρώδης, μεγαλοπρεπὴς καὶ σφοδρὸς, ſeverus, majeſtate plenus ac vehemens: quaſi innuat poëta Herculem non fuiſſe delicatulè ſed viriliter enutritum.

XXXVI. Quis dicebatur panis Popanus? quis gradilis? quis ſpeuſtitius? Scholiaſtes Ariſtophan, in Θεσμοφοριαζ. τὸ πόπανον ſic deſcribit. πόπανον λέγεται πλακούντιόν τι πλατὺ, καὶ λεπτὸν, καὶ περιφερὲς. τούτοις γὰρ τοῖς ποπάνοις καὶ πλακουντίοις ἔθος εἶχον αἱ γυναῖκες θεσμοφοριάζουσαι ταῖς θεαῖς προσφέρειν τὸ εὐπραγεῖν καὶ εὐτυχεῖν. *Placentula eſt*, inquit, *lata, tenuis, rotunda quam mulieres Cereris feſtum celebrantes ſolebant offerre.* Eam idcirco inter ἀναθήματα recenſuit Pollux Onomaſt. lib. 1. cap. 1. quæ ut Favorinus Camertes in lexico obſervavit, alio nomine ab Atticis dicitur φθοΐς. Idem Favorin. τὸ πόπανον deducit, vel ἐκ τοῦ πέπτω ſeu πέπτω, vel παρὰ τὸ πόπος, ὅ ἐστι θεὸς καὶ ἄναξ, ἵνα ᾖ πόπανον, ὡς καὶ περιέθη, τὸ τῷ πόπῳ ἄνακτι ὀσιούμενον. Alii popanos panes derivant à Popa ſeu Popax qui in veter gloſſ. immolator καὶ θύτης exponitur, id eſt, is qui victimas ad aram alligabat feriebatque & ſeceſpita jugulabat: ſed eędem gloſſæ Popam interpretantur πλακοῦν καὶ πόπανον, unde popinæ, popinones, & popani panes. Perſius ſatyr. 6. popam videtur uſurpaſſe pro pingui, quia ejuſcemodi erant popæ miniſtri, vel certe pro guloſo, quales ſæpe ſæpius erant ejus farinæ homines, qui ut ait Turneb. adverſar. libr.

29. capit. 7. *se hostiarum visceribus bene curabant.*

Quoad panem Gradilem, putavit Turneb. advers. lib. 26. cap. 34. eum fuisse qui in gradili templo Genii publici viritim dividebatur, de quo quidem templo Marcellini testimonium producit lib. 23. hanc tamen viri doctissimi sententiam reprehendit Francis. Juretus notis ad lib. 1. Prudentii contra Symmachum, scribitque panes gradiles dictos, quia dividebantur populo cura præfecti urbi & præfecti annonæ è gradibus qui in unaquaque regione urbis Romæ erant ad pistrina. Quatuor autem luculenta testimonia de iis panibus referuntur. Primum est Prudentii libr. 1. in Symmach. Panis Gradilis.

Et quem panis alit gradibus dispensus ab altis,

Alterum est ejusdem Prudentii lib. 2.

Quæ regio gradibus vacuis jejunia dira
Sustinet? aut quæ janiculo mola nota quiescit?

Tertium est Cassiodori Variar. lib. 9. epist. 5. *Hæc igitur vota damnantes præsentes direximus portitores, ut sive in gradu, sive in aliis locis frumentorum condita petuerint invenire, &c.* Postremum habetur libr. 14. Cod. Theodos. tit. 7. de annonis crivicis & pane gradili. Consulatur Cujacius ad tit. de conditis in public. horr. lib. 10. Cod.

Cæterum panis Speusticius à festinatione dicitur, ἀπὸ τοῦ σπεύδειν quod est accelerare. Hujus mentionem & preparationem videtur Cato cap. 74. de re rust. docuisse, loco enim depsitici legendum puto Speustitii: quid enim panis depsiticus? depsere est subigendo manibus aliquid molle & tenerum reddere: nonne omnis panis subagitatione mollis & tener evadit? nonne omnis panis Speusticius panis.

depſiticus eſt, id eſt ſubactus, tritus, ſubagitatus? Illic ergo Cato modum docet citiſſimè præparandi panem. *Manus*, inquit, *mortariumque bene lavato, farinam in mortarium indito, aquæ paulatim addito, ſubigitoque pulchrè.* Nihil hic novi in præparatione niſi propter feſtinationem, nam non apponitur fermentum, aqua non caleſit, poſt ſubagitationem nulla mora interjecta paſta igni committitur. Qui locus revocat mihi in memoriam cap. 12. Exod. ubi Iſraëlitæ Ægyptum deſerentes ſine fermento coxerunt farinam in ſubcinericios panes. Ex hoc patet ſpeuſtitium panem eundem eſſe cum Azymo.

Cur panis muceſcit.

XXXVII. Quamobrem panis muceſcit? An propter ſiccitatem? nam vetuſtiſſimus tantum panis ſitum trahit, quo vero vetuſtior eſt panis, eo ſiccior ac durior, adeout idem pani accidat atque Senibus hominibus qui ob ſiccitatem longis annis contractam marceſcunt ac moriuntur. Quod igitur eſt tabes ex ſenio in hominibus, id mucor eſt, & ſitus in panibus vetuſtis. An potius ob humiditatem externam ac ſuperfluam, quæ, vel ex loco ducitur, vel ex ambienti? humor autem ille ſuperfluus cum à calore panis debili conſervari atque contineri nequeat, corrumpitur, & partes quas imbuit ſimul corrumpit, quod ex eo manifeſtum eſt, quoniam partes molliores panis & partes vacuæ ac inanes primæ omnium muceſcant, quod in iis major humiditas aſſervetur. Accedit quod in loco clauſo ac minime perſpirabili, atque in valde humenti, citius ſitus contrahatur. In ſummum ſitus putrefactionis ſpecies eſt, iiſdem ergo de cauſis panis muceſcet, quibus alia corpora ſolent putreſcere.

XXXVIII. Cur si vetustate humescit ac mucescit Panis, mutari tamen in lapidem potest? Non desunt lapidosi panis exempla. Fabius Verricosus apud Senec. secundo de benef. panem lapidosum, hoc est, ut ait Lipsius, in lapidem duratum comparabat cum beneficio acerbo hominis duri & crudelis. Joa. Crassotus comment. ad lib. 4. meteor. narrat nostro ævo panem cum incluso pisce per cocto cum terra diu fuisset obtectus, postea deprehensum esse lapideum. Asservantur in Museo Calceolariano Veronensi duo panes lapidosi: unus miliaceus, alter ex secali qui adeo veros & germanos panes referunt, ut vulgus ignarum facilè deciperent. Unde illa mutatio? an panis terra obrutus succum lapidescentem imbibit, à quo postea induratur in lapidem? an hoc vehementi frigore terræ contingit, à quo panis velut congelatur? An virtutem seminalem terræ tribuemus, aut lapidi, qua formam suæ similem in materiam dispositam imprimit? An in peculiarem terræ illius naturam, qua panis obruebatur, rationem hujus effectus conjiciemus, quæ omnia in lapides convertere potest, sicut Vincent. nat. hist. lib. 8. cap. 5. tradit lapidem lunæ suspensum ex arbore fœtificare, aut quemadmodum Arist. lib. de mirabilib. cap. 42. refert in Myloinsula terram excavatam rursum concrescere ac generari? An forsan nunquam panis ille verus fuit, sed lusit natura in imagine, eadem ratione qua videmus alios lapides rerum diversarum simulachra referentes, quæ nunquam alia sub forma extiterunt? Hujus rei causæ repetendæ sunt ex Fortunio Liceto opere de spontan. viventium ortu. Panis in lapidem.

XXXIX. Cur cavet Pythagoras ne frangatur An frã-

gendus panis. Panis? An, ut ait Georg. Venet. probl. 468. sect. 5. tomi quinti, *significat non esse frangendam amicitiam? Panis enim ex multis granis in unum collectis, unionem amicorum designat, hinc fomentum illud celeberrimum vitalis cibi nobis à Christo cœlitus administrati; sub specie panis datum est, ut indicaretur teste Augustino amicitia, conjunctio & unio quæ esse debet in suscipientibus ipsum.* An in rebus omnibus agnovit harmoniam, quam non frangendam esse jubebat ne virtus rerum simul dissolveretur? Certe Diog. Laërt. in ejus vita scripsit eum opinatum esse *omnia per harmoniam constare.* An id dixit propter metempsychosin & transmigrationem animarum, non in animalia solum, sed in viventia etiam? Cum itaque in triticum admitti posset anima atque in panem usque migrare, species illi crudelitatis videbatur, fractione uti minime ad edendum necessaria: Panis tamen usum non prohibuit, quia ad vitam necessarius, nec mandi dentibus vetuit, quia dissolutione illa anima panis ore recepta migrabat in nobilius corpus, nempe in corpus edentis.

XL. Cur apud Græcos & Macedonas sponsus & sponsa nuptiarum die panem gladio divisum gustare cogebantur? an ut discerent fugiendas esse rixas & contentionem quæ amicitiam inter sponsos dissolvere nata est, sicut gladius panem in se unitum discindere potest? an eo more ostendebatur, inquit Curtius libr. octav. *parco & parabili victu conjunctos fide & opibus contentos esse debere?*

XLI. Quid Panis per somnium edi visus significat: an defectum nutrimenti, ut vult Hippocrat. libr. de Insomniis simulque animi tristi-

tiam? Nam *cogitatio ducitur naturæ ſinu, ubi igitur egemus cibo, ejus imago in appetitu excitatur: quia vero cibo indigemus, idcirco triſtamur, quoniam in pauco humido pauci ſpiritus, in paucis ſpiritibus animus demiſſior*, inquit Scalig. in comment. An ſignificat in ægris aut guloſis hominibus præteriti diei memoriam? ægri enim perpetuo cibum reſpirant quo ſanitas recuperetur, guloſi defixam ſemper habent mentem in cibos quos unicè diligunt. Hinc Theocritus in Idyllio vigeſimo quinto ſub perſona piſcatoris dixit,

——— ——— καὶ γὰρ ὕπνοις
Πᾶσα κύων ἄρτως μαντεύεται, ἴχθυα, κ' ἀγῶν.

Id eſt, *in ſomniis omnis canis panes ſomniat & ego piſces.* Sane quæ cupimus ſomniamus atque idipſum quod fatigavit vigilantes, pene ſemper ſe ingerit dormientibus, ex quo eleganter cecinit Claudian.

Omnia quæ ſenſu volvuntur vota diurno
Pectore ſopito reddit amica quies,
Venator defeſſa thoro cum membra reponit,
Mens tamen ad ſylvas & ſua luſtra redit:
Iudicibus lites, aurigę ſomnia curſus,
Vanaque nocturnis meta cavetur aquis.

Cæteras panis ſignificationes ex ſomnio apud Artemidorum & Syneſium poſitas lector curioſus videre poterit apud Cardanum libro primo de ſomniis cap. quadrageſimo quarto. Jam enim tempus eſt ut ſomniis noſtris modum imponamus & finem huic prolixæ animadverſioni ſed neceſſariæ propter dignitatem & excellentiam panis, cui hactenus, quod viderim, nemo Doctorum peculiare opus dicavit cum de Nota,

vino & aqua eorum qui ſcripſerint, infinitus penè ſit numerus.

De Vipa & Offa.

Cap. XVIII.

Bis duo Vipa facit, mundat dentes, dat acutum
Viſum, quod minus eſt implens, minuens quod abundat,
„ *Ingeniumque acuit: replet, minuit ſimul Offa.*

Vipa. Hic quatuor recenſentur commoda Vipæ: Primo dentes mundat. Panis enim vino imbutus diutius circa dentes moratur, atque eam ob cauſam facilius etiam fœculentam materiam ipſis adhęrentem abſtergit ac conſumit: quam vinum per ſe ſumptum. Deinde, viſum acuit: malos enim fumos, qui è ventriculo cerebrum petunt, ſuaque permiſtione ſpiritus viſivos obſcurant, reprimit: adeoque materias pravas ſtomacho inhærentes concoquit, incidit & deorſum pellit. Tertio, cruda concoquit: quia os ventriculi leni quadam adſtrictione claudens concoctoriam facultatem roborat, plurimumque alimenti corporibus exhibet. Quarto vero, vitioſorum humorum multitudinem minuit: eos enim concoquit, incidit, exſiccat, & deorſum expellit: idque maxime, ſi panis aſſatus prius, aut ſuper prunis exſiccatus fuerit. Quin eodem modo etiam ſuperflue concocta ad συμμετρίαν revocat. Porro de Vipa quam Gallice *Souppe au Vin* vocant, Hermolaus Barbar. cap. 65. libr. 5. corollarii

in Dioſcoridem ita ſcribit: Erat veteribus jentaculum, buccea ex vino, quod genus Barbari à vino & pane Vipam vocant. De eo Athenęus lib. 1. Deinopſ. ſic ait: πρωινὸν ἔμβρωμα, ὃ ἡμεῖς ἀκρατισμὸν καλοῦμεν, διὰ τὸ ἐν ἀκράτῳ βρέχειν, καὶ προσίεσθαι ψωμοὺς, id eſt, matutinum edulium ſive jentaculum, quod nos ἀκρατισμὸν vocamus, propterea quod panis buccellæ mero tingantur. Lege de eodem Plutarchum in Sympoſ.

Animadverſio.

DE pane ſicco qui vel cum obſonio, vel ſine obſonio edi ſolet actum, eſt capite pręcedenti: Nunc vero diſputatio eſt de pane madenti ſeu vino tincto, ſeu juſculo, ſeu aliquo alio liquore fuerit. Panis vino imbutus dicitur Vipa barbaro nomine à vino & pane deducto, quam ad dentes detergendos, acuendum viſum, & ingenium nobis proponunt Salernitani. At panis juſculo ſeu brodio tinctus, offa vocatur; quam aiunt & replere corpus per nutritionem, & minuere per excrementorum abſumptionem. Eſt ergo Vipa nihil aliud quam panis buccea, ſeu bolus puro vino madidus; quem in veterum jentaculo pręſumptũ monuit Athen. 1. Deipnoſ. cap. 9. & Plut. lib. 8. Sympoſ. probl. 6. Quæſtio autem eſt num eas habeat dotes Vipa quas illi Salernitani tribuunt. Nam ut docet Andreas Baccius lib. 2. de natur. vinorum hiſt. cap. 18. *Vinum ſic avide imbibitum, à jejuno ſtomacho in hepar diffuſum, præter id quod calorem in eo exitat igneum & qui comburit ſanguinem redditque humores febribus indoneos: verum etiam acres illi vapores eoa cervati paulatim in cerebrum convul-*

Vipa unde dicta.

Vini noxæ.

siones, deliria, epilepsiam, & apoplexiam inferunt, & præterea omnium morborum fiunt communes causæ. Quam quidem sententiam deprompsit ex Gal. comm. 2. in lib. 2. Aphoris. Quo loco Gal. ait vinum meracum ante cibariorum esum liberaliter haustum, calamitates illas inferre. Verum Gal. & de vino locutus est metaciori, & de ejus liberaliore potatione & ipse Baccius de vino potenti sermonem habet; adeout inde nihil concludi possit contra Salernitanos, qui de Vipa quidem verba faciunt, sed ea quæ generoso & potenti admodum

Vipæ doles. vino sit imbuta. Tale vero alimentum quidni iis polleat dotibus quas illi Salernitani assignant præsertim in pituitosis & frigidiori temperamento hominibus & per constitutionem aëris frigidiorem? Quod enim ad dentium munditiem attinet, certum est, ea quæ liquidiora sunt, non tam cito hæsura dentium intermediis quam crassa & viscosa. Præterea cum è capite ichores multi in dentes decidant, à quibus redduntur & impuri & nigri; ea quæ gingivis robur addere nata sunt, dentibus mundandis mirum in modum erunt utilia: at & beneficio vini liquidior fit panis ac minus viscidus, seu inhærens; & ea virtute qua pollet, est enim vinum, ut ait Simeon Sethi οἶνος ὑποστύφων ἠρέμα *substringens placidè*, gingivas firmat & fluxionis impetum cohibet. Quod autem Vipa visum acuat, manifestum est; idque duobus prę sertim nominibus, quod minus est supplendo, & quod abundat minuendo. Duo sunt maximè quæ oculorum aciem infringunt: paucitas spirituum, & vaporum copia. Vipa quia est πολύτροφον alimentum, tam panis quam vini ratione spirituum materiam suggerit, sicque exinanitos spiritus cito reficit. At vero quia caliditas tenuitasque par-

tium vino ineſt, idcirco craſſos vapores diſſipat, intercipitque fumoſas exhalationes quæ è ſtomacho ad oculos feruntur, ubi producunt eam ſpeciem ἀμβλυωπίας καὶ ἀμαυρώσεως, quæ per ſympathiam ex metaſtaſi cauſæ morbificæ generatur. Duos illos modos acuendi viſus tetigernnt Salernitani ſecundo verſu, quod miror ab interpretibus obſervatum non fuiſſe. Tertius effectus Vipæ qui principio tertii verſus à nobis ex manuſcriptis noſtro additi continetur, Acumen eſt ingenii quod à Vipa procuratur, depuratione & defœcatione ſpirituum animalium. Dum enim moram trahit longiorem in ventriculo, blandos vapores in cerebrum immittit, qui cerebri varios anfractus penetrando in ejuſque ventriculos meando, frigidiuſcula ſi quæ ſint excrementa atque pituitoſa placidè excalefaciunt, calefacta digerunt, digeſta depurant; ſicque rectificant & recreant ſpiritus animales operationeſque intellectus perficiunt. Verum quia hæc effecta potius pertinent ad vinum quam ad panem; idcirco plura non addam donec ad caput de vino perventum ſit.

Cætera pertinent ad Offam quam gloſſæ veterer μᾶζαν interpretantur. Plurimum ramen differunt inter ſe veterum Maza & Offa noſtra. Erat enim μάζα, vel ex hordeo panis, vel ut Erotiano placuit, farina quævis cum oxymelite, poſca, mulſa, aut aqua mixta; ſic ut parum à pulte diſſentiret. At Offa noſtra panis eſt aſſulatim ſectus & calenti juſculo aſperſus. Offam quoque veteres vocabant maſſam eſcæ in modum pultis redactam; Sed noſtra eſt juſculenta, quæ pro ratione juſculi quo madeſcit varias Offa.

Offæ vires. facultates assumit. Etenim si juscula sint butyrata, si oleata, si adipata, hoc est cum butyro, oleo, aut aliqua pinguedine cocta, si cum carnibus præparata, si herbis & oleribus saporata, dubio procul nonnihil virtutis retinebit ejus rei cum qua jusculum paratum fuit. Offæ genus est *panata*, infriatus scilicet panis minutatim ac frustatim fressus atque in jus seu decoctum optimarum carnium conjectus, quo cum interdum commiscetur minutal, reparandis viribus aptissimum pulmentum. Est & aliud genus novum & suavissimum quod Bisquam vocant. In plurimo jure armi vitulini panis immergitur & incoquitur, jusculum ex decocto columbarum, cristarum Gallinacearum, ac testiculorum, palati bovilli scustulatim concisi, uvatum corinthiacarum, cariophyllorum & similium admiscetur, fitque ex arte *Offa*, & scitissima & nutritioni aptissima. Porro offarum genera admodum nutriunt; præsertim jusculis carnium madentia. Nam ut ait Celsus lib. 2. *tum res eadem magis alit jurulenta quam assa, magis assa quam frixa.* Enimvero si id censetur magis nutrire quod plus alibilis succi continet, certè Offa multo magis nutriet quàm succus panis, cum præter nutritium panis succum, alibilem quoque substantiam jusculi contineat. Non sine ratione igitur Offa corpus replere dicitur, cum πολύτροφος sit ac plurimi nutrimenti particeps. Quomodo autem corpus minuere perhibetur si ita repleat? an augendo bonos humores dicitur minuere vitiosos? an de Offa id subintelligendum est, quæ aquá frigidâ simpliciter imbuta est, quæque propriè *Panis lotus* nominatur? is enim admodum tenuiter nutrit, quemadmodum ait Cornel. Cels. lib. 2. cap. 18. ob idque

Panata. (margin)

idque corporis ſubſtantiam minuit. Nam teſte Galen. comment. in lib. 1. Aphoriſ. Hippocratis; quæ multum alunt corpus implent & impinguant, quæ mediocriter nutriunt, corpus in eodem ſtatu conſervant, at quæ tenuiter & leviter alunt, corpus imminuunt & attenuant.

De Piſis & Fabis.

Cap. XIX.

Piſum laudandum nunc ſumpſimus ac reprobandum.
Eſt inflativum cum pellibus, atque nocivum,
Pellibus ablatis ſunt bona piſa ſatis.
„ Manducare fabam caveas, parit illa podagram.

Inquiſitione dignum videtur, quod de piſis hoc loco traditur, nempe ipſa laudem mereri quandoque, nonnunquam vero & vituperium. Ubi ſcire ante omnia convenit, ipſa duas habere facultates, adſtrictoriam nimirum & purgatoriam: quarum hæc certè in ipſorum velut carne eſt, illa vero in corticibus. Laudantur igitur quæ adempto cortice manduntur, culpantur quæ non decorticata ingeruntur. Priore enim modo ſumpta, ut in diætis univerſalibus Iſaacus id ipſum confirmat, ventrem ſubducunt: altero vero magis condenſant & adſtringunt, plurimumque flatulenti ſpiritus pariunt, ita ut pugna quædam ac tormina in inteſtinis excitentur; purgatoria quidem facultate ſuccum Piſa.

excernere volente, adſtrictoria vero retinente: hinc que intus affligitur natura, ab utroque horum divexata. Porro ſi piſa cortice ſpoliata manduntur, tunc purgatoriæ actioni maximè conferunt. Quod de Piſis hic dicitur, idem de omnibus ferme leguminibus, puta fabis, lentibus, phaſeolis, & ſi qua ſunt ſimilia, præcipue tamen corticem habentibus craſſiorem, ut de fabis & ciceribus nigris intelligendum eſt. Hac namque ratione legumina omnia, quemadmodum lib. 4. de vict. rat. in morb. acut. Aphor. 95. Hippocrates atteſtatur, flatuoſa ſunt, & cruda, & cocta, & fricta, & macerata, & viridia. Cortex prętere a in omnibus pejorem generat ſuccum, quàm quæ ipſorum velùt caro eſt. In ipſorum genere reperiuntur quędam alba & rotunda, cortice tenui, levi ac fragili, quæ tametſi una cum corticibus innoxiè mandi queant, pręſtat tamen ut decorticentur. Legumina viridia adhuc & nondum exacte matura valde tenuem habent corticem, ac minus ipſis diſcrimen ineſt, quo ad corticem ſaltem & carnem attinet, faciliuſque concoquuntur: quare ea nonnulli ſanis corporibus, quam matura atque exſiccata magis convenire arbitrati ſunt; quod tamen à veritate alienum videtur. Nam ea admodum eſſe excrementitiæ ſubſtantiæ & corruptioni magis obnoxiæ conſtat; quo fit ut à ſanis non uſque quaque citra noxam ſumi queant. Hoc tamen negari non poteſt, quod matura & exſiccata cum ab extimis corticibus purgata fuerint, ad victus ſalubris rationem, quam recentia non decorticata accommodatiora ſint: & è diverſo viridia, quam exſiccata cortice non ſpoliata. Porro cum omnium leguminum ſubſtantia inflet, concoctioni renitatur, craſſique &

pravi ſucci alimentum in corpus diffundat; meritò à victus ſalubris ratione excluditur. Brodium tamen ſive juſculum eorum, eo quod flatum cum omni & alimenti & concoctionis pravitate deponat, ventrem ſubducat, urinam cieat, venarum atque viſcerum obſtructiones amoliatur, adeoque adívaſorum etiam, quæ colatoria vulgo vocantur, nempe hepatis, renum & veſicæ emundationem ſit efficaciſſimum, non parum commoditatis in victus ſalubris ratione habere dignoſcitur. Cujus proinde uſum jejuniorum tempore, quando craſſis atque obſtruentibus utimur cibis, frequentiorem eſſe convenit. Multiplex porro ac varius hominibus leguminum uſus eſſe ſolet. Nonnulli enim cum ſalſis carnibus eſitant: quem modum Galenus lib. 1. cap. 25. de aliment. facultat. non probat. Nam hæ quoque ſanguinem craſſiorem & melancholicum magis generant. Quapropter non eſt his copioſius utendum, & maxime ſi cui corpus ſit aut melancholicum, aut craſſo, vel pravo ſucco abundet. Peſſimè autem coqui divitibus legumina ſapa apparant: quandoquidem legumina haud quaquam incraſſantium miſtionem poſtulant, ſed humidiorem potius, & quæ ipſorum craſſitiem incidat. Quibus vero ſapa commiſcetur, jecoris obſtructiones ſolent gignere; viſcerisque hujus ac lienis inflammationes inaugent, niſi melle addito meliora fiant. Perſpicuum autem eſt, quod & ſcirrhoſos viſceris utriuſque affectus ſapa exacerbat: Ut autem legumina eſui accommodatiora fiant, magis nutriant, & craſſum parvumque ſuccum amittant, in hunc fere modum coquenda veniunt: Sub noctem in aquam ferventem infundantur, ac pri- Piſorum coctio.

mo quidem in manibus diutulè confricentur, ut à cortice ſeparentur, deinde per totam noctem in eadem maçerentur, ſequenti vero die duabus, vel tribus ebullitionibus in eodem liquore, dum tertia quartave aquæ portio abſumatur, percoquantur. Aquam autem adhibere oportet leviſſimam, ceu pluvialem. Nam & hac citius coquuntur & molliora evadent, & concoctioni minus faceſſent negotii. Jus decocti colo tandem transfundendum, & ad uſus reſervandum. De quo ubi & quantumcumque libuerit, accipiendum, cúmque cinnamomo denuo & croco temperandum ad lentum ignem. Hoc enim pacto terream naturam magna ex parte deponet. Nonnulli duas partes zinziberis, unam piperis, aliquantum etiam cymini adjiciunt, quo facilius ſecedat: ad extremum aliquid aceti vinive, & butyri admiſcent, atque unica iterum ebullitione coquunt, ſpumam interea diligenter auferentes. Quod quidem in principio refectionis potiſſimum ſumendum. Illud poſtremo minime pręteteundum, quod brodium ſine juſculum cicerum & piſorum alborum multo ſit pręſtantius & humanæ naturæ accommodatius, quemadmodum & tota eorum ſubſtantia.

Animadverſio.

CErealibus herbis ſuccedunt legumina ſeu legumenta, quæ quod non ſecentur ſed vellendo legantur id nomen ſortita ſunt. Recenſentur quidem inter cerealia, ſed inter ea ex quibus panis non paratur. Sic enim Gal. definivit lib. 1. de

de aliment facult. ὄσπρια, inquit, καλοῦσιν ἐκεῖνα τῶν δημητρείων σπερμάτων ἐξ ὧν ἄρτος οὐ γίνεται. *Legumina appellant ea cerealia ſemina ex quibus non fit panis.* Dicuntur vero ὄσπρεια ἀπὸ τοῦ σπείρω, quod eſt ſero & ſemino; cujus perfect. med. ἔσπορα hinc σπείρειν καὶ καθ' ὑπερβιβασμὸν ὄσπρειον. Græci ad mentem Latinorum legumina χέδροπα vocant quaſi χειρόδροπα manu lecta & ſine falce, ut explicat Nicandri Scholiaſtes ad hos verſus theriacorum.

χειροδρόποι δ' ἵνα φῶτες ἄτερ δρεπάνοιο λέγονται,
ὄσπρεια χέδροπά τ' ἄλλα μεσοχλόου ἐντὸς ἀρούρης.

Quos ſic vertit doctiſſimus Gorræus,

Agricolæ ſi quando manus cerealia carpit,
Semina, & è terra ſine falce legumina vellit.

χειροδρόποι, inquit, Scholiaſt, οἱ γοῦν οἱ ταῖς χερσὶ δρέποντες ἤγουν θερίζοντες ἄνευ δρεπάνου, dicuntur χειροδρόποι, *vel qui manu legunt, vel qui metunt ſine falce.* Hæc ſemina ſoleo ego appellare, *Cerealium ſuccedanea*, quod in uſu hominum cibario cerealibus ſuccedant & ab eis ſecundas obtineant partes, cum plerumque vicem panis ſuppleant excocta, & in uſus mutiplices ciborum convertantur, jejuniorum præſertim tempore, quo vix ullus eis carere poteſt.

Porro leguminum differentias ad duo ſumma capita ſoleo revocare; ad *Siliquoſa* & *Capitata*. Siliquoſa tam ratione ſiliquarum in quib⁹ naſcuntur quam ſeminum, majora ſunt vel minora. Inter majora enumerantur Piſa, Fabæ, Lupini, Phaſeoli, Cicera, Cicerculæ, Lentes, Arace. Inter minora habentur Eruum Aphaca, Vicia, fœnum gręcum, Etyſimũ, ſeſamus, lolium. Ad ea quæ capitata ſunt & in ſiliquis non naſcũtur pertinent papaver ſativum, linum, cannabis, Orminũ, vitex &c. de quorum omnium facult. agit Galen. lib. 1. citato de

Leguminum ſpecies.

Legu- minum facultas.

alimen facult. Cæterum legumina omnia aſſertore Hippoc. lib. 4. de ratione victus in acutis part. 92. φυσώδεα ſunt καὶ ὠμὰ καὶ πεφρυγμένα, ἢ βεβρεγμένα, ἢ χλωρά; *flatulinta, inquam ſunt, & cruda & cocta & frixa, macerata & viridia:* hanc enim lectionem puto retinendam expungendo particulam ἥκιστα ut monuit Gal. in comment. Natura ergo leguminum eſt ut ſint ſtatulinta quacumq; ratione ſumantur; cruda, & cocta, recentia, ſicca, præparata, non præparata, propter nimirum ſubſtantiam eorum terrenam, crudam, craſſam, & excrementitiam, quam calor nativus ventriculi antequam digerat, in flatum vertit; quemadmodum antehac à nobis obſervatum eſt. Hanc Hippocrat. ſententiam confirmavit Gal. in comment. his verbis, ἐμπίπλησι τὴν κοιλίαν ταῦτα τὰ ὄσπρια καὶ δυσπεπτότατά ἐστι: *ventrem implent legumina omnia coctuque difficillima ſunt.* Huic vitio alterum ſuccedit; generatio pituitoſi humoris craſſi & fœculenti, quem qui veſcuntur leguminibus toto corpore cumulant, unde crurum potiſſimum imbecillitas contingit. Cujus quidem ſententiæ auctor eſt Hippocrat. tum lib. 2. Epitem. ſect. 4. part. 11. tum lib. 4 ſect. 4. part. 1: quibus locis obſervat. *In Aeno per famem aſsiduo leguminum uſu tam viros quam fœminas cruribus non conſtaſſe,* ſed imbecillitate laboraſſe. *Nimirum cum terreſtria duraque omnia propemodum ſint legumina,* ut ait Jacob. Steve in comment. *craſſos humores terreoſque cum quadam acrimonia ac flatu accumulant, qui ſenſim ſuo pondere deorſum ad crura ferantur, quo fit ut quemadmodum Ariſtot. problem. 5. ſect. 1. dicebat, quibus per famem crura tabeſcũt non aliam ob cauſam id accidit, quam quod nullum planè capiant nutrimentum aut ſane exiguum, ex cibis qui ſuapte natura parum nu-*

triunt; cujusmodi legumina omnia sunt. Imbecillitas ergo crurum in Aeno accidebat tum ob crassum succum in crura paulatim subsidentem, tum ob paucitatem laudabilis succi & alibilis illuc affluentis, tum denique ob nervos crurum crassis humoribus occupatos ac pene resolutos. Atque hæc communia sunt leguminnm vitia, quibus alia magis, minus alia laborant: singula autem *ἰδίας μοχθηρείας*, ut loquitur Hippocrat. suas habent nocendi artes & lædendi ingenia, quæ in singulorum historia recensentur.

Quod autem dixi æquè noxia non esse legumina omnia, id peculiari observatione dignum habetur. Certe cruda legumina deteriora sunt coctis; inter cocta, frixa & exassata elixis minus flatulenta. Sicca vero magis quam viridia; diu macerata aquis meliora non maceratis. Fresa autem & decorticata integris benigniora; Condita rebus aromaticis, attenuantibus, flatumque discutientibus potiora habentur. Denique si absque aliis cibariis ac pane multa copia edantur & frequenter, omnium deterrima. Præceptum est Gal. & Hippocrat. Quarto de acut. Leguminibus utendum non esse, nisi cum cibariis; hoc est cum pane triticeo, ut eo artificio malignitas leguminum panis bonitate castigetur.

Hæc erant meo judicio de leguminibus in universum definienda. priusquam de singulis disputaretur. Inter hæc vero imprimis occurrit Pisum quod Græci *πίσον* vel *πισὸν* quasi *πτισὸν* vocant *παρὰ τὸ πτίσσειν* quod est *καθαίρειν*, ac si quis dicat, legumen è siliqua purgatum, aut purgandi vim habens; quę facultas piso tribuitur. Favorinus tamen pisum dici vult, quod magna copia in Pisa Elidis urbe succrescat. *ὅτι ἐν πίσῃ τῆς ἠλίδος κατακόρως φύσαι.* Pisum.

Differentia pisorum.

Differentia Pisi multiplex; à magnitudine, colore, figura, regione, maturatione, coctione. A magnitudine alia magna sunt, alia parva. Magna nonnulli Romana vocant, alii ramularia, quod pedamento gaudeant; ubi viridia sunt rotunda, ubi resiccata angulosa, colore alias candido alias sordido. Parva Græci ὤχροι vocant, ut placet Dodonæo qui Ervilia cum pisis minoribus confundit: hæc autem majoribus deteriora sunt, maximè cum majora hortensia sunt & exculta. A colore pisum aliud viride, aliud album, aliud rufum sive cinereum, aliud ceruleum quod rarius existit, aliud rubrum & Americanum: sed candida & viridia aliis præstant. A figura quoddam est rotundum, quoddam angulosum. A maturatione, aliud cito, aliud tardè perficitur ac maturescit: à costione, aliud ad primam vel alteram ebullitionẽ coquitur, estque bonitatis eximiæ, aliud vero vel difficulter coquitur, vel ebullitione indurescit; quod omnium est deterrimũ. Græci autẽ vocãt legumina coctibilia hoc est quæ cocturâ fiunt teneriora ac molliora, τέραμνα hoc est ὡπαλὰ καὶ ὄψανα: dura vero & coctioni inhabilia ἀτέραμνα id est δυσέψανα de qua leguminum affectione egit Theophr. lib. 4. de causis plant. cap. 13. Usus pisorum maxime spectatur in jusculis, æstate quidem & cum adhuc viridia sunt ac tenera; vel simul cũ folliculis, jusculo admiscentur, tumq; dicuntur λεπτολοβά, vel siliquis extricata. Hyeme autem & post maturitatem non comeduntur nisi exclusis folliculis, cortice per longam ebullitionem amoto. Pridie enim quam jusculum paretur, macerantur pisa in aqua tepenti, ut plurimum fluviatili (observatum enim est puteanâ aqua pisa coctioni reddi contumacia) tum diutissime coquuntur novam aquam af-

fundendo donec cortex ſponte ſecedat : Mox decoctum illud percolatur & leviter exprimitur, colatura nominatur *Depurata* gallice, *la purée*: quæ tandem cum butyro, ſale, radice petroſelini, aliiſve herbis coquitur in juſculum, pauco affuſo croco admodum ſuavi & colore aureo. Extra juſculum eduntur quoque piſa viridia quidem ac recentia excocta cum butyro, & panea ſatureia, ſerpillo aut thymo, vel etiam cum multa lactuca cocta & conciſa : ſicca vero frixa modo cum cepe, modo cum thymo, modo cum ſolo butyro aut oleo. Jam uſus invaluit ut quovis anni tempore in conviviorum lautiorum intermediis dapibus quæ inter ſecundas & ultimas menſas apponuntur, integra piſa & λεπτολοβὰ exhibeantur, æſtate enim artificioſè reconduntur & conſervantur à coquis, non minus quam cæteri fructus. Jucundiſſimum eſt edulium piſum cum carne porci ſalita, præſertim quæ cum vertebris coctum, quod Galli vocant *Pois au lard*.

Quod ad tẽperamentum & facultatem Piſi attinet, cũ Gal.lib.1.de alim. facult. dixerit piſũ ſubſtantia tota cum fabis quãdam habere ſimilitudinem, fatendum eſt piſum tẽperamento eſſe frigido & ſicco in primo ordine, idq; cũ exſiccatũ eſt, nam viride & recens humidum exiſtit. Auctor tamen theſauri ſanitatis piſa humida & calida conſtituit, ac bilem flavam augentia, qua authoritate innixus neſcio, cum Galen. contrariũ ſenſerit, Oribaſium habuerit repugnantem, Dioſcoridem fautorem proferre nequiverit cum de piſis nihil ſcribat, Hippocratis denique teſtimonio gloriari non poſſit qui de primis qualitatibus piſorum non egit. Subſcribam potius Balthaſari Piſanello libr. de potulent & eſculent. facultatib. Piſa gradu primo Piſorum facultas.

frigida constituenti & humida temperatè esse dicenti; ac propterea calidis temporibus juvenibus & cholericis convenire. De aliis autem facultatibus Pisorum non convenit inter Hippocratem & Galenum. Nam Hippocrates lib. 2. de dięta, Pisa scribit inflare quidem minus quam fabas; sed per alvum magis secedere: Οἱ πισοὶ inquit, φυσῶσι μὲν ἧσσον διαχωρέουσι δὲ μᾶλλον. At Galenus lib. 1. de alimentorũ facultat. cap. de Pisis, notat his duabus rebus à fabis Pisa discrepare, tum quod non æquè ac fabæ sint flatulenta (atque in hoc convenit cũ Hippocrat. Galen.) tum etiam quod detergendi facultatem non habeant, ideoque segnius quàm illæ per alvum secedant, διὰ τοῦτο inquit, βραδυπορώτεροι τῶν κυάμων κατὰ γαστέρα εἰσὶν, quod etiamnum repetit cap. 7. libri de cibis boni & mali succi. Certè non est dubium, Galen. hîc ab Hippocrate dissentire sed an à veritate discrepet, non ita cuique obvium est. Ex recentioribus enim nonnulli, ut sunt nostri Interpretes, Ruellius, auctor Thesauri sanitatis, Pisanellus & alii, pisorum decoctorum cremorem alvum ciere volunt, quo factum est ut purgationis die tribus horis à sumpto cathartico decoctum pisorum exhiberetur proluendæ alvo, observante Fuschio in paradoxis: Multi vero ut Delchampius, Fuschius, Matheolus, secuti Galenum, hanc facultatem eis denegant; sed meo quidem judicio perperam. Constat enim experientia decoctum pisorum alvum ciere, quippe cum multi qui alvo sunt adstricta, quadragesimali jejuniorum tempore quo frequẽter jusculis pisorum utuntur, fluidam habeant alvum, quotidieque dejiciant excrementa minus dura quam alio tempore cum pisis abstinent. Ergone Galenus deceptus est? Ergone ab Hippocratis doctrina deflexit? minimè:

Hippocratis & Galeni dissensus.

Hippocrates enim piſi decoctum conſideravit, Galenus ſubſtantiam. Decoctum piſi hauſtum magis laxat quam decoctum fabæ: ratio eſt quia faba magis quidem deterget, ſed deterſionem illam habet non in ſuperficie ſed in imis profundiſque partibus ac idcirco difficulter & ægrè eximitur quavis ebullitione facultas illa ῥυπτικὴ: Pręterea fabæ duriorem ſolidiorē & contumaciorem habent ſubſtantiam, proinde magis fermentatam ægriuſque diſſipabilem: At Piſa vim detergendi habent in ſuperficie, ſubſtantiam præterea minus compactam magis vero laxam καὶ χαῦνον ut loquitur Paul. Aegin. lib. primo capite 79 proinde vis deterſoria levi ebullitione ſeparari poteſt à piſis, & migrare in eorum decoctum, unde fluida ſit alvus ſumpto eo decocto potius quam fabaceo, ut voluit Hippocrates. Verum quia Galen. eſum piſorum & fabarum intelligebat ſecundum totam ſubſtantiam, ut ipſe loquitur, non penes decoctum, ideo contrarium protulit, nec injuria: nam decoctione piſorum vis detergendi in ſuperficie poſita abit in decoctum, remanent ergo piſa ea vi privata: At fabæ quia eam in profundo ſitam habent, idcirco penè totam ac integram poſt ebullitionem conſervant; Hinc tandem contingit ut fabæ ſecundum ſubſtantiam aſſumptæ, magis detergeant quam piſa, & ex conſequenti non ita tardè ſecedant. Eſt itaque utraque ſententia Hippocratis & Galeni veriſſima; adhibito hoc diorïſmo, quem miror neminem Medicorum qui contradictionem illam obſervarunt, hactenus olfeciſſe: quod tamen neceſſarium erat ad determinandam piſorum facultatem inter Medicos controverſam.

Cōciliatur Hippocrati Galen.

Ad Piſorum naturam accedunt *Cicera*, Græcis Cicer.

ἐρέβινθοι, Gallis *Pois ciches* appellata. quidam autem cicer deductum volunt à voce Hebraica Kiccar, cicar, qua circularis ſeu orbicularis aliqua portio deſignatur, quaſi Cicer ob formam circularem atque rotundam id nominis ſortitum ſit. Ejus duas ſpecies conſtituit Matheol ad lib. 2. Dioſcorid. ſativum & ſylveſtre. Illud trium eſt generum; candidum, ſeu columbinum, rubeum ſeu venereum & nigrũ ſeu arietinum. Candidum, inter omnia dulcedine præſtat, rubeum ad excitandam venerem aptius eſt, nigrum præ cæteris urinam ciet. Silveſtris tres quoque differentias facit Bauhinus ex varietate folliculorum deſumptas; quas ut minus neceſſarias prętermittimus.

Species

Vſus.

Uſus Cicerum, ut Piſorum eſt, non ita tamen frequens nec ſuavis eſu, medicamentis opportunior. Temperamentum, ut ait Simon Sethi, θερμόν ἐστι, καὶ ὑγρὸν κατὰ τὴν πρώτην ἀπόστασιν: calidum eſt & humidum exceſſu primo; ſubſtantiæ particeps eſt partim ſalſæ, partim dulcis: inflationes excitat non minus quam faba; ſed valentiùs nutrit, venerem quoque ſtimulat & ſemen auget; cujus gratia admiſſariis equis olim exhibitum obſeruat Galenus. Vim præterea habet abſtergendi potentem, adeout nigra cicera contractos in renibus calculos evidenter frangant atque comminuant. Aëtius lib. 1. cicer dicit eſſe ὄσπειον φυσῶδες, τρόφιμον, εὐκοίλιον, οὐρητικὸν γάλακτος, καὶ σπέρματος, καὶ καταμηνίων ἀγωγὸν, *legumen flatuoſum, alimentoſum, ventri commodum, urinam ciens, lac. & ſemen generans menſeſque ducens*, facultatis inſuper attrahentis, diſcutientis, incidentis ac extergentis δυνάμεως ἐπισπαστικῆς, διαφορητικῆς, τμητικῆς, ῥυπτικῆς. Simeon Sethi cicer ait διὰ τοῦ ἁλυκώδους ὁμοῦ, *partibus ſuis ſalſuginiſis* ventrem ſtimulare διὰ δὲ τὸς γλυκείας

ποιότητος; *sua vero dulcedine*, urinas provocare. Miror autem Lilium Gyraldum. Simeonis Interpretem scripsisse nigrum cicer contra venena velere, cum nemo veterum id observarit, nec tale quid in Græco Simeonis reperiatur. Hæc sunt Simeonis verba: οἱ δὲ μέλανες φαρμάκου τόπον ἔχουσι διὰ τὴν ἐνέργειαν· διουρητικώτατοί γάρ εἰσι, καὶ τῶν ἐν τοῖς νεφροῖς καὶ τῇ κύστῃ λίθων θρυπτικοί. Hæc sic vertit Gyraldus. *Nigrum vero cicer medicamenti vim habet adversus venena & maxime lotium ciet, & franget calculos renum & vesicæ.* Deceptus est vocabulo φαρμάκου, quod credidit positum pro veneno; Nec animadvertit mentem Simeonis esse describere tantum alimenta inter quæ reposuit cicer. Sed cum sciret cicer alimentum esse admodum medicamentosum, idcirco subjunxit; Nigra cicera propter virtutem alterandi maximam non tantum alimenti sed medicamenti quoque locum obtinere, cum potentissimum sit diureticum, & lithonthypticum medicamentum. Addit Simeon cicer rubrum calidius esse albo & crassiorem generare humorem: Nigrum vero cum faba sumptum σώματος δυσεξίαν καὶ λιποσαρκίαν inducere. Porro notandus est alius errot Gyraldi in fine illius capitis ubi verba hæc Simeonis; οἱ δὲ χλωροὶ ἐρέβινθοι φυσώδεις εἰσὶ καὶ δύσπεπτοι, τινὲς δέ φασιν, ὡς καὶ εὐχροίας τυγχάνουσι περιποιητικοί, sic vertit, *Viride vero cicer instat, difficulter concoquitur, malumque, ut quidam alunt, colorem facit.* εὐχροίαν περιποιεῖν, estne malum colorem facere an potius bonum colorem commendare, fovere, tueri? Certe si Gyraldus legisset Dioscorid. lib. 2. cap. de ciceribus, observasset ea ipsa verba quibus utitur Simeon apud Dioscorid. esse, sic enim loquitur ἐρέβινθος ὁ ἥμερος, εὐκοίλιος, οὐρητικός, πνευμάτων γεννητι-

Gyraldi error.

Alius error Gyraldi.

Amabo

κὸς εὐχροίας περιποιητικός, &c. *Cicer ſativum alvo idoneum eſt, urinam ciet, inflationem parit, colorem commendat, &c.* quod quidem animadvertiſſe oportuit, ne Medicinæ ſtudioſi interpretibus fidem tantam adhibeant, ut græca exemplaria negligant conſulere. Et vero à Dioſcoride & Simeone non diſſentit Iſaac lib. diætarum particul. cap. de cicere; cum ſcribat eos qui cicere utuntur, *pulchræ cutis fieri, quod dilatata & extenſa caro luceſcat & clarificetur.* Quæ poſtrema verba ſedulo obſervanda ſunt ut intelligamus an εὐχροία illa & εὐεξία corporis ex bonitate ſucci alibilis qui eſt cicere oriatur an aliunde. Equidem Iſaac eam εὐεξίαν καὶ λιποσαρκίαν, non refert ad bonitatem ſucci alibilis, imo potius ad ſtatum quem excitat toto corpore cicer: *Nutrimentum*, ciceris inquit Iſaac, *quam fabarum majus eſt; non tamen bonum, ſed ad digerendum durum, ventoſitatem & inflationem faciens, in tantum ut carnem inflet & dilatet, & in ea idem faciat quod acetum in ſicco luto, aut fermentum in paſta: unde qui eo utantur pulchræ cutis fiunt, dilatata enim & extenſa caro luceſcit & clarificatur* Quod apud Athenæ lib. 2. deipn. cap. 14. Diocles ſignificaverat ἐρεβίνθους vocãs ζυμωτικοὺς τῆς σαρκὸς, hoc eſt eſu cicerum veluti fermento quodam molem carnis turgeſcere.

Dubitationes. Ex his quæ dicta ſunt nonnullæ occurrunt dubitationes diluendæ circa cicerum naturam. Prima eſt de eorum temperamento, quod diximus eſſe calidum humidum. Eſt enim in oppoſitum ſententia Avicennæ lib. ſecund. tract. ſecund cap. 132. exiſtimantis cicer calidum eſſe & ſiccum in primo gradu, cui non repugnat Galen. libro ſexto ſimplicium ſcribens, *calidum eſſe & modicè ſiccum cicer ſativum, ſylveſtre vero tanto calidius & ſiccius*

quanto & aerius & amarius. Eſt autem apud Gal. norma & index temperamenti calidi & ſicci amator, qui cum in ciceribus reperiatur demonſtrat ideo ea ſicci eſſe & calidi temperamenti. His objectionibus reſpondemus duplicem eſſe in ciceribus ſubſtantiam duplici qualitate perfuſam, ut ex Simeone Sethi protulimus. Prior extima & ſuperficiaria ſalſedine prędita eſt, ac ut ita dicam nitroſitate: ἁλμὴν vocat Theoph. cap. 6. lib. 8. hiſtor. plantar. Poſterior eſt intima, profunda, atque ut barbari loquuntur centralis dulcedinis particeps; à qua vim humectandi habet modicè atque calefaciendi; quemadmodum vim ſiccandi obtinet à priori illa per quam ſolum urere dicitur: & à Plinio libro decimo octavo capite duodecimo & à Tremellio apud Columell. lib. 2. de re ruſt. cap. 14. *Tremellius*, inquit, *obeſſe maximè ait ſolo virus ciceris & lini, alterum quia ſit ſalſæ, alterum quia ſit fervidæ naturæ.* Avicenna igitur ſuperficiariæ illius qualitatis rationem habens ſiccum cicer dixit, alii ratione dulcedinis intimæ ac plurimæ, humidum, Quod ad Galen. ſpectat, verſio latina Theodorici Gerardi ſiccum cicer ponit, at exemplar Gręcum Galen. & Venetian. & Baſilienſe ὑγρὸν habet, ſeu humidum. Altera dubitatio eſt de ventris ſtimulo; cur ſcilicet, venerem excitent cicera. Reſpondet Iſaac, tribus maximè nominibus, ratione *Caloris*, *Nutrimenti*, & *Flatus*. Inde occaſionem arripit Pet. Hiſpanus ſciſcitandi utrum cicer his qualitatibus prędítum magis excitet venerem, quam caro & vinum: Negat vero Hiſpanus, licet enim cicer plures cauſas contineat excitandæ veneris, non tamen æquæ potentes ac caro & vinum, quia quod materiam ſpermaticam copioſiorem producant, inferiora non ſunt

Altera difficultas.

ad venerem irritandam ipſis ciceribus. Admittit tamen in ægris & in quibus appetitus veneris languet cicera potentiora eſſe, & ut ipſe loquitur, *in viâ Medicinæ*, at non ita in ſanis & *in via diætæ*. Tertia dubitatio petitur ex Simeone & Iſaaco qui cum diureticum fateantur Cicer, monent tamen ulceribus renum & veſicæ ipſum eſſe admodum noxium. Unde hoc? an quia ſalſugine ſua mordicat exulceratas partes doloremque parit? an quia ſecum rapit in renes una cum materia urinæ ſordes multas, humoreſque billioſos à quibus ulcera ſordida fiunt, & ipſi meatus obfarciuntur; unde inflammatio & urinæ ſuppreſſio interdum contingit? Addo pro ἐπιμέτρῳ à Salernitatis & à Villanovano piſa & cicera confundi, quemadmodum fecit etiam Iſaac ex obſervatione Petri Hiſpani. Reſtat pars capitis ex manuſcript. noſtro addita de *Fabis* examinanda diſcutiendaque. Ergo quod Latini *Fabam* vel à Faliſca voce haba vel à Greca φάγειν dicunt, Greci nominant κύαμον παρὰ τὸ κύειν αἷμα ut ait Euſtathius. Etenim ſi quis, obſervante Luciano in vitarum auctione, elixam fabam certis lunæ diebus deponat, ſanguinem fecerit αἷμα ποιῆσαι: Vocantur & fabæ φάβα καὶ φαβάτα & à ruſticis ἔτνος. Cęteras ethymologias & verbi κυάμου ſignificationes non moror, cum ad naturam fabæ intelligendam nihil faciant. Satius erit fabam conſtituere duplicem: Ægyptiam & Græcam: Ægyptia nobis minus ut cognita ſic utilis, Græca quæ & noſtras eſt, vel eſt ſativa vel ſylveſtris. Prior duplex; major & minor de quibus videndi Botanici.

Tertia difficultas.

De faba.

Vide Stuckium lib. 2. antiq.

Inter legumina *maximus honor fabæ*, inquit Plin. libr. decim. octav. cap. 12. quippe ex qua *tentatus ſit panis*, frumentaceis miſceri fabaceam

Fabæ uſus in cibis.

farinam apud quosdam populos ut solidior panis fiat, etiam hodie mos invaluit. Frequentius ejus decoctum usurpatur aut manditur, frixa apud rusticos & pauperes solùm, cum à ditiorum mensis hodiè expungatur, nisi forsan æstivo tempore cum recens est adhuc & viridis, tum enim decorticata & cum oleribus ac butyro cocta aut frixa suavissimè editur. Sicca interdum exassatur à rusticis, sed minimo profectu: licet enim minus flatulenta reddatur assatione, non faciliùs coquitur aut alvo secedit, sed tardius ac segnius. Est ergo elixa faba assatâ potior; quamvis Isaac contrarium senserit; Est quoque viridis minus noxia quam sicca, quia magis alvum lubricat ac humectat, nutrit tamen minus.

Faba virens ac recens temperamento est frigido & humido, resiccata sicco: Dioscorides tamen medio ait esse temperamento inter calidum & frigidum, cui sententiæ consentire Galen. Paulum Aeg. & Aetium, contendit Jan. Conarius lib. 7. dolabellarum in Paulum Aeginetam ad quem locum lectorem remitto. Hippocrates 2. de diæta, eam alere, sisteréque alvum ac inflare scribit, inflare quidem, quod impediat meatus ne supervenIens aliud alimentum suscipiant, sistere vero alvum, quum totam alimẽti fęcem habeat. Galenus 1. de alim. facult. in faba flatulentum cibum agnoscit, etiamsi coctus diutissimè fuerit ac quovis modo paratus: lib. vero 7. simpl. carnem fabæ detergentis esse facultatis monet, corticem adstringentis; quamobrem sine cortice ingesta ventrem non cunctanter permeat. Dioscorid. lib. 2. *inflationem excitare* ait fabam, *ægrè concoqui, tumultuosa somnia facere, tussi conferre, & carnem generare.* Oribasius synop. lib. 1. eam veneri com-

Fabæ temperamentum.

Facultates fabæ.

mendat. Actuarius lib. de Spiritib. cap. 5. ejus usu interdicit ob crassum sanguinem & flatum non dissimilem quem creat. Simeon Sethi notat, nonnullos arbitrari fabas mali esse succi; quod *bestiolas quasdam gignant quæ omnino ex putredine ac sordibus quibusdam humescentibus nascantur. Accedit ad hoc, quod fabas tradunt non solum mentem perturbare, sed & aciem ingenij hebetare eorum qui diutius in locis ubi plurimæ proveniunt, versantur: ea videlicet causa quoniam mali vapores & ferè pestilentes ex his redduntur, qui quaquaversum aërem inficiunt & corrumpunt, qui continenter illatus cerebri temperaturam subvertit, qua subversa infectaque, rationalis facultas ac vis hebebatur.* Hæc ille.

Fabæ veneré stimulant & extingunt.

Ceterum querit. Pet. Hispanus cur cortex fabarum adstringat, cortex vero tritici, ut dictum est, detergeat & laxet. Respondet autem id fieri propter corticis fabacei duritiem atque crassitiem, quæ impedit ne calor cœlestis imprimat in eum caliditatem atque raritatem; unde vis oritur detersoria. Animadversione dignum est quod fabæ intro sumptæ venerem stimulent, admotæ vero puerorum inguinibus, compescant; assumptæ flatu & nutrimento libidinis stimulos exacunt, admotæ vero & frigiditate sua & obstructione pororum, non sinunt materiam spermaticam in membra genitalia descendere. Hac etiam de causa appositæ locis ubi sucrescunt pili, faciunt ut illi subtiliores atque tenuiores nascantur; constrictione enim pororum subtilior evadit pilus. Inter fabarum utilitates, Plinius, Dioscorid. & Galen. recensent facultatem juvandi pectus & pulmones, quod intelligendum est de fabis fresis & excorticatis, quibus vis inest detergendi. Quem

profectò usum dum commemorat Lęlius Bisciola, tom. 2. horarum subsiciv. lib. 16. cap. 17. ad finem gravissimum errorem commisit in Paul. Æginetam quem sibi contradicere asseruit: affirmat enim Paulum Æginet lib. 3. cap. 28. de vaucedinis cura inter alia remedia proposuisse fabas cum suis corticibus alixas, quod certè Æginetæ verbis omnino repugnat. Verba Ægin. hęc sunt: ὑγρότητος δὲ καταλειφθείσης ἐν τοῖς μορίοις ἐπὶ τὰ ῥυπτικώτερα ἔρχεσθαι, οἷον ἐπὶ κυάμινον ἔτνος, &c. id est, *humiditate vero in partibus relicta, ad quæ magis extergunt deveniendum est, velut est puls fabacea:* vel Bisciola per ἔτνος corticem fabæ intellexit, quod non crediderim, adeo supina est ignorantia: vel ex aliorum relatione transcripsit inconsulto Æginetā quod factu credibile, cum hodie maxima scribentium pars ex aliis transcribant. Quid autem per κυάμινον ἔτνος voluerit Paulus, satis accuratè expressit Cornarius in versione ejus loci; interpretatur enim, *fabam fresam elixatam*, seu pulmentarium ex fabis fresis & deglubitis confectum: sic enim definit ἔτνος Galen. lib. περὶ εὐχυμ. καὶ κακοχυ. cap. 5. τὸ ἐκ τῶν ἐρεχθέντων ὀσπρείων τε καὶ χεδρόπων σκευαζόμενον, *quod ex decorticatis & fresis leguminibus paratur.* Nominatim vero Gal. comment. in part. 18. lib. 1. de vict. rat. in acut. ἔτνος κυαμίνων *pultem fabaceam*, recenset & comparat cum ptissana, pulticula, seu cremore hordei, prout cibus est non potus. Error Bisciolæ.

Cęterum Salernitani cum sum fabarum prohibeant, mihi revocant in memoriam symbolum Pythagoræ quo κυάμων ἀπέχεσθαι id est, *à fabis abstinendum esse* jubet. Multæ autem & gravissimæ rationes à multis adductæ sunt hujus pręcepti Pythagorici, quas in unum veluti fascem colli- Esus fabæ interdictus.

gere non pigebit. Marc. quidem Tull. lib. 1. de divinat. hanc causam produxit. *Iubet igitur Plato sic ad somnum proficisci corporibus affectis, ut nihil sit quod errorem animis perturbationemque afferat: ex quo etiam Pythagoreis interdictum putatur ne faba viscerentur; quæ res inflationem magnam habet. Is cibus tranquillitatem mentis quærentibus constat esse contrarius.* Et certe hæc ratio à veritate prorsus aliena non est, cum ex Dioscoride constet fabam gravia somnia inducere, & ut aiunt Psellus & Simeon Setht, *turbulẽta & non vera*; ὀνείρους ταραχώδεις καὶ οὐκ ἀληθεῖς, tum ob flatulentam ejus materiam tum ob κακοχυμίαν.. Cujus quoque sententiæ fuit Plinius scribens, *fabam hebetare sensus eximatam, & insomnia facere.* Nonnulli vero opinati sunt voluisse Pythagoram hoc præcepto à rei venereæ proluvio discipulos submovere, allusione facta ad testiculos quos Græci non minus quam fabas κυάμους vocant, quod sint τοῦ κύειν αἴτιοι; hoc est *pariendi auctores*, vel εἰς τὸ κύειν δεινοὶ, id est, *ferendo utero valentes*. Quamobrem Græci, ἀπὸ τοῦ κυάμου κυαμίζειν dixerunt quod est puellarum ætate maturiorum, cum virum appetunt, ut notat Ascen. ad cap. 11. lib. 4. Agellii, ex Scholiast. Aristophanis. Diogen. preterea Laert. in vita Pythag. ex Arist. lib. de fabis, observat fabas pudendis similes esse vel inferni januis: etenim ut ait Lucian. in vitarum auctione, si *fabam adhuc viridem exuas, videbis eam virilibus membris similem naturam habere*, quod etiam Bapt. Porta lib. 3. Phytognom. cap. quadragesim. quart. præclarè demonstravit. Igitur quod fabæ ὁ πάνγονοι εἰσι ab iis abstinendum censuerat Pythagoras. Non tamen pretermittendum, Laërtium dixisse fabas esse infœcundas, ob idque putasse nonnullos usum fabarum interdictum à Pythagora

1. Ratio. | 2. Ratio. | 3. Ratio.

Pythagora propter ſterilitatem, cujus, cum infœcundæ ſint, ſymbolum exiſtunt. Equidem cum ex omnium pene ſententia tùm ratione flatulenti ſpiritus cùm alimoniæ quam fabæ ſubminiſtrant corpori venerem excitare dicantur; ac præterea ex earum characteriſmo fœcunditatem promovere: ſuſpicari non poſſum quomodo & à Pythagora exiſtimatæ & à Laertio vocatæ ſint ἀγόνατοι. Dicam tamen quod in mentem venit; Primum eſt aliquid ineſſe fabis,ac præſertim earum putaminibus,quod fœcunditati obeſt. Apollonius Dyſcolus Alexandrinus lib. hiſtoriæ comm. cap. 46. refert ex Theophraſt. lib. 5. de cauſis plant. cap. 21. *putamina fabarum radicibus arborum appoſita, fructus ſiccare & corrumpere. Sed & gallinas domeſticas, ſi crebro ea edant, ſteriles fieri?* An vero arbores enecant exſugendo ſuccum terræ quo aluntur plantæ, an obſtruendo atque cõſtipando tum terrã ipſam, tum plantarum radices? an duritia ſua ac ſiccitate plantarum fibras emaciando? Quod ad ſterilitatem gallinarum attinet, puto eam à fabarum putaminibus induci tum earum ſiccitate, tum craſſitie à quibus redduntur δύσπεπτα & pauci nutrimenti. Alterum quod inquiſitione noſtra dignum eſt in eo conſiſtit, utrum quemadmodum fabarum putamina plantas & gallinas ſteriles reddunt, ſic fabæ ipſæ homini ſterilitatem inferant. Equidem multum intereſt an quis de viro hoc pronuntiet, vel de fœmina. Aliter enim excitatur venus in muliere quam in viro; aliudque eſt excitare ad venerem & aliud fœcunditatem promovere. Conveniunt omnes ob flatulentam fabæ ſubſtantiam venerem ſtimulari in hominibus quod penis diſtendatur & flatu turgeſcat; ſed propterea nec ſeminis augetur copia, nec ſemen ipſum calidius aut ſpiritu

An fabæ infœcundæ.

Nota.

genitali turgidius redditur, proinde nec fœcundius evadit. Excitant ergo venerem fabæ in viris & virgam intendunt, sed fœcunditatem non juvant. Melancholici omnes quia flatibus pleni, idcirco sunt libidinosi, sed parum fœcundi, quia flatus coitus quidem unam conditionem prędtat, virgæ erectionem, sed copiosi seminis ejaculationem ejusque fœcundi, quæ præcipua est fœcunditatis causa, ne minimum quidem promovet. Flatus autem in fœmellis non ita potest excitare venerem atque in viris, quia libidinis desiderium in fœminis non exurgit ab extensione aut erectione alicujus partis, sed potius ex attritu atque fricatione, quamobrem fabæ non ita forsan in
Nota. libidinem fœmellas irritabunt atque viros, quod propter partium diversitatem alia sit coeundi cupiditas in viris quam in mulieribus. Itaque facile assentior fabas sterilitatis causam esse posse in mulieribus, tum quia frigiditate sua temperamentum mulierum adaugent, tum quia crassitie venas mulierum angustas obstruunt ac infarciunt, quo fit ut materia seminis sanguis & spiritus exigua quantitate ad membra genitalia confluat. Pręterea duæ aliæ sunt rationes quæ fabas sterilitatis inducendæ damnare possunt. Altera est sensuum hebetatio ac torpor quam fabæ accersunt, seu ille contingat ex crassitie ac impuritate sanguinis à flatulentis crassisque earum fumis excitata, seu ex spirituum animalium fœculentia, atque pigritia, quam iidem fumi provocant. Altera est frequentia veneris quam flatu suadent. Qui enim flatulentis spiritibus turgent ex virgæ tensione coitum semper appetunt, quem si frequenter celebrent, sane periculum est ne sterilescant ex dissipatione spiritus genitalis & seminis fœ-

cundi quod admodum exiguum habent: fit ergo ut ex accidenti fiant fabæ sterilitatis causæ. Et hęc de fabarum sterilitate cujus gratia non existimo Pythagoram earum usum prohibuisse, sed potius ob libidinem quam irritant. Nec enim ab hac sententia repugnat mens eorum qui esum fabarum interdictum putant, non tam fabarum quam ovorum gratia à quibus abstinuisse Pythagoram monet Laertius, quod in eis foret, *ἡ τῶν ζώων κύησις animalium fœtura*. Et profecto Aristoxenus musicus Aristotelis auditor in libro quem de Pythagara reliquit, *nullo sæpius legumento Pythagoram dicit usum quam fabis, quoniam is cibus & subduceret sensim alvum & levigaret*, sed qui Pythagoram ovis dixerit usum nemo existit. 4. Ratio. Ovis abstinet Pythagor.

Cæterum cum multæ aliæ causæ hujus præcepti Pythagorici onumerentur, quæ nec ad Physicam nec ad Medicinam pertineant, silentio eas involvere mihi consilium est, prę sertim cum repeti possint ex Agellio libr. 4. cap. 11. Philippo Beroaldo in symbol. Pythagor. expositione, Stuckio antiquit. convivial. lib. 2. & 3. & lib. de Sacrificiis gentilib. Lilio Gyraldo syntagmat. 17. hist. deorum; Erasmo centuria prim. proverb. chiliad. 2. aliisque non paucis. Satius erit causam perstringere cur earum esum Salernitani prohibeant; ea vero est metus podagræ ob crassos viscidosque humores quos in corpore generant. Bene autem dixere *podagram*, non *chiragram*, quia supra monuimus ex Hippoc. in epidem. Eos qui in Æno leguminibus per famem usi essent, pedum imbecillitate laborasse: crassorum enim eduliorum proprium est deorsum fieri, sicut crassorum humorum ac terrenorum κατῤῥοπεῖν. Quamobrem 5. Ratio.

Arist. lib. 3. de Hist. animal. cap. penultimo, fabas largius datas ovibus, capris, bubus, capellis observat lac copiosum generare: *faciunt enim*, inquit, *ut ubera demittantur*; ποιεῖν γὰρ καθίεναι τὸ οὖθαρ.

Priusquam huic animadversioni finem imponam, duo examinabo. Primum est, quid voluerit Lucianos in vitarum auctione cum dixit, *elixam fabam si deponas certis noctibus sanguinem feceris*, ἔφη δέντα δὲ, ἢν ἑψήσας ἐς τὴν σελήνην ἀιθρίῃ μεμετρημένησιν αἷμα ποιήσεις. Alterum est quid velit proverbium gallicum, *florent fabæ*, cujus meminit Gilbert Cognatus. Quod ad primũ attinet, interpres Luciani Martin. Bolerus, quid hęc sibi verba velint non satis expressit: idcirco credo accuratius hoc modo illustrari posse. *Elixam fabam si emittas seu exponas ad lunam certis aliquot noctibus*, (sic enim dimensas noctes explico, quasi certum noctium numerum dimetiri oporteret ut sanguis è fabis fieret) *sanguinem feceris*. In quo quidem duo examinanda veniunt. Primum de luna, alterum de sanguine. Equidem Pythagoram superstitionibus magicis fuisse addictum qui ejus vitam legerit, facile sibi persuadebit, illudque ipsum & auctoritatib. & exemplis dudum probavit Jacob. Boissardus tractatu posthumo de divinatione in Pythagora. Hanc ob rem mirum non est, si lunæ & astrorum superstitiosus observator plantis multas virtutes vanas & ridiculas tribuerit. Imo vero, ut supra vulgum sapere videretur, nonnullas herbas invexit quæ Physicis omnibus ac Medicis nomine & facultate ignotæ erant; quales sunt hæ à Plinio enumeratæ; Coracesia, Callicia, Menais, Corinthas, Aproxis: quarum quidem cognitionem hauserat vel ex Ægyptiis ac Babiloniis, vel

Locus Luciani difficilis expositus

Pythagoras magus.

ex libro Mercurii Trismegisti continente *triginta sex sacras horoscoporum herbas*, cujus meminit Gal. proëmio lib. 6. de simplic. medicam. facultatibus. Ejuscemodi autem erant Pythagoricæ & Ægyptiacæ observationes, ut colligendæ essent herbæ vel preparandæ sub signo, Astro, vel Planeta cui dicatæ erant atque consecratæ; Et quia in signo tres erant decuriæ, quibus singulis singuli decani presidebant, idcirco herbæ signorum colligebantur sub decano decuriæ ad quam pertinebant; hincque vocabantur *herbæ decanorum*, ut videre est apud Galen. citato proëmio, quod nemo ante me observavit, idque copiosius epist. quadam ad Carolum Bouvart Doctorem Medicum Parisiensem virum ut in lectione Hipp. & Galen. versatissimum atque in omni scientiarum genere eminentissimum, sic in medicina facienda exercitatissimum. Herbæ vero planetarum planetæ sui nomen retinebant, quo factum est ut herbas fecerint, *Saturninas*, *Ioviales*, *Martias*, *Solares*, *Mercuriales*, *Venereas*, *Lunares*, de quibus egit Albertus magnus, Apuleius, Cornel. Agrippa, & Bapt. Porta. Enimvero fabam Pythag. illius vanitatis studiosus inter lunares reposuit herbas, cujus idcirco eliciendis facultatibus lunæ status observandus esset. Mirum ergo non est si lunæ exponeret fabam ad effectus magicos consequendos, quemadmodum Democritus apud Plinium lib. 24. cap. 17. Arianidem colligi jubet cum Sol in leone est. Ex eo vero colligimus fabam Lunarem herbam fuisse, *quod sola frugum*, ut ait Plinius cap. 12. lib. 18. *etiam exesa repletur crescente luna.* Deinde scimus ex phytognomicorum doctrina eas plantas quæ candidis sunt floribus aut versicoloribus, lunares esse, tum quod Lunæ sydus al-

Herbæ planetariæ.

Decanorum herbæ.

Faba lunaris herba.

bo vel argenteo colore ſplendeſcat, tũ quod lunæ colore varietur ad ętates ſuas. Addam & rationem tertiam ex ejus effectis depromptam, noxam intelligo quam cerebro (quod lunæ ſubjectum eſt) inferre ſupra obſervavimus. Quod ad ſanguinem ſpectat quam ex faba elixa lunæ expoſita elici dixit Lucianus, pręſtigium fuit Pythagoræ magicum, qui hęc ipſa & ſimilia facere ſolitus erat. Cęlius Rhodig. lib. 9. cap. 23. Pythagoram id ridiculum factitaſſe ſcribit, *ut quæ collibuiſſet ſanguine perſcriberet in ſpeculo, moxque litteris ad lunam orbis pleni obverſis ſtanti à tergo, ut in lunæ exaratas diſco, commonſtraret*. Hujuſmodi preſtigium Suidas in voce Θεσσαλὴ γυνὴ, vocat *πύταγον, παίγνιον διὰ κατόπτρου*. Sed fortaſſe non hoc magicum fuit, ſed phyſicum Pythagoræ artificium, quod è fabis ſanguini ſimilem liquorem extraheret. Etenim ſi rei ruſticæ cultores mangonio poſſint mala, pyra, citria, albas ficus rubore ſanguineo inficere, ſi pluvias interdum obſervamus ſanguineas, ſi ſucci terræ ſuccreſcant ſanguineo colore ſaturati, quidni Pythagoras ex alicujus rei additione rubicundas effeciſſet fabas, ut ea induſtria conceptam divinitatis ſuæ opinionem apud ſuos conſervaret ſimul & augeret? Et vero ſi eſſentiales quaſdam proprietates atque ſubſtantiales cum Chymicis liceat admittere, crediderim ex interna fabarum ſubſtantia educi poſſe artificio chymico ſubſtantiam quandam rubicundam, ac ſanguini perſimilem, quæ ſit velut fabarum elixir & fabalis ſpiritus balſamum: cum enim apud chymicos per ſimilia omnis actio procedat, effectus vero fabarum ad ſiſtendum ſanguinis fluorem comparatus ſit, neceſſe eſt ut ſiſtendi ſanguinis actio fiat per ſubſtantiã fabarum ſanguini quodadmodo ſimilẽ. Et

de hoc fortaſſe interioris ſubſtantiæ colore intelligendus eſt locus Helenii Acronis comment. ad ſatyr. 6. Horatii lib. 2. Serm. *Pythagoras*, inquit, *legumen omne negaverat comedendum, pracipue fabam veluti parentem coluerat, nã colorem ejus dicebat veluti humano ſanguine infectum.* Quod autem fabæ ſanguinem ſiſtant, non Paracelſiſtæ duntaxat, ſed & Medicinę Hippocraticę ſectatores prodiderunt. Dioſcorides lib. 2. cap. 93. ſcribit *coctam fabam cum poſca, & una cum cortice in cibo acceptum, dyſenterias & alvi profluvia cohibere.* Addit *fabam decorticacam in duas partes diviſam qua parte ex natnra coaluit, ad ſanguinis ab hirudinibus eruptiones imponi, ipſaſque cohibere ſi ſecundum ſemiſectam partem apponatur.*

Tranſeo ad proverbium gallicum *florent fabæ*, quo ſignificatur florentibus fabis nonnullos inſanire, & pręſertim fœminas. Ubi ergo quempiam inſanientem vident, ut occaſionem pręripiant quęrendicur inſaniat, Galli dicunt *florent fabæ*; quaſi velint dementiæ obnoxios homines, tum maximè in amentiam incidere cum fabę in flores erumpunt. Fundamentum hujus proverbii deſumptum eſt ex effectu fabarum, quas ex Simeone Sethi & aliis diximus ſubvertere rationalis facultatis arcem ſenſuſque hebetare. Sed ut hoc efficiant neceſſe eſt ut maligni earum vapores hauriantur, aut aër iis vaporibus ſit infectus. At cum eorum magna pars qui in furias aguntur, longè à fabis diſtet, idcirco hujus ſymptomatis cauſa minimè ad fabarũ flores poteſt pertinere, ſed ad aliud quippiam quod communis ſit cauſa tam inſanientium, quam florentiũ fabarum. Nolim cum Aſtrologis, Martis & Mercurii accuſare aſpectus, aut configurationes Solis & Lunæ in ſęcundo, ſexto, octavo, aut duodecimo

Proverbium de fabis.

ab horoſcopo loco in mediũ proferre, quid enim iſta ad fabas? Sed Solem accuſo ad nos propius accedentem & vernam tẽpeſtatem afferentem, quo quidem tempore & cũ genitalis arvorum ſpiritus ac vivificus terræ calor flores fabarum trudit, & natiuus hominum calor humorum orgaſmum ſuſcitat atq; commovet; unde tandem ii qui imbecillo ſunt cerebro & ad inſaniam propenſi natura exiſtunt, inſaniæ exacerbationes pariuntur: fit enim tunc tẽporis quædam humorum velut ebullitio non minus quam in ſuccis ac in muſto, ob aquoſa, cruda vel putreſcentia excrementa. Cum enim naturales rerum omnium ſucci, tria excrementorum genera contineant: terreſtre, quod in vino fæci reſpondet, aëreum quod flori vini, aquoſum & crudum, quod aquoſæ vini ſubſtantiæ ſimile eſt; ipſum eſt quod calore ferveſcens in humoribus & ſuccis ebullitionem facit; præterita hyeme collecti in humoribus aquoſi & crudi illi ſucci ſuperveniente Vere & calore increſcente, turgeſcunt, ac veluti ebulliunt. Ignea ergo humorum pars, velut ſubtilior ac tenuior ad cerebrum viam affectat, in quo cũ natura debile eſt & infirmum, inſaniam accendit. Quod autem eo tempore quo humores in corpore luxuriant, exacerbatio inſaniæ contingat, probari poteſt ex Anglorum conſuetudine cujus meminit Bodinus lib. 5. theatri naturæ. *Cur,* inquit, *Britanni furioſos quartadecima Luna verberibus cædunt? Id maximè ad ædes Nazareas Londini fieri conſuevit, cujus rei cauſam cum à cuſtodibus exquirerem, intellexi furorem iſta ratione coërceri, id vero Luna decima quarta faciunt quia tunc maximè ſanguis ac ſpiritus efferveſcit* Verum de hoc fabarum proverbio conſulendus eſt Levin. Lemnius lib. de naturæ miraculis cap. 9.

Cur Vere quidam inſaniat.

Humorum ebullitio.

Angli quo tẽpore inſaniãt.

Multa præterea de fabis & præsertim de Ægyptia adduci in medium possent, sed earum historiam universam hic non damus. Fabam Ægyptiam Colocasiam multi crediderunt Arum esse Ægyptium, sed eos reprehendit Fabius Columna in parte altera minus cognitarum stirpium cap. 10. Fabam Catharticam describit Balduin. Ronssæus epist. medicinali 28. & Nicol. Monardus hist. simpl. medicam. cap. 49. Fabæ quoque arborescentis meminit Clusius exotic. lib. 3. c. 6. Fabæ suillæ & inversæ historia habetur apud Botanicos.

Concludo cum partibus omnibus fabæ. *Siliqua* fabarum sunt *folliculi*; *fabalia* earum sunt purgamenta: Nigrum quod in faba summa visitur, *Hilum*: faba cum cortice vocatur *Solida* vel *Integra*, decorticata appellatur *Fresa*, fabæ farina est *Lomentum*: faba elixa cum suis corticibus *Conchis* nuncupatur, sine corticibus ἔτνος, farina fabæ elixatæ λέκωθος, divisa & semisecta faba ἡμιτόμος. Fabæ partes.

De oleribus in genere.

Cap. XX.

» *IUS olerum cicerumque bonum, substantia*
» *prava.*

Animadversio.

HUnc versum ex manuscrip. nostro addimus; quo præcipiunt nobis Salernitani ut jusculis

& decoctionibus olerum utamur; ab eorum vero substantia abstineamus. Est autem *Olus* omnis herba sativa quæ in usu cibario est, unde *ab alendo* olus deducit Isidorus originum lib. 17. c. penultimo. Placuit tamen Varroni lib. 4. de lingua latina ab *olla* derivare quod cruda olera in olla coquerentur. Josephus Scaliger olus ab *oleo* dictum putat, quod est cresco, translatæ enim in ortum herbæ ex agrestibus cultæ fiunt. Græci olus vocant λάχανον vel ἐκ τοῦ λαχαίνειν quod est fodere, oportet enim λαχαίνεσθαι ἢ σκάπτεσθαι τὴν γῆν ἐπὶ φυτεύσεως αὐτοῦ, vel παρὰ τὸ λάχειαν γίνεσθαι τὴν γῆν θρυπτομένην, vel denique παρὰ τὸ σφόδρα χαίνειν αὐτὴν σκαπτομένην ut habetur in magno Ethymologico.

Olus quid.

Magnus quidem olerum est usus, & si credimus Plinio, abusus quoque, cum in eis luxuria fecerit hujuscemodi discrimina, ut ex illis quædam plebi pauperibusque nascantur, alia plebis mensæ non capiant, sed solis divitibus apponantur. Recte autem observat Jul. Alexandrinus salub. lib. 9. c. 1. *olera, oleraceaque & hortensem ubertatem fructusque arborum diversi omnia generis & conditionis, nempe & paucißimi alimenti, probi rectique, mali autem & medicamentosi multi, malitiaque & vitiosißimi succi plurimi:* Adeout destinata potius olera sint medicamentis, quam alimentis. Exiguam enim habent facultatem nutriendi, plurimam alterandi, hoc est vel refrigerandi, vel calefaciendi, vel desiccandi, vel humectandi, vel duratam molliendi alvum, aut emollitam nimis durandi, vel demum quacumque ratione corpus nostrum adjuvandi. Sane Gal. lib. de aliment, facultat plantas omnes definit, *præter quam quod exiguum corpori præbent alimentum, succum etiam pravum generat-*

Olerum usus in cibis.

re, *& ex iis plurimas noxam ſtomacho adferre.* In qua ſententia fuit Diphilus apud Athen. lib. 2. Deipnoſoph. citra exceptionem enim olera omnia nihil alere ſcripſit, attenuare prȩterea, pravum ſuccum gignere, innatare ventriculo, difficulter digeri. Δίφιλος δ' κοινῶς φησὶν εἶναι πάντα τὰ λάχανα ἄτροφα, καὶ λεπτυντικὰ, καὶ κακόχυλα, ἔτι τε ἐπιπολαστικὰ καὶ δυσοικονόμητα. In quo quidem errare Diphilum voluit Dalechampius in notis ad Athen. quod olera omnia dixerit *attenuare*, cum frigida & humida non attenuent: ſed credidit Dalech. attenuare referendum eſſe ad humores, cum referendum ſit ad corpora, certum enim eſt ea corpora quæ ἀτροφίᾳ laborant, qualia ſunt quæ ἀτρόφοις & κακοχύλοις oleribus veſcuntur, fieri in dies λεπτοσαρκότερα & extenuata, ut ſapienter monet Caſaubon. ad illum locum. Notatur Dalechāp.

Cum igitur olera tam pravi ſint nutrimenti, ſapienter à Salernitanis cautum fuit ſolo eorum juſculo ac decocto utendum eſſe, & abſtinendum ab eorum ſubſtantia, quæ vel porraceam bilem in ventriculo, vel crudum, excrementiumque ſanguinem cumulat, melancholicum ac terrenum, interdum acrem, tenuem vel aquoſum, unde contumaciſſimæ obſtructiones, cachexia, atrophia, morbi longi ac diuturni exoriuntur. Eorum vero decoctum ut parum nutrit, ſic vim maximam medicamenti habet, ſeu refrigerando, ſeu humectando, ſeu alio quovis modo contemperando

Porro in uſum veniunt olera pene ſecundum omnes ſuas partes, alia quidem ſecundum *radicem*, ut paſtinaca, rapum, carum, alia, cȩpa, raphanus, quibus addi poſſunt fungi & boleti radixque chryſanthemi tuberoſi indici: allia *caule & folio*

placent;ut lactuca, portulaca, acetoſa, atriplex, ſpinacia, &c. nonnulla *cymis* delectant, ut fœniculum, anethum: quædam *germinibus*, ut aſparagus, lupulus; *floribus* etiam non pauca, ut roſa, viola, bugloſſa, braſſica, crocus. Alia *carne ac fructu,* ut cynara, fraga, cappares. Eduntur autem olera, vel cruda, vel cocta. Cruda ſi per ſe ſola ingerantur, omnino prava ac maligna, præſertim ſi agreſtia ſint & minimè exculta. Olim vero apparabantur cum muria & aceto, ſicque in totum annum ſervabantur provocandæ appetentiæ gratia, ex Gal. lib. 2. de aliment. His hodierna die ſuccedunt noſtra Acetaria, ſale, oleo, & aceto condita, interdum ſaccharo, quibus olerum craſſities ac frigiditas caſtigetur. In acetariis magnum gulæ irritamentum; imo luxuries præſertim apud Italos, & Romanos Principes qui *credentiariis* ſuis eam miniſterii provinciam munuſque committunt, acetaria conficiendi. Hyeme & æſtate eduntur, æſtivo tamen tempore minus noxia ſunt ob refrigerandi corporis neceſſitatem. Nonnunquam etiam cocta manduntur, vel cum butyro, ſale & aceto, vel in jure carnium quo modo minus malefica. In ſummum peſſima ſunt cruda & ſolitaria: minus condita, multo etiam minus cocta, omnium minimè noxia, decocta cum carnibus abjecto magmate, & hæc univerſim dicta ſufficiant de oleribus, ſequentia capita nonnulla olera ſigillatim exponent.

Olera ut edãtur.

Acetaria.

Cęterum de Ciceribus nihil hic addo, cum de iis capite de leguminibus actum ſit.

De Herbarum Radicibus, foliis, floribus, seminibus, ac primum de Buglosso.

Cap. XXI.

„ *Vinum potatum quo sit macerata buglosso,*
„ *Mœrorem cerebri dicunt auferre periti,*
„ *Fertur convivas decoctio reddere latos.*

Animadversio.

Quod innuimus supra, olera non tam alimenti quam medicamenti rationem habere, id maximè intelligendum est de sequentibus herbis quarum meminere Salernitani. Paucę enim ex iis sunt quæ sint edules quibusve pro alimento utamur, pro medicamento vero frequenter. Ac inter eas paucæ admodum refrigerantes reperiuntur, quod existimarent Salernitani calidas herbas & calefacientia medicamenta majorem familiaritatem habere cum calore nostro nativo, quam refrigerantia, ut alicubi Gal. observavit. Quas autem herbas confusim & sine ordine Salernitani descripserunt, eas ordine certo digessimus; non quidem ita exacto ut primo de radicibus, mox de foliis, deinde de floribus, ac demum de seminibus agatur: sed primarum qualitatum, quibus vigent, rationem eam habuimus, ut imprimis Calefacientes omnes ac humectantes exposuerimus, deinde calefacientes & desiccantes; tertio loco refrigerantes ac humectantes: & tandem refrigerantes simul & Ordo hujus partis.

deficcantes: & eas quidem primis locis, quæ in primo sunt ordine calefacientium, vel refrigerantium; secundis, quæ in secundo, & sic de cæteris. Mihi si agendum fuisset de omnibus oleribus, vel Galeni methodum secutus essem, vel exactiorem quamdam rationem investigassem: hic quia pauca sunt prædicto ordine contentus fui. Est vero primum hoc caput de buglosso ex manuscript. additum, cujus meminisse videtur Bruyerinus c. 16. lib. 8. de re cibaria. *Tantum*, inquit, *buglosso veteres tribuisse reperio, quod in vinum conjecta potantibus animi hilaritatem voluptatemque auget:* licet hoc intelligi quoque possit de Dioscoride ex cujus cap. 123. lib. 4. hæc doctrina desumpta est. Hic autem primo occurit difficultas de buglosso, quonam scilicet nomine veteribus appellaretur, & qua hodie donetur appellatione: nec enim convenit inter Botanicos quomodo à nobis appelletur ea herba quæ à similitudine linguæ bubulæ βύγλωσσον καὶ βύγλωσσος Græcis dicta est. Potior tamen eorum pars & sanior *buglossum* veterum credit esse eam herbam quam hodie *Boraginem* vocamus appellatione forsan deducta à Lucanis, qui eam Coraginem nuncupabant, ut observatum habetur apud Apuleium lib. de medicaminib. herbarum cap. 41. Et sane qui descriptionem Buglossi apud Dioscoridem & Avicennam contulerit cum boragine nostra, eamdem plantam esse deprehendet. Est enim ut *buglossum* Dioscoridis, sic *borago* nostra foliis verbasco similibus nigrioribus tamen & asperioribus, quæ in terram inclinant & bubulas linguas tum forma tum asperitate imitantur. Contrà *buglossum* nostrum vulgare folia habet oblonga, echio simi-

De buglosso.

Nomen.

lia, non ita lata ut bubulas referant linguas; deinde minus in terram vergunt, quin potius ſurgunt è toto fermè cæſpite ſurſum tendentia, nec aliqua ex parte verbaſcum referentia. Alias rationes omitto quæ fuſius exponuntur à Mathiolo, Dalechampio, & aliis Phitoptris: eſt ergo hoc caput intelligendum de *boragine* noſtra, ſequens vero de *bugloſſo* vulgo dicto.

Differentiæ bugloſſi Bauhino multiplices: aliud enim eſt ſativum, aliud ſylveſtre: ſativum aliud latifolium; hocque vel vulgatum, cœruleo, albo, roſeo flore, vel peregrinum quod vel ſemper virente folio vel luteo flore, & aliud anguſtifolium quod ſinuato eſt folio, vel non ſinuato, hocque majus & minus: At ſylveſtre majus & minus eſt, hocque duplex; latifolium, & anguſtifolium. Species.

Temperamentum bugloſſi Galen. lib. 6. ſimplicium humidum calidumque; eſt idque primo ſtatim exceſſu, urinam proritare & ſitim ſedare voluit Simeon, alvum vero movere expertus eſt Symphorianus Campegius ex obſervatione Bruyerini, ex ejus enim frequentiore & copioſiore uſu in alvi profluvium aliquando incidit. Mirum vero alicui videri poteſt quod diuriticum ſit, cum humidum & calidum exiſtat; ſed in eo duplex eſt ſubſtantia; deterſoriam ſcilicet, quæ ex aſperitate foliorum deprehendi poteſt; alia vero eſt intima ac profunda; viſcoſa ſcilicet & humida cui vis ineſt emolliendi: alimentum autem eam herbam ſuppeditare inter cæteras à lactuca optimum plurimi exiſtimant, propter temperamentum quod affine habet cum temperamento humano. Sed præcipua laus in exhilarando conſiſtit, triſtitiam ſubmovendo, cordis affectus de- Temperies. Bugloſſum exhilarat.

pellendo. Nam, ut aiunt Salernitani, vel macerata in vino, vel decocta ex aqua gaudium & lætitiam creditur afferre, melancholicos morbos avertere, animi deliquiis ſubvenire, uno verbo, exhilarare ac mœrorem diſcutere. Vetus ea perſuaſio eſt à Trojani belli temporibus ad noſtra uſque ſæcula propagata. Eam enim deſcribi ab Homero Odyſſ. δ, & Nepenthes nomine deſignari credidit antiquitas. Narrat Homerus Helenam convivis ſuis vinum exhibuiſſe in quod pharmacum miſerat, & iniecerat.

Nepenthes Homericum.

Νηπενθές τ' ἄχολόν τε, κακῶν ἐπίκληθον ἁπάντων·
Ος τὸ καταβρόξειεν ἐπὴν κρητῆρι μιγείη
Οὐκ ἂν ἐφημέριός γε βάλοι κατὰ δάκρυ παρειῶν.

Hoc eſt, *medicamentum abſque dolore & ira malorum oblivionem inducens, quod qui deglutierit poſtquam crateri mixtum eſt, non utique tota die profundere poterit lacrymas à palpebris.* Hoc vero pharmacum datum fuiſſe Helenæ à Polydamna Ægyptia Theonis uxore poſteà Homerus obſervat, fuiſſeque plantam aliquam ſignificavit, ſubdens fertilem terram Ægypti plurima pharmaca ſalubria producere ac proferre. Ac ſane Plutarch. ſympoſ. lib. 1. quæſt. 1. bugloſſum fuiſſe eam plantam, talemque à veteribus habitam innuit, licet illud ἀλληγορικῶς paulo poſt interpretetur. In quam quoque ſententiam ivit Macrobius ſaturnal. lib. 7. cap. 1. Sed Cœlius Rhodiginus lib. 19. cap. 3. & Joan. Spondanus comm. in Homerum, minimè allegoriam fuiſſe probant, ſed verum pharmacum ac ipſum quidem, ut probabile videtur, bugloſſum, quod uſu bugloſſi *ſanguis clarior fiat, expurgatiorque; porro & cor confoveatur, à quo mox & hepar: id autem ſic affectum laudabilem ſanguinem producit,* *unde*

unde cooritur lætitia. Equidem non desunt gravissimorum virorum auctoritates quæ vim illam buglosso tribuant. In ea fuit sententia Dioscorid. lib. 4. cap. 123. Galenus lib. 7. simplicium, Plinius lib. 25. cap. 8. Paul. Æginet. lib. 7. & Apuleius Plat. de medicaminibus herbarum cap. 41. quam ob causam Plinio herba illa dicta est εὐφρόσυνον ab *efficienda voluptate.* Cæterum quemadmodum Rhetores auctore Antiphonte apud Plutarch. in ejus vita τῆς ἀλυπίας τέχνω, artem qua mœrore & luctu oppressos verbis levarent, excogitasse dicuntur; sic Medici depellendo mœrori medicamenta invenere, quæ πιστὰ juxta Æschylum, quasi ποτὰ, vel πότιμα quod ebiberentur, vocata sunt. An vero Borrago ejuscemodi sit quæ vel vino macerata, vel ex aqua decocta, vel quacumque ratione, tam secundum flores ac folia, quàm secundum radices assumpta lætitiam pariat, mœroremque fuget, investigatione indignum non videtur. Omnes enim uno ore id pronuntiant, melancholicis affectibus præscribunt, flores ejus inter cardiaca constituunt, certa ratione cordi amicos volunt, denique nullis cordis morbis non opitulari censent: Et tamen nemo quem viderim extitit, qui explicaret qua buglossa ratione hos omnes præstaret effectus. Licet autem hæc quæstio therapeutica potius sit quam diæretica, ne quid tamen necessarium prætermisisse videar, quid de ea sentiam breviter expono. Imprimis ex Galen. lib. 5 simplicium, supponendum est inveniri quædam medicamenta quæ *certis partibus præcipue & maxime prosint,* ab inexplicabili temperamenti proprietate; sed *ea non ita esse propria illis* partibus, quin aliis quoque membris prosint, quamvis non ita ma-

Exhilarantia medicamenta.

Medicamenta partibus destinata.

nifeste nec propriè. Ab hoc effectu medicamenta alia dicta sunt cephalica, hepatica, splenica, ophthalmica, stomachica quæ peculiari quodam modo caput, hepar, lienem, oculos, stomachum juvarent. Ac profecto potior medicorum pars ab occulta proprietate, formali ratione, ac ut loquuntur, à tota substantia proficisci hunc effectum volunt, nec alias inquirendas esse causas pari ratione atque non expetimus causas cur à magnete ferrum trahatur. Hanc ob rem facultates istæ nulla ratione, aut epilogismo, sed experientia sola deprehenduntur. Alii tamen emunctæ naris Medici secuti Galen. lib. 13. meth. med. cap. 17. ratiocinatione deprehendi has vires docent, sumpta nimirum indicatione à parte, pro cujus variis conditionibus, fortiora, vel blandiora, validiora, vel mitiora remedia convenire definiunt. *Similia*, inquit Galen. *genere medicamenta ambo viscera, jecur & lien postulant. Cæterum tanto valentiora lienis quanto craßiore utitur alimento. Scirrho igitur laborantibus ipsis convenientia nutrimenta sint genere quidem eadem, sed majori minorique ratione differentia. Quale ergo est jecori medicamentum absynthium, tale est lieni capparis cortex, quale rursus jecori est eupatorium, tale est lieni scolopendrium. Itaque etsi capparis ex oxymelite edatur, utilis sane est utirque visceri, cæterum nec ipsa pari modo nec similiter mistum habens oxymeli. Nam & ipsa copiosior & ex minus diluto oxymelite lieni erit utilior.* Hæc Galen. Ex quo inferimus virtutem qua medicamenta & alimenta partem aliquam juvant, non esse occultam & à tota substantia; sed manifestam & à manifestis qualitatibus repetendam. Etenim si validiora & obstruentia, dissecantia &

attenuantia cum nonnulla adſtrictione lieni familiaria facit, minus valida jecori; certum eſt eum non tam qualitatum occultarum quam manifeſtarum rationem habuiſſe. Et re vera quoniam per alterationes multas quas in corpore ſubeunt medicamenta, vis eorum paulatim infringitur ac imminuitur, adeo ut quod, exem. gratia, in jecore prȩſtare poſſunt, non poſſint efficere in liene; Cupatorium ſeu Agrimonia, cum & propter tenuitatem partium, tū & extergendi ac incidendi facultatem citra manifeſtum calorem, & propter modicam adſtrictionem jecori familiaris, ſit, agrimonia, inquam, eas omnes vires explicare poteſt in jecore, ultra jecur & in liene præſertim, non poteſt niſi quam tenuiſſimè, quia *agens omne naturale*, ut aiunt philoſophi, *agendo defatigatur*, & in fine mollius agit ob patientis reſiſtentiam & reactionem: Scolopendrium vero quia & paulo vehementius adſtringit, & potentius multò deterget cum calore paulo majore quam ſit in Cupatorio; idcirco vires eas ſervat incolumes ad lienem uſque, ex quo ei dicitur amicum. At vero ſi incidendum, attenuandumque eſſet cerebrum, ſcolopendrio non uteremur, quod ejus vires infringi neceſſe ſit, priuſquam in cerebrum agat. Itaque uſurpamus betonicam quæ & calidior eſt, & cum adſtrictione incidendi facultatem eximiam habet. Et hæc de medicamentis à parte denominatis, quȩ pro fundamento ſuppoſuimus.

Sed inſuper obſervandum eſt, partes maximè juvari medicamentis quæ vulgo *Roborantia* dicuntur, quæ quidem nonnulli penitus Adſtringentia eſſe volunt, nec alterius facultatis. *Roborare* enim definiunt, *moderata adſtrictione tonum* Roborantia medicamenta.

membri, seu partis alicujus conservare. Hęc licet vulgo accepta, usuque longo usurpata, viris tamen doctissimis ac solertissimis probata esse non possunt. Etenim si medicamenta illa Galeno τονωτικὰ, seu potius τονικὰ dicta fuere, quæ tonum partibus reddunt, possuntque ut loquitur ipsemet Galen. ῥῶσαι 1. *robur afferre*; quęcumque aliqua ratione parti robur addent eique tonum restituent, ea omnia erunt roborantia. Quæ quidem doctrina desumpta est ex Galen. lib. de optima secta c. 5. ubi reprehendit methodicos Themisonis & Thessali sectatores, quod firmitatem corporibus conciliari autumarent sola adstrictoria ratione, cum concilietur iis quæ membrorum vires augent, faciuntque ut partes liberè & facile proprios usus consequantur actionesque suas convenienter exerceant. Ergo cum partis robur in eo consistat, ut ea rectè operetur, ususque proprios obtineat facilè, expeditè, sine molestia, certum est robur à sanitate optima partis, seu quod idem est, ab ejus nativa constitutione ac conformatione non differre. Cum vero pars quępiam, ęgre, difficulter, tardè, aut cum molestia actiones suas exercet, seu naturales sint, seu vitales, seu animales, imbecilla dicitur, debilis ac minimè robusta. Sic qui robusto sunt stomacho, cito atque perfectè cibos digerunt & in chylum laudabilem vertunt: qui imbecillo, tardè, imperfectè ac difficulter coquunt, vitiosumque chylum generant. Idem de cæteris dicendum. Quo posito vel meridiana luce clarius illuscescit, ea medicamenta roborantia dici, quæ quocumque modo robustam partem, hoc est sanam, vigentem, valentem, optiméque operantem efficiunt, seu id fiat adstringendo, seu laxando, seu refrigerando,

ſeu calefaciendo, ſeu ſpiritus diſſipatos reſtituendo, ſeu denique imbecillitatis cauſam quamcumque removendo. Nec ſane roborantium materia, aut differentiæ multiplices dignoſci poſſunt, niſi quot ſint cauſæ imbecillitatis virium ſciatur. Eas autem omnes Galen. comm. in lib. 2. Hippocr. de rat. victus in morbis acut. text. 47. enumeravit, ipſaſque in tabellam redegit Henric. Smet. Miſcellan. lib. 1. ep. 3. & 4. in qua de roborantibus ex doctrina Eraſti copiosè diſſerit.

His præjactis velut diſputationis totius fundamentis, non arbitramur à tota ſubſtantia cordi bugloſſum amicum eſſe & familiare, ſed à qualitatibus ſuis manifeſtis; nec per adſtrictionem robur cordi afferte, ſed per aliam facultatem, nec denique omnibus modis, quibus lætitia in corpore conciliatur, gaudium afferre, ſed tantum aliquot. Nemo enim neſcit quædam præſidia lætitiam afferre augendo ſpirituum ſubſtantiam, ut vinum; alia depurando ſpirituum turbulentiam, ut aromatica: alia refrigerando ſpirituum æſtum, ac fervorem, ut ſuccus limonum; allia ſpirituum effluxum prohibendo, ut aqua frigida: alia ſpiritus ſopitos ac terrore languentes excitando, exſuſcitando, ut ſuaveolentia omnia; alia ſanguinem arterioſum & venoſum ſuperflua humiditate, atque ichoroſa expurgando, ut detergentia, incidentia, ſudores & urinas moventia; alia cordis ſiccam intemperiem ac frigidam emendando, ut calida humida; allia craſſiorem ac terreſtrem ſanguinem diluendo, ut humectantia; alia aliis modis, ut legere eſt apud Avicen. c. 9. tract. 1. de virtutib. cordis. Porrò Bugloſſum lætitiam affert oppugnan-

do ſuccum melancholicum; qui cum frigidus ſit & ſiccus, emendari nullo alio remedio poteſt quàm calido & humido quale eſt bugloſſum. Deinde cum triſtitiæ proprium ſit, ut ait Avicen. c. 6. prædicti operis, calorem naturalem debilitare, atque in toto corpore ſpiritus atque adeo humores cogere ac inſpiſſare, quæ affinia ſunt calori nativo, quę diluendi ac detergendi vim habent, ea & calorem nativum augere poterunt, & inſpiſſatos ſpiritus diluere. Atqui bugloſſum qua calidum & humidum eſt, affine eſt & amicum calori noſtro nativo qui calidus quoque & humidus eſt; iiſdem quoque qualitatibus vim habet diluendi, diſcutiendi, leviter incidendi: qua vero aſperum eſt, hoc eſt detergens, blandè defœcat, mundat, & expurgat, imo quia diureticum, coactos humores ſolvit, & quod ſeroſius eſt atque aquoſius per urinas depellit.

Objectio. Quod ſi quis objiciat facultatem iſtam cardiacam bugloſſi, non tantum ab illis cauſis enumeratis proficiſci, ſed ab altioribus, cæcis nempe & occultis: nam ut negari non poteſt eam herbam cordis affectibus frigidioribus prodeſſe calore ſuo, ſic inficiari nemo debet abſtruſis & occultis viribus cordi calido & quovis modo affecto prodeſſe, cum bugloſſum in calidis, frigidiſque cordis morbis, & in affectu melancholico, tam à ſucco nigro frigido, quàm à bile atra calida inducto quotidie præſcribatur ſine delectu à Medicis pene omnibus; huic objectioni primum reſpondeo,

Solutio. prudentes & rationales Medicos maximum habere delectum medicamentorum in curandis cordis affectibus, nec ſemper & ubique bugloſſum pręſcribere: alia enim remedia conveniunt intemperiei frigidæ, alia calidæ: rur-

ſum humidæ alia, alia ſiccæ, ut videre eſt apud eos, qui de curandis morbis ſcripſere. Deinde addo propter moderatum bugloſſi temperamentum noſtræ naturæ familiare, fieri ut in omnibus morbis conveniat, non tam cauſas morbificas oppugnando, quam nativum calorem fovendo, & excitando nullo noxæ periculo ob æqualis temperamenti moderationem. Porro maceratum vino bugloſſum potentius exhilarat, & cauſas mœroris aufert tam ratione ſui quam vini, cujus inventor Lyæus, quaſi ſolvens curas ac mœrorem diſcutiens, à veteribus denominatus fuit. Nec diffiteor virtutes bugloſſi intendi maceratione vini potius quam alterius liquoris, ſunt enim nonnulla quæ his potius quam illis conſentiant, ſicut diximus fontana aut fluviatili aqua coqui facilè legumina, puteali indurari & minimè percoqui. Plena ſunt exemplis omnia ab his ergo ſuperſedeo.

Bugloſſi vires vino intenduntur.

Ultimo loco teſtat quæ aendum cur Prophetæ apud Dioſcoridem & Apuleium bugloſſum vocarunt γόνον αἰλούρου filium, ſeu genituram felis. An hoc propter herbæ excellentiam dictum eſt, quæ apud Ægyptios non minoris fuit dignitatis quam felis? Scimus autem ex Strab. lib. 17. felem pro deo habitam apud Ægyptios. Nam *quædam animalia ſunt*, inquit Strabo, *quæ Ægyptii univerſi colunt, quemadmodum ex terreſtribus tria; bovem, canem, felem, ex aquatilibus duo, lepidotum piſcem, & oxyrynchum.* An vero à Magis ſit appellatum bugloſſum propter ſimiles vires bugloſſo & excrementis felis à ſagis tributas? Obſervatum ex eodem Dioſcoride & Apuleio, decoctum radicis borraginis quum tres thyrſos ſeminis emittit, ter-

Nomina bugloſſi.

Felem Ægyptii colunt.

tianis opitulari, quæ autem quatuor thyrſos habet, quartanis febribus mederi, quæ medendi ratio plane ſuperſtitioſa eſt & magica, proinde ex textu Dioſcoridis à viris prudentiſſimis expuncta. Scribit vero Plinius lib. 28. cap. 10. *Iubere magos ut excrementa felis cum digito bubonis quartanis febribus adalligentur, & ne recedant, retineantur ad ſeptenum circuitum*, quod etiamnum commemoratur à Sexto Philoſopho cap. 18. lib. de medicina animalium. Annon quoque hæc magica & ſuperſtitioſa curatio? Sed fortaſſe innuere voluerant Magi, hoc eſt naturæ myſtæ, quandam eſſe inter hanc herbam & feles amicitiam, qualem novimus eſſe felibus affectum erga radicem valerianæ quam æluron, ſeu ęlurion vocari poſſe monet Geſnerus lib. 1. de quadrupedibus, aut herbam gattæ ut vult Sylvatic. in pandectis: vel erga nepetam, quam vulgus herbariorum catti herbam, cattariam, ſeu gattariam nominat; cujus odore magnam feles capiunt voluptatem, eſuque ejus gaudent, quo ſolo concipere dicuntur. Non auſim à pręſtantia ſeminis felis hanc nominis rationem deductam aſſerere, licet enim ſciam vulgo dici felem Zibethi certo anni tempore incaleſcere, & ita venere exſtimulari, ut ſe ipſum corrumpat, liquoremque illum odoratum & pretioſum, ceu genitale excrementum emittat; tamen quia non ignoro ignotum veteribus fuiſſe felem Zibethi, idcirco conjecturam illam nominis aſperno; nec inſuper ejuſmodi eſt momenti, ut in ejus inveſtigatione laboris multum impendere debeamus.

Semen Zibethi odoratum.

De Boragine.

CAP. XXII.

DIcit Borago, Gaudia semper ago. "
Cardiacos aufert, Borrago gaudia confert. "

Animadversio.

PRæcedenti capite probavimus *Buglossum* Græcorum vulgarem esse nostram *boraginem*. Jam vero dicimus boraginem de qua hic agunt Salernitani, esse buglossam nostram vulgarem. Non conveniunt autem Botanici quonomine buglossa nostra à veteribus fuerit donata. Ludovicus Anguillata sectione 14. in lib. 1. simpl. non aliam esse à Lycopsi monuit, cui subscribit Dodonæus stirpium pemptadis 5. lib. 1. cap. 10. Alii echium volunt, alii Cirsium; omnes tamen conveniunt boraginem vulgarem à vulgari buglossa, viribus & facultate non dissentire. Proinde quod dictum est antea de buglossa nunc de boragine id subintelligendum. Unum superest examinandum, videlicet quid per *Cardiacos* hic Salernitani intelligant, paulò enim est obscurioris significationis hoc vocabulum. Ejus tamen omnes sensus tam à Græcis quam à Latinis Medicis acceptos & usurpatos sic enucleavit doctissimus Merculial. Variarum lect. 6. cap. 1. ut nemini scrupulus hærere possit. Ejus itaque insistens vestigiis credo hic non Cardiacos Græcorum, sed Latinorum audiendos esse, eos nimirum qui in syncopem

Nomen boraginis.

delabuntur, qui corde laborant, qui præ mœrore animo deficiunt, quos eadem ratione juvat buglossa, ac vulgaris borago. Vide pręcedens caput, ne bis coctam crambem apponere cogar. De boragine nonnulla obſervatur digna habet Petrus Hiſpanus comment. in librum diętarum particularium Iſaaci, quem conſulere non pigeat.

De Malva.

Cap. XXIII.

Dixerunt Malvam veteres, quod molliat alvum:
Hujus radices raſæ ſolvunt tibi feces;
Vulvam moverunt, & ſluxum ſæpe dederunt.

HIc igitur de facultatibus Malvæ. Et primo quidem verſu, qui ex lib. 2. cap. 36. Æmilii Macri huc adſcitus eſt, veteribus Latinis Malva ab emollienda alvo dictam eſſe traditur. Cujus ſane rei teſtis etiam M. Varro, qui Malvam, quaſi molvam quod alvum molliat, dictam eſſe contendit, quippe quæ clyſteribus infuſa vel in cibo accepta ventrem facile moveat. Quinetiam Gręcis μαλάχη àb emolliendo alvo nomen traxit. Siquidem ipſis μαλάττειν mollire ſignificat. Antiqui enim ea in acetariis cum lactuca ad ſubducendam alvum utebantur. Unde Martialis lib. 10. Epigrammatωn :

Exoneraturas ventrem mihi villica malvas
Attulit, & varias quas habet hortus, opes.

Et alibi:

Utere lactucis & mollibus utere malvis.

Cæterum hoc olus facile ſubdicitur, non modo propter humiditatem, verumetiam propter genuinam viſcoſitatem, & potiſſimum quando quis cum oleo & garo copioſam ipſam ſumpſerit. Atque ob id inter quatuor etiam emollientia, quorum decocto in clyſteribus ad induratarum fæcium eductionem paſſim utimur, primum locum ſibi vendicavit. Porro duplex malva eſt. Una quidem floribus ſanguineis, altera vero candidis, & in hac quam in illa major emolliendi vis ineſt.

Secundo deinde verſu innuitur, radices Malvæ raſas fæcibus educendis eſſe accommodas; & maxime quidem, ſi inde, perinde atque è radicibus Mercurialis, βάλανοι, id eſt, glandes ſive ſuppoſitoria fiant.

Tertio demum verſu, Malvam menſes ciere dicitur, quod & ipſum ſane ob manifeſtam humectandi facultatem ac genuinum lentorem præſtat. In ſeſſione namque uterum emollit, ita ut venena ejus ab acri ſanguine promptius fundantur. Quinetiam menſes provocare certo ſe experimento didiciſſe Platearius adſerit. Folia Malvæ trita cum foliis ſalicis omnibus emplaſtris commodiora ſunt. Nam & inflammari non ſinunt, & ſanguinem ſiſtunt, & recens vulnus cicatrice includunt. Sed & luxatis ac contuſis medentur. Phalangiorum quoque & reptilium plagas curant folia ejuſdem, ſi cepas & porrum triveris, eiſque miſcueris, ac impoſueris. Siquis vero ſylveſtris Malvæ ſucco cum

illinatur, à veſpis & apibus non pungetur: ſed & qui punctus jam eſt, ſucco opem ſentit: & folia Malvæ contuſa & impoſita, ſimiliter percuſſum ab illis ſanant. Similiter autem curat Malva illita lichenas, & occulta fœminarum vitia. Succus vero ejus auribus inſtillatus dolorem aurium ſedat. Cum melle acceptum thoracem pulmonémque juvat, & raucam vocem lenit, hepaticos ſanat, & comitiali morbo apprehenſos reſipiſcere facit. Eodem modo & nephriticis, & iſchiaticis auxiliatur. At vero decoctum ipſius potatum difficultatem emittendi urinam emendat, lapides conterit, ſomnum conciliat, facilémque partum prȩſtat. Prodeſt etiam eroſionibus veſicæ & inteſtinorum vulvæ ſediſque, clyſtere infuſum. Malva illita inflammationes lenit, eaque quæ indurata ſunt emollit. Plura Dioſcorides lib. 2. cap. 106. Plin. lib. 20. cap. 21. Gal. lib. 7. de ſimpl. medicament. facult. cap. 95. & lib. 1. de aliment. facult. cap. 42. Conſtantinus Cæſar lib. 21. de agricult. cap. 11. & Simeon Sethi in ſyntag.

Animadverſio.

Licet Salernitani toti ſint in recenſendis Malvæ facultatibus medicamentoſis, non eſt tamen exiſtimandum hic eos de Malva agere, velut de puro medicamento, cum curam ſuſceperint deſcribendorum alimentorum. Fuiſſe ergo eam in cibum uſurpatam teſtatur Heſiodus lib. ἔργ. καὶ ἡμερ.

Malva in cibis.

Πήποι ὐδ' ἴσασιν ὅσῳ πλέον ἥμισυ πάντος,
Οὐδ' ὅσον ἐν μαλάχῃ τε καὶ ἀσφοδέλῳ μέγ' ὄνειαρ.

Id est, *Stulti neque sciunt quanto plus dimidiũ sit toto, neque quam magnum in Malva & Asphodelo bonũ.* Hujuscemodi bonum exponit Hesiodi commentator Tretzes his verbis: οὐδὲ γινώσκουσιν ὅσον μέγα ὄφελος ἐν μαλάχῃ καὶ ἀσφοδέλῳ εὐτελέσι λαχάνοις ὑπάρχει. *Ignorant quam magnum auxilium & commodttas existat in frugalibus oleribus, Malva & Aspodelo* Certe Diphilus Siphnius apud Athenæ. 2. Deipnos. Malvam esse εὔχυλον *boni succi, arteriam lenire, acres in corporis superficie succos educere, renum & vesicæ irritationibus prodesse, excerni facile, & mediocriter alere* prodidit. Cujus sententiæ videtur fuisse Horat. Epodon ode 2 salubres Malvas vocans & contra attagenem ionicum jucundiores. Galenus quoque lib. 2 de aliment. facult. eam voluit mediocriter nutrire, *succumque præbere crassum &] lentum, si quidem conferatur cum Succo lactucæ & betæ: hujus enim tenuium est partium tergendique facultate præditus, illius autem inter u. rumque est veluti medius.* Nihil autem Malvam magis commendat quàm medicamentum illud ἄδιψον καὶ ἄλιμον, hoc est, *sitim famemque sedans*, cui utilissimè injectam Malvam notavit Hermippus Callimachius apud Athenæ. Eam vero compositionem fuisse ex Asphodelo & Malva ostendit Proclus comment. in Hesiodum ex auctoritate Herodoti & Plat. in legibus. At Tretzes aliam affert descriptionem, simulque ejus pharmaci, quo veteres pro cibo & potu utebantur, commoditatem & usum.

Σκίλλης, inquit, τὸν ὄγκον, καὶ μαλάχης τοὺς κλάδους,
Τεμὼν ἐν ὅλμῳ συγκεράσας καὶ μέλι.
Καὶ πιῶν τι βραχὺ πρὸς ὄψον τῶν τμημάτων,
Οὐκ ἂν πονήσῃς τοῦ λιμοῦ τὸ πυρφόρον,
Εἰ συγκεράσαις ἀκριβῶς καὶ πρὸς τέχνην.

Hoc est, *Scillæ cepam, & malvæ surculos atque germina contundens in mortario mel admiscebis, cujus minimam portionem si pro cibo sumas, famis ignita missilia haud est quod timeas; si modo exactè & ex arte omnia mista fuerint.* Aliam alimi compositionem habet ex Plutarcho Jo. Langius epist. 28. lib. 2. apud quem plura lege. Quæ autem esui aptior fuerit ex omnibus malvis, non constat inter auctores. Sativam quam Græci, ἀγρίαν μαλάχην, seu ut loquuntur Attici μολόχην vocant, Dioscorides χερσαίαν, quod in inculta & inelaborata terra succrescat, allii ἄκοπον, hoc est doloris mitigativam, sativæ quæ & hortensis & κηπευτὴ & à nonnullis rosa ultramarina, & rosa hyemalis dicitur, præferunt, inter quos est Diphilus apud Athenæum & Dodonæus in stirpium historia. At Dioscorides & Galenus sativam sylvestri anteponunt, meo quidē judicio sapientissimè, quemadmodum enim ex cichoriis & lactucis domesticæ suaviores sunt sylvestribus, sic & ex malvis sativa esui longe aptior agresti. Decoquuntur autem malvæ folia, quibus lubrica redditur alvus unde Cicero 7. epist. epist. ad Gallum scribit se à malva deceptum, quoniam ejus esus alvi profusionem concitasset; quo pertinent duo illa loca Martialis à Commentatoribus allata. Nonnulli cymas & cauliculos, asparagorum more ex oleo & aceto prima mensa vorant. Malvæ tamen cibum aversatus est Pythagoras apud Laertium ubi inter ejus symbola hoc habetur: μαλάχην φύτευε, μὴ ἔσθιε δὲ *Malvam sere ne tamen edas*. Cujus symboli rationem non satis expressisse videtur Brassicanus, prætermisit Beroaldus. Ego vel id dictum fuisse à Pythagora existimo propter malvæ dignitatem, vel propter effectus ejus nonnullos,

Ex malvis quæ melior.

Malva abstinuit Pythag.

instituto Pythagoræ alienos. Scribit Ælianus lib. 4. de varia hist. cap. 17. Pythagoram ἱερώτατον εἶναι τὸ τῆς μαλάχης φύλλον, *sanctissimum esse folium malvæ* dixisse, cujus radicem adoratam fuisse in maximis periculis, notat Lucianus lib. 2. verarum historiarum, innuitque sermone adversus indoctum, adamatam à Musis. Sed præterea tanti facta est à veteribus malva, ut *Omnimorbiam* appellarent, *quod ejus succi cyathus dimidius quotidie haustus, ab omni morbo utentem tueatur*; ex Plinio cap. 21. lib. 20. Deinde colligere licet ex eodem Pythagora, eam inter donaria atque ornamenta fanorum repositam: nam apud Dioscoridem malvam αὔθεμα vocavit quasi ἀνάθεμα seu ἀνάθημα, quod est delubrorum ornamentum, parietibus columnis aut lacunaribus templi suspendi solitum: cui appellationi vicina est Zoroastris, vox qua malvam denominavit; Est autem illa διάδεσμα, quod est redimiculū seu corona, cujus usum credibile est habuisse malvam in Idolis coronandis, propter quem fortasse adorata est, non minus quam ipsum idolum. Denique inter dignitates malvæ hoc postremum non est, quod dicatur Osiriaca quasi Osiridi sacra, ut exponit Humelbergius in Apul. Nam & ἡλιοτρόπος existit, quoniam ejus folia cum sole circumaguntur ex observatione Theoph. lib. 2. de caus. plantarum cap. 26. Non quod cum Ægyptiis credamus malvam occulta jungi necessitudine cum Osiride aut Sole, cui hymnos ipsa concinit: aut velimus cum Proclo in libro de sacrificiis plausum ab ea fieri in aëre adeo suavem, ut si à nobis audiri posset, harmoniam & concentum admirabilem auribus perciperemus. Sed malumus cum Theophrato & cū Marcello Donato com. in Diosc. cap. de malva, causam repetere ex multa malvæ

Cur malva Soli sequa.

humiditate, quæ dum vi & calore solis exsugitur; qua parte Sol agit, in eam proclive folium inclinat; non aliter quam quæ in vulnus cadunt: vel putamus cum Julio Sireneo lib. 3. de fato cap. 46. cavernosum malvæ caudicem spiritumque intro conclusum; *qui illac versus, qua Sol movetur; alteretur, calefiat, rarescatque, alteratus autem ac rarefactus per corticis meatulos, à Sole (ita dixerim) rapiatur, atque trahatur naturali lumine radiorum. Lumen certe illius naturæ est, ut reflectatur, calorem generet. Truncum illum propterea, in quo iidem spiritus continentur, & à quo tenuißimi propter calorem expirant; ad eam orbis partem ad quam fertur Sol, secum ita affecti illi & expirantes inclinant. Rationi nempe congruum est, ut ea parte inclinetur surculus, qua jam jam inclusus spiritus calidus & tenuis factus expirat & evanescit.* Sed nec fortasse absurdum erit, existimare Pythagoram non ducendam Malvam in esus & alimenta, quod sacris ejus ceremoniis ac mysteriis, hoc est magicis superstitionibus & curationibus inserviret *Mirum*, inquit Plinius, *aquam radice Maluæ addita addensari sub dio atque lactescere.* Mirum etiam *adalligatam in lana nigra* potius quam alba, *mammarum vitiis occurrere:* Mirum denique *tres radices* potius quam duas aut quatuor, *juxta adalligatas tenesmo & dysentericis utilißimè infundi.* Hæc multos in stuporem adducere possent, nisi vi magica & Pythagorica vanitate effici in memoriam revocarent. Atque hujuscemodi sunt rationes ex dignitate Malvæ deductæ, quibus juduci potuit Pythagoras ut esum Malvæ prohiberet. Quæ sequuntur desumptæ sunt ex effectu Malvarum Pythagoræ præceptis repugnanti. Ea est stimulatio & irritatio ad venerem, cujus usum dicitur Pythagoras perpetuo prohibuisse,

buisse. Atqui tradit Xenocrates *semen unicaulis Malvæ aspersum genitali fœminarum aviditatem augere ad infinitum.* Quin & semen tritum *adalligant brachio genitale non continentium.* Imo vero quod deterius est, credidit Olympias Thebana, abortivas esse cum adipe anseris.

His de esu & usu malvę, pauca de ejus temperamento adjungo, in quo assignando Medici dissentiunt. Simeon Sethi frigidum & humidum constituit in primo gradu, Isaac lib. diætarum particularium, frigidum in primo, humidum in secundo, aitque Gal. malvam facere medium inter frigidum & humidum. Isaaco assentitur Pet. Hispanus. in comm. conaturque probare minimè calidam malvam. Ali vero inter quos est Gal. & Oribasius, calidæ & humidæ naturæ esse volunt : quibus quoque favere videntur Paul. Æginet. & Ætius qui illi vim digerēdi ac leviter discutiendi attribuunt ; atqui docet Galen. vim illam caliditati esse junctam; vim quoque pepticam concedunt hoc est maturandis inflammationibus idoneam ; sed & vis illa à calore & humore est: omne enim pepticum conforme naturæ humanæ. Ratiocinatio Galeni probantis malvam calidam hujuscemodi habetur lib 2. de alim. *Porro succo Malvæ lentor quidam inest, qui lactucæ non inest, à refrigerandoque abest perspicue, id quod etiam antequam edas intelliges si utrumque olus vicißim calido cuipiam affectui cataplasmatis modo applicueris. Senties enim in hoc cataplasmate lactucam quidem manifeste refrigerare, Malvam autem calorem quemdam habere moderatum ac tepidum.* Quibus verbis nihil esse potest illustrius. His conciliandis authoribus unum est quod apponam ; jam aliquoties à me propositum: scilicet alios loqui de Malva velut de medicamen-

Temperies malvæ an calida vel frigida.

to, alios de eadem velut alimento. Ut medicamentum, modicè calida eſt & humida, ut propoſito Galeni exemplo patet, & virtute Malvæ tam peptica quàm diſcutienti. Ut alimentum, frigida eſt & humida, quia humiditate ſua aquoſa ſanguinem aquoſum & ſeroſum & continuo etiam frigidum gignit. Huic diſtinctioni proponendæ lucem mihi prętulit Paul. Ægineta, qui de malva duobus diverſis locis egit. Primo quidem lib. 1. de re Medica cap. 7. de alimentis ex oleribus; ubi malvam dicit frigefacere, licet non manifeſtè: altero vero, libro 7. cap. 3. de facultatibus medicamentorum ſimplicium; ubi eam moderatè diſcutere ac mollire aſtruit: quod argumentum eſt, duplici conſideratione malvam teneri medicamenti & alimenti. Nullus vero mirari debet, gemino illo reſpectu duplicem tribui malvæ facultatem: nam & vino id accidit, quod ut medicamẽtum ſiccare corpus dicitur, ut alimentum humectare ob copiam ſanguinis quam gignit. Cæterum malvæ differentias omnes non explico: repetãtur ex Botanicis ac pręcipuè Bauhino: Interim moneamus cum Caſaubono cap. 18. lib. 2. in Athen. malvæ ſemen Phaniam vocare σπερματικὸν τόπον, Dioſcoridem τὸν καρπὸν fructum, Heſychium & alios placentam, quod orbiculus ille pectinatim ſit inciſus, ut ſolent incidi placentarum crepidines. Subjungamus quoque appellationis malvæ rationem ex Bapt. Porta deductam phytognom. lib. 4. cap. 19. Apud Dioſcoridem notatum eſt malvam à quibuſdam αἰγὸς σπλὴν hoc eſt capræ ſplenem vocari, ab aliis οὐρὰν μυὸς, urinam ſeu caudam muris. Baptiſt. Porta malvæ folia cum liene ſimilitudinem habere aſſerit, & eaſdem facultates poſſidere quas habet capræ lien, hinc nominis ra-

Semen malvæ.

Nomina.

tio. Cauda autem muris dicta est ob ejus surculos tenuiores ac exiliores qui referre aliquo pacto possunt muris caudam. Sed sileo: tædet enim me harum ineptiarum.

De Rapis.

Cap. XXIV.

Rapa juvat stomachum, novit producere ventum,
Provocat urinam, præstatque in dente ruinam.
Si male cocta datur tibi, torsio sic generatur.

HIC tres cumprimis raparum recensentur proprietates: Ac primum quidem quod stomachum juvent. Secundum, quod flatus gignant: Tertium, quod urinam provocent. Quæ sanè omnia de iis intelligi debent, quæ bellè & perspicuè cum pinguibus carnibus percoquuntur. Ea enim jucundiora ac gratiora stomacho fiunt. Satis tum nutriunt, tum impinguant, sed humentem ac fluvam carnem creant, flatus & genitale semen generant veneremque stimulant, urinam provocant, fauces leniunt, atque thoracem ac visum: prẹterea (ut Anenzoar in lib. de Conservanda sanitate & tract. 8. cap. 21. lib. 1. Theysir, & Averroes lib. 5. cap. 41. collect. testantur) peculiari quapiam proprietate roborant. Fertur etiam quod fibræ illorum sive caudæ, alvum fortiter moveant: Atque hinc sane vulgati excogitati sunt versiculi:

Radix rapa bona est, comedenti dat tria dona,
Visum clarificat, ventrem mollit, bene bombit.

Secundo deinde loco, duo eorundem referuntur incommoda. Nam & dentes lædunt, & torsiones sive tormina in ventre suscitant. Atque his quidem malis cruda maxime obnoxia sunt. Primum enim

non ægrè modo dentibus franguntur, verumetiam minus justo in ventriculo conficiuntur, quo fit ut & ipsa corrumpantur, & fætidos præterea halitus dentibus suggerant: acciditque duplici ita nomine dentes offendi, commanducatione nimirum & halitu. Deinde vero ad istum modum liberalius ingesta concoctu sunt difficiliora, ac flatulenta magis, stomachoque noxia. Nonnunquam autem & ventrem mordicant: Quorum posterius etiam vulgato nobis indicatur versiculo.

Ventum sæpe rapis, si tu vis vivere rapis.

Crebrior raporum usus crassum humorem generat, & obstructiones jecoris parit. Ventrem nec sistunt nec movent. Inter radices tamen omnes quæ quidem edendo sunt, rapæ corporis nutritioni vel maximè conveniunt, idque ex saporis jucunditate facile deprehenditur. Ea enim eduliorum omnium natura est, ut amara, & quæ linguam contrahunt, minus; dulcia vero magis alant. Rapa autem cum aliis radicibus dulciora sunt minusque linguam contrahunt, majus etiam aliis præstare alimentum magisque victus salubris rationi convenire consentaneum est. Sanguinem tamen crassiorem & melancholicum generãt, cum minus justo in ventriculo ob concoctoriæ facultatis imbecillitatem conficiuntur. Coctionem autem diuturniorem postulant, eaque sunt laudatissima, quę primæ ebullitionis aqua segregata & abjecta bis percoquuntur. Cruda ob prædictas paulo ante causas nullo modo edenda sunt. Cymæ raporum decoctæ manduntur, & urinam cient. Rapum muria conditum, vel cum aceto & sale sumptum, minus quidem alimenti sufficit, sed multo magis appetentiam tecreat. Hujus semen tritum & magna copia haustum Venerem suscitat. Fertur, quod si

quis hoc ipſum ſemen cum Calamintha & Lemnia terra commixtum ſumat, eo die neque veneno neque morſu venenati animalis lęditur. Appenſum inguinum morbis peculiari quapiam proprietate medetur. Plura Dioſcorides libro 2. c. 99. Plin. lib. 18. c. 13. Galenus lib. 2. de alim. facult. c. 62. & lib. 6. de ſimpl. med. facult. c. 98. & Simeon Sethi in Syntag.

Animadverſio.

CUm hic radicum primum exemplum habeamus, ſecuti Galenum nonnulla univerſim de eduliis quæ ex radicibus ſumuntur delibanda ſunt nobis. Ac certè imprimis gravis occurrit quęſtio ex mente Mneſithei exorta, an ſcilicet inter omnes plantarum partes, ſint radices deteriores. Exiſtimabat autem Mneſitheus opere de alimentis, radices omnes concoctu eſſe difficiles, turbamque inferre. Cum enim radices attractum è terra alimentum reliquis plantarum partibus diſtribuant, accidit ut humorem plurimum in ſeipſis colligant, eumque crudum, cum fieri nequeat ut ipſum radices coquant, quod ultimam perfectionem & coctionem in ſingulis partibus expectet. Quæ ratiocinatio Mneſithei aliena licet à ratione non videatur, probari tamen non potuit Galeno lib. 2. de aliment. facult. nec Julio Alexandrino comment. in eum Galen. locum & lib. 9. de ſanit. tuend. c. 2. eam enim variis argumentis oppugnant, oſtenduntque in plantis nonnullis perfectiores eſſe radices, magiſque elaboratas quam aliæ ſint partes. Et profectò ſi magna licet componere parvis, ne-

De radicib. plantarum.

mo sanæ mentis animalium ventriculum multis crudis incoctisque humoribus magis redundare pronuntiabit, quod cæteris partibus cibos apparet & concinnet; si enim excessus non sit (qui nunquam accidit in plantis, quæ naturali tantum appetitu fruuntur,) optime receptas dapes coquit coctasque excludit velut supervacuas virtute sua expultrice, quæ nec inferior est attractrice, nec retentrice. Scimus autem quod animalibus est venter, id plantis esse radicem; ut propterea deterior non sit censenda radix, sicut conditio ventriculi pejor non habetur. Diffiteri tamen nullo modo velim? coctu omnes contumaces esse radices succi crassi & terrestris, ac ut plurimum excrementosi, non ob rationem à Mnesitheo allatam, sed propter contactum terræ, prohibitam transpirationem, aëris luminisque solaris privationem, imbrium humectationem, situm gravemque terræ minimè ventilatæ odorem, unde inficiuntur ac imbuuntur.

Radix instar ventriculi.

Notæ.

Raporum Nomen.

Porrò inter radices habentur Rapa dicta Varoni quasi ruapa quod à terra ruerent, vel secundum Isidorum à rapiendo, id est comprehendendo, cum enim radice amplissima sint manu facilè comprehendi possunt. Malo tamen cum Josepho Scaligero à Gręco vocabulo ῥάπυς ῥάφυς deducere, quo usos fuisse Speusippum & Glaucum refert Athen. 9. Deipnosoph. Sed & Galenus notat 2. de alimentis Rapa vulgari appellatione designare agrestem raphanum. οὕτω τε καὶ τὰ τῶν ῥαφανίδων καὶ τὰ τῶν καλυμένων ἐπιχωρείῳ φωνῇ παρ' ἡμῖν ῥαπῶν. ἔςι δὲ ὡς ἂν τις εἴποι, ῥαφανὶς ἀγρία. Propriè tamen Græci Rapum vocant γογγυλίδα ἀπὸ τοῦ γογγύλου, quod est στρογγύλον, quasi

orbiculatum dicas, aut in rotunditatem circumactum. Vocat quoque Galenus Rapum βουνιάδα ἀπὸ τοῦ βουνοῦ, qui verrucoſum locum collibus & tumulis exaſperatum ſignificat. Ab eadem mente, Apollas apud Athen. rapa à Lacedæmoniis γαστέρας hoc eſt ventres, dici tradidit: quod in modum ventris tumeant, licet Nicander eo nomine à Bœotis Braſſicas intelligi voluerit, dixeritque rapas vocari Zeceltidas, forſan ἀπὸ τῶν ζελκίων, hoc eſt ab oleribus, ſic ab Heſychio dictis. Raporum vero plures enumerantur differentiæ quas omnes perſecutus eſt diligenter Bauhinus ad librum ſecundum Dioſcoridis. Præcipuæ differentiæ ſunt in ἥμερον καὶ ἄγριον, *in ſativum* & *agreſte*, in ἄῤῥεν καὶ θήλειαν, in *maſculum & fœminam*, in *rotundum* & *latum*. Rotundum maſculum eſt, latum fœmina; utrumque autem, vel ſativum, vel agreſte. Galenus vero rapas & napos confundit γογγυλίδας & βουνιάδας, quia, opinor, Napi in raporum genere videntur eſſe & raphano ac Rapo ſimiles, ut forma ſic temperamento. Raporum vero temperamentum ordine ſecundo calidum eſt, primo gradu humidum, cujus rei cauſa profert Pet. Hiſpanus comment. ad Iſaac. *Quia*, inquit, *mediante radice ordinatur ad hominem, ſicut quædam plantæ mediante ſuo fructu: unde debet eſſe magna & multum attrahere de nutrimento, & quia attractio fit de calido, ideo eſt calida: eſt quoque humida, quia multum attrahit de humido aquoſo.*

Differentiæ.

Vſus in cibis.

Uſus raporum in victu & medicina. Eſitaſſe quoſdam rapas teſtatur Plinius Junior cap. 33. de viris Illuſtribus, exemplo Curii Dentati, qui ex vaſe fictili apud Florum rapas comedere

solitus erat. Romulum quoque rapis victitasse, & iisdem etiamnum in cœlo pasci, post Senecam in apocolocyntosi scripsit Martial. libro 23. epig. 16.

Hac tibi brumali gaudentia frigore rapa
Quæ damus, in cœlo Romulus esse solet.

Euphorio Comicus testis est, Coquum Nicomedis Bithiniæ Regis apuam cupientis, cum longius à mari distaret, pisciculum illum imitatus apposuisse rapas apuis persimiles, quod Apicio tribuit Suidas. Raporum non parva gloria; quod unum dicatur in templo Apollinis Delphici dicatum è plumbo, beta una ex argento, raphanus ex auro, ordine quasi dignitatis in cibis. Carius emptum fama est rapum à Ludovico XI. Galliarum Rege, oblatam enim à Conone homine rustico rapam apud quem avidè eo cibo vesci solitus erat, mille aureis emendam duxit & inter pretiosam suppellectilem collocandam. Ex rapis autem, præsertim edulis, radix, & folia & caulis abiici solita, licet nonnunquam penuria melioris cibarii ipsa quoquu esitata narret Gall. 2. de alimentis: Cymas etiam ejus mandi decoctas, auctor Dioscorides, Imo & homini *non minor rapaciorum suis horis grati quam Cymarum*, inquit Plinius, ubi per rapacia, vel cauliculos, vel raporum folia nonnulli exponunt. Minimum nutrire idem Galenus voluit, eodem lib. cap. de rapis, multum plus cæteris nutrire censuit Isaac, quo modo id intelligendum? Respondet Pet. Hispanus *rapam loquendo materialiter minus nutrire borragine & lactuca: sed accidentaliter plus, quia tardius convertitur in substantiam membrorum & diutius immoratur in membris. Addit comparati rapum cum*

Difficultas soluta.

herbis quæ nutriunt per radicem non per folia, ſicque minus nutrire quam folia herbarum, ſed magis quam aliæ radices. Hæc tamen poſtrema diſtinctio nodum non ſolvit, quia expreſſe dicit Galeni textus latinus Martino Gregorio interprete, *ſi aqua incoquatur nullam plantarum congenerum minus nutrire.* Sed omnis difficultas tolletur per ipſum Galenum; cujus verba Græca ubi produxero difficile non erit judicare primo graviſſimos errores commiſſos ab interpretibus, contra mentem ipſam Auctorum, deinde Galenum & Iſaacum non diſſentire. Verba Galeni ex exemplari Venetiano & Baſileenſi, ſic ſe habent, ἡ δὲ ἐν αὐτῇ περιεχομένη ῥίζα πρὶν μὲν ἑψηθῆναι, σκληρὰ καὶ ἄβρωτος ὑπάρχει, δι' οὐδὲν τοῖς δ' ἑψηθεῖσα θαυμάσαι, μὴ ἂν εἴ τινος τῶν ὁμογενῶν φυτῶν, ἧττον τρέφει, id eſt, *radix vero quæ terra continetur priuſquam coquatur dura eſt & minime eſculenta, cocta vero ex aqua cum fuerit, mirarer ſi minus nutriret, quam ulla alia ex congeneribus plantis* an ut perbelle cum Iſaaci expoſitione ab Hiſpano facta Galenus conſentit: & ipſi Galeno Oribaſius collectan. medicinal. lib. 2. cap. 18. *Si*, inquit, *rapæ minus quam ulla alia planta quæ ſit ejuſdem generis, nutrirent; utique mirarer.* Et certe Paul. Æginet lib. 1. de re med. c. 76. non eſt adverſus Galen. ſcribens: βουνιάδα τε καὶ γογγύλην προσαγορευομένην δισεφθὸν ἐσθιομένην θρέψιμον οὐχ ἧττον τῶν ἄλλων φυτῶν. *Bis coctum rapum in cibo acceptum non minus quam alias plantas nutrire.* Quod confirmavit Simeon Sethi his verbis: Θρέψιμα δ' εἰσιν ἱκανῶς καὶ διουρητικὰ, καὶ φυσώδη καὶ σπέρματος γεννητικὰ, *Rapa*, inquit, *abunde nutriunt, urinas provocant, flatum excitant, ſemen generant.* Sed argumentum multi nutrimenti eſt,

Error Martini Gregorii.

Verſio Galeni emendata.

quod nonnullis gentibus primus sit & solus à pane & vino cibus. *A vino atque messe tertius hic transpadanis fructus*, ait Plinius capite decimo tertio libro 18. Omnium tamen raporum non æqualis gloria. Crates commendat rapa è Cephisso Bœotiæ fluvio, Diocles è Magnesia, Athenæus Thebana, Clem. Alexand. lib. 2. pędag. Mantinica; quo loco errorem Danielis Hiensii Interpretis & Herveti castigatoris notabis, qui γογγύλην μαντινικὴν vertunt bolum Mantinicum, nullo sensu, cum vertere debuissent rapum Mantinicum; quod etiam laudatur à Cœlio Rhodigino lib. 9. cap. 12. & lib. 28. cap. 7. Certe Diocles prope Magnesiam rapa gigni inusitatæ magnitudinis docet γλυκεῖα καὶ εὐστόμαχα, *dulcia & utilia stomacho*. Vidit Plinius quadraginta libras excedentia; Jul. Alexandrinus in Bohemia ad Marcomanos plantæ genus raparum facie observavit, radice hominis proceritatem non ęquans solum, sed interdum superans. Nunc Sabaudis ac Lemovicis palma tribuitur, ut olim apud Romanos Nursinis, quæ ob id à Martiali cp. 20. lib. 13. pilæ Nursinæ vocantur.

Error Heinsii.

Hos (Napos) Amiternus ager fœlicib⁹ educat hortis,
Nursinas poteris parcius esse pilas

Dum autem in bonitatem & magnitudinem raporum incidimus, non abs re erit quærere cum Petro Hispano cur ita magna crescant; quove meliora tempore, hyeme an æstate. Ad primum quod attinet, tres ejus rei causas affert Hispanus. Prima est? attractivæ facultatis fortitudo expulsivam diminuens: cum ergo valeant attrahendo radices raporum non multum expellunt in folia. Secunda est gratia finis, quia ordinantur ad hominem mediante radice; Tertia est

Rapa cur crescũt.

ex philoſopho, qui dicit naturam quod addit in una dimenſione, diminuere in alterá unde quod addit in longitudinem, diminuit in groſſitiem. *Hinc videmus*, inquit, *Nobiles præſertim Sabaudos habere tibias longas & graciles, ruſticos vero tibias groſſas & breves.* Quod ad alterum ſpectat, hyeme meliora credit, tum quia gelu ratione ſuæ frigiditatis ſubſtantiam eorum dilatat & remollit eamque magis reddit aptam digeſtioni: tum quia frigus virtutem eorum attractivam debilitat, & calorem intus nativum auget, ſicque perfectius digerit. Quæ doctrina ex priſcis auctoribus deducta eſt. *Frigore*, inquit Plinius, *dulciora fieri rapa exiſtimantur, & grandiora tempore in folia exeunt.* Nicander lib. 2. Georg.

Καὶ τὰς μὲν καύκοσον ἀποβλωύας βορέησι
Πεσσφιλέας χειμῶνι, καὶ οἱ κνεσίσιν ἀεργοῖς.

Hoc eſt, *rapas collige boreæ frigoribus jam domitas, hyemi gratas, famuliſque tum domi otioſis.*

Porro non uno apparatu Rapa elitata ſunt, ſed diverſo, interdum enim cum aceto & ſale aſſumpta fuerunt irritandæ appetentiæ: Interdum cum acero & ſinapi; alias cum muſto, & uvis paſſis, ut videre licet apud Columell. lib. 12. & Athen. lib. 4. *picta quoque fuiſſe coloribus præter ſuum ſex aliis, purpureo quoque* notat Plinius, *neque aliud in cibis tingi decuiſſe.* Aſſatione pręterea parata manduntur; frequenter autem in aqua decocta; idque utilius.

Cęterum uſus in Medicina non eſt quod exequar, ſunt enim ab omnibus pene Medicis & deſcripti & exarati. Si quis Naporum utilitatem in cibis videre cupiat, legat Bruyerinum lib. 4. de re

cibaria cap. 4. ubi diffusè Naporum historia explicatur: si quis enim omnia exequi velit, amplo is volumine indigeat. Deinde hîc de rapis non de napis quęstio est.

De Caule.

Cap. XXV.

IUS caulis solvit, cujus substantia stringit,
Utraque quando datur, venter laxare paratur.

HIC agitur de caulibus, per quos nihil jam aliud intelligendum, quam vulgare illud olus, quod κράμβη Græcis, Latinis vero Brassica dicitur, atque hoc vel ex Martiali discere licet, qui xeniorum libro eos caules per nitratam aquam virides conservari ait:

Ne tibi pallentes moveant fastidia caules,
Nitrata viridis braßica fiat aqua.

Recensentur autem hoc loco tres ipsorum facultates. Quarum prima quidem est, decoctum eorum, & maximè primæ ebullitionis, ventris soluendi vim obtinere. In foliis námque & exterioribus partibus nitrosa quædam & abstersoria inest qualitas, quam sane, cum debiliter admodum inhæreat, modica elixatio in aquam facile deponit, eique potentiam adjicit purgatoriam. Atque hinc adeo fit, ut jus primæ decoctionis alvum excellentius, quam secundæ dejiciat. Nitrosa enim illa & abstersoria qualitas exquisitè per primam segregatur, atque in aquam deponitur. Secunda est, corpus ipsum sive substantiam, communi siccan-

tium ratione ventrem ſiſtere magis , quam ad dejiciendum incitare , quia purgatoria potentia per decoctionem aufertur , & relinquitur ſubſtantia terrea ſicca , quæ ſumpta ventrem adſtringit, idque multo magis, ſi non bis duntaxat , ſed ter aut quater aquam effuderis. Nam quanto exquiſitius in aquam ſuccum ſuum depoſuerit, tanto & illi quidem majorem purgandi vim adjiciet, & reliquam ſui ſubſtantiam, quæ velut oleris ipſius caro eſt, reſtringentem efficiet. Eadem eſt ratio in beta atque adeo in omnibus ferme, quibus ſapor aut acris, aut nitroſus, aut ſalſus ineſt. Quippe & lenticula ipſa, tametſi ſatis magnam adſtringendi potentiam guſtu refert, tamen ejuſmodi quid ſortita eſt. Nam & hujus decoctum ventris ſolvendi vim obtinet. Verum hic ſuccus , etiam ſi deguſtes , perſpicuam miſturam repræſentat, tanquam ſi nitroſo auſterum quid commiſceas. Sed & conchularum maris ceterorumque fere oſtreorum ſuccus plane tum ſalſus eſt, tum ventrem ſolvendi vim obtinet : quamvis eorum caro ventrem reprimat. Tertia eſt , utrumque, nempe decoctum atque ſubſtantiam ſimul ventris ſubductionem efficere : cum enim vires ſuas ita retineant , abſtergere etiam, & inteſtina ad expulſionem irritare conſentaneum eſt. Lege hac de re plura apud Galenum , libro 3. de ſimplic. medicam. facultat. c. 14. & lib. 1. c. 3. & 25. & libro 2. c. 44. de aliment. facultat. Proditum quoque eſt, Braſſicam naturali quadam facultate vino adverſari, & curare temulentiam : Unde quærit Ariſtoteles, 3. Sectio problemat. 17. Quid eſt cur braſſica ſedet crapulam? Nonnulli reſpondent hoc evenire ſolitum , quod ex eſu ejus fumi eleventur

Braſſica temulentiam curat.

admodum craſſi, qui, cum vini vapores incraſſent, ad cerebrum aſcendere etiam prohibent. Ariſtoteles tamen aliam adſignat cauſam, nempe quod quicquid humores vinoſos undique & omni ea corporis parte ad ſe in alvum trahit, & corpus refrigerat, tollat crapulam. Braſſica autem eſt hujuſmodi. Ergo braſſica curat crapulam. Minor probatur, quia per ſuccum ejus humores, qui vinoſi crudique tenentur, è toto corpore detrahuntur. Ipſa vero ſubſtantia frigida, ſtyptica ac terrea, ſupra in ventriculo remanens, corpus refrigerat, quo fit ut tenues humores ad veſicam labantur. Cum igitur humor utrinque educatur, corpúſque refrigeretur, rectè per conſequens à crapula liberatur. Evenit ad hæc ut cum humores deorſum ad ſe trahunt atque excernunt, flatum etiam ſecum deducant, qui, ſi per vinum liceat, in caput ſe efferens gravitatem creat & crapulam: ſin autem, deorſum ſe vertit, corpuſque ob cauſam prædictam refrigeratum eſt, dolor crapulæ omnis tollitur. Quin & ipſa Braſſicæ folia, quemadmodum libro 2. de compoſit. medicam. local. cap. 5. Galenus atteſtatur, calida macerata capitique circũpoſita ac obligata naturaliter ebrietati reſiſtũt. Porro Braſſica, quæ edendo eſt, calefacit & ſiccat primo exceſſu: parvum & melancholicum ſuccum procreat: Æſtiva tamen pejor eſt eſt quam hyberna; Oculorum aciem hebetat, unde Græcis κράμβη dicta cenſetur, quaſi κορράμβλη, quod pupillas oculorum, quas illi κόρας vocant, obtundat hebetétque ſomnum per contraria inſomnia interturbat, ſtomacho incommoda eſt parúmque nutrit, at ſi cum pingui carne coquatur, plurimum noxæ atque vitii amittit. Urinam ac menſes ciet, & lumbricos

interficit. Succus ejus cum melle ſumptus magnifice defectiones vocis juvat, & ſi vulneribus imponatur, ea glutinat, doloſa malignaque ulcera & inſturatas inflammationes ſanat. Pura Dioſcorides libro ſecundo, cap. 18. Plinius libro vigeſimo, capite nono: Galenus locis ſupra citatis: Simeon Sethi in Syntagmate: Rhazes libro tertio, capite decimo octavo ad Almanſorem, & Avicenna 2. Canon. capite centeſimo quadrageſimo ſecundo.

Animadverſio.

Braſſicæ Nomē.

BRaſſica olus eſt cujus Medicina populum Romanum ſexcentis annis tantum uſum jactitant, cujuſque ſolo uſu Varronem familiam ſuam à peſtilentia tutam præſtitiſſe aiunt, cui nunc principatus eſt hortorum. Dictam *Braßicam* vult Varro quaſi *paßicam*, quod ex ſcapo minutatim præſiccetur, & paſſa fiat. Feſtus à præſecando vocatam putat. Heſychius braſſicam Italicè βράσκην, vel ut placet Joſ. Scalig. βρασίκην appellatam innuit, fortaſſe ἀπὸ τοῦ βράπτειν, quod eſt ἐσθίειν edere, τῷ στόματι ἕλκειν ore trahere; ἀστενάζειν, id eſt ingemiſcere; alluſione facta ad lacrymas Lycurgi è quibus progenitam braſſicam narrat Neſtor in Alexicepo apud Conſtantin. Cæſarem lib. 12. Geoponić cap 17. Inueni & appellari Gaules necnon privatum olus veteribus Latinis. Græci autem κράμβην dicunt & articè κοράμβην quaſi ἀμβλύνουσαν τὰς κόρας *oculos hebetentem*, vel κοράμβην διὰ τὸ τὰς κόρας βλάπτειν *quod oculis noceat*, aut certe κοράμβη denominata ἐν τῷ κόρῳ ἀναβαίνουσα, *quod crapulæ & ebrietati inſiſtat*, ὅθεν καὶ πρῶτον ἐν τοῖς συμποσίοις δίδοται, καὶ παρὰ ἀμπέλῳ οὐ φύεται, inquit au-

ctor Ethymol. ut postea obſervabimus. Eſt autem Braſſica, ut quibuſdam Græcis videtur, calida & ſicca. Hippocrates quidem lib. 2. de diæta, *Braßicam calefacere, alvum movere, & bilioſa ducere ſcribit,* κράμβη, inquit, θερμαίνει, καὶ διαχωρέει, καὶ τὰ χολώδεα ἄγει. Libro quoque de affectionibus acrimoniam illi tribuit quæ nunquam à calore ſemota reperitur. Galenus, Paulus, Oribaſius ſiccare quidem eam aiunt, ſed de ejus calore aut frigiditate expreſſis verbis non loquuntur: colligi tamen facilè poteſt eos calidam braſſicam ſtatuiſſe. Galenus enim lib. 7. de ſimpl. Medicam. facultatib. cum dicat braſſicam agreſtem quodammodo calidiorem ſiccioremque eſſe quam ſit domeſtica, innuere videtur calidum eſſe domeſticam, ſed minus quam ſit agreſtis, *ceu,* inquit, *accidit ſecundum utramque hanc facultatem, in herbis domeſticis & ſylveſtribus:* deinde vim illi tribuit acrem & ejus combuſtis cineribus cauſticam ſive adurentem, ut ex eo liquido conſtet caliditate quadam braſſicam dotatam eſſe. Eam ipſam ſententiam ac pene Galeni verba habet Oribaſius collectaneorum l. 15. & Aetius tetrab. 1. Sem. 1. At Oribaſius Euporiſton lib. 1. cap. 18. braſſicam collocavit inter alimenta attenuantia, quæ omnia vel odorata, vel acria, vel perſpicue calida dicit. Denique Avicenna familiæ Arabum Princeps lib. 2. tractat. 2. cap. 143. braſſicam cõſtituit calidam in primo, in ſecundo gradu ſiccam; cui non refregatur Serapio tractatu ſecundo de ſimplicibus & plantis calidæ & ſiccæ complexionis in primo exceſſu. Verum inter eos qui frigidam braſſicam ſtatuunt primus eſt Ariſtot. probl. 17. ſect. 3. quo loco ait obſiſtere ebrietati braſſicam, quod *ipſa frigida ſit* αὐτὴ δὲ ἐστὶ ψυχρά.

Tẽperamentum.

Præceptoris

Præceptoris doctrinam secutus est Averroes 5. collectan. cap. 41. & ab illo Isaac in diætis particularibus, qui ambo frigidam & siccam crambem constituunt. In eadem mente fuit quoque inter Græcos Actuarius lib. 7. medend. cap. 2. qui hederæ brassicæve succum inter refrigerantia ac reprimentia collocat. Verba Actuarii Græca ex manuscripto nostro codice, egregio sane & elegãti, apponam, εἰ δὲ καὶ μετὰ πέψιν ἀλγεῖν τοῖς ἐμψύχουσι χρῆσθαι καὶ ἀποκρουστικοῖς κατὰ τῆς κεφαλῆς, οἷον τε ῥόδινον καθ' αὐτὸ καὶ σὺν ὄξει, ἢ μετὰ χυλοῦ κισσοῦ ἢ κράμβης. id est, *si vero post coctionem doluerit caput, utendum refrigerantibus & repercutientibus capiti appositis, quale est rosaceum per se & cum aceto, vel cum succo hederæ aut brassicæ*; que omnia pene iisdem verbis repetuntur apud Trallianum lib. 1. cap. 10. Ex hac dissentientium Medicorum enumeratione, quid de ea difficultate sentiendum satis non constat, cum auctoritate & numero alii aliis non cedant. Ex recentioribus Jul. Gustavinus, & Ludov. Septalius com. ad probl. 17. Arist. sect. 3. difficultatem istam viderunt, sed dissolverunt minime. Posterior tamen levem caliditatem superficiariam agnoscit in brassica, quæ prima coctione evanescit, quod reliquum est, frigidum cum Aristotele credit. Qui diorismus ex Conciliatore comm. in prædictam probl. & ex Pet. Hispano desumptus est comm. in Isaac ubi hæc iste habet. *Nota quod in caule est duplex substantia: quædam superficialis, calida & sicca; & ista cito resolvitur in prima aqua, & etiam per ablutionem; unde lotus non maturat apostemata, & per istam viam est calida & sicca & principatius competit in via Medicinæ: quædam est complexio centralis frigida & sicca, & per istam principalius competit in via cibi & diætæ.* Ego vero agnosco quidem cum Gal.

An brassica calida vel frigida.

lib. 3. de simpl. cap. 15. duplicem in brassica, ut substantiam sic qualitatemaliam: quidem succulentam, ac liquidam tenuemque quæ calida est, alteram vero solidam, crassam ac terrestrem quæ frigida sit. Ac illa quidem non tantum superficiaria est (ut viris doctis placuit) sed diffusa, & per superficiem & per centrum; quo fit ut prima ebullitione tota illa substantia non extrahatur, sed secunda, tertia, quartave. *Si totam braßicam*, inquit Galen. *concoquas, primamque ejus aquam in quam succum deposuit effundas, iterumque eam alteri aquæ injicias, rursumque concocta effundas & ipsam, succum quidem purgare offendes, braßicam vero ventrem adstringere, multoque magis, si non bis duntaxat, sed ter aut quater aquam effuderis. Nam quanto exquisitiùs in aquam succum suum deposuerit, tanto & illi quidem majorem purgandi vim adjiciet, & reliquam sui substantiam, quæ velut oleris ipsius caro est, restringentem efficiet.* Hæc ille, ex quo parum inter se dissentire auctores, quivis deprehendet; observandum interim brassicam sine ulla præparatione consideratam cum Hippocrate, calidam potius quam cum Averroe frigidam definiendam. Ex brassicæ effectu alia gravis exurgit controversia inter Hippocratem & Galenum. Ille enim lib. περὶ παθῶν scribit brassicam acrimoniam quandam habere ad secessum, *simulque boni esse succi.* κράμβη δὲ ἔχει τινὰ δριμύτητα ἐσὸ διακωρέειν, καὶ ἅμα εὔχυμος. At Galenus & cum eo cæteri Medici, *succum non bonum habere.* ut lactucam, monuit l. 20. de alimentis & 1. de differentiis febtium cap. 4. sed *pravum & graveolentem*, μοχθηρὸν καὶ δυσώδη, adeo ut comm. 1. in 3. epidem. part. 14. ab exhalatione brassicæ, carei & buxi circunstantem aërem pravum reddi notaverit. Equidem Palladius Hippocrat. com-

Brassicæ affectus.

mentator annotatione ad part. 40. ſect. 2. lib. 6. epidem. Braſſicam ut cibum ſemper damnari, quippe quæ malum ſuccum pariat, audacter pronunciavit, qui aliter dixerit extat nemo. Non ignoro quid Nicolaus Rorarius contradict. ſeptima in medium protulerit ad explicandum Hippocratem. Dici quoque poſſet tempore Hippocratis tali in commendatione fuiſſe braſſicam, ut id ex vulgi mente proferre non dubitaret. Nicander enim in Georgicis notat Priſcos braſſicam *inter olera vatem* μάντιν λαχάνοισιν ἱερὰν vocaviſſe. Sic Menander ἱερὰν ſive *ſacram* vocavit, adorari ſolitam addidit Hipponactes in Iambis; ac per eam ipſam multos juraſſe. Ananius Teleclides & Eupolis memoriæ prodiderunt quod jusjurandum ionicum fuit, qua dialecto ſcripſiſſe Hippocratem conſtat. Ex hac braſſicæ gloria factum eſt ut Pythagoras, Chryſippus, & Dieuches privatim volumina braſſicæ dicaverint: eratque Athenienſibus recepta conſuetudo, ut puerperis braſſica pararetur; velut *idoneum medicamentum nutriendo corpori,* ἀντιφάρμακον εἰς ζωήν. A qua mente Cato de re ruſt. cap. 156. *braſſicam omnibus oleribus antiſtare voluit*, mirifice conquere, alvum bonam facere, ejuſque lotium ad omnes res ſalubre eſſe. Imo vero lib. 12. Geoponic. cap. 17. obſervatum eſt eam *alimentum corpori abundè præbere, adeout pueri braſsica veſcentes citius augeſcant*, τρόφιμος δὲ ἐστιν ἐπὶ τοσοῦτον ὥς τε αὐξεσθαι τὰ παιδία ταχύτερον κράμβην ἐσθίοντα. Hæc inquam omnia plurave alia licet afferri poſſint ad Hippocratis ſententiam emolliendam; fruſtra tamen adduci credo, cum alia mens fuerit Hippocratis & alio modo legenda ejus verba, loco enim εὔχυμος reſtituendum εὐκοίλιος, quæ vox braſſicam *alvo commodam* eſſe

Hippocrat. emendatus.

designat: quod epitheton illi tribuit Dioscorides lib. 2. κράμβη, inquit, ἡ ἥμερος εὐκοίλιος. Idipsum dixit Cato de re rust. his verbis. *Id bene faciet, & male nihil sinet in corpore consistere & alvum bonam faciet.* Plinius dixit *utilem stomacho*, mea quidem sententia malè; cum κακοστόμαχος vocetur Dioscoridi: satius fuisset utilem ventri scribere. Egregium vero exemplum juvandi ventris attulit Hippocrates de brassica lib. 6. epid. sect. 2 part. 24. Quidam enim æger cum adhuc difficulter spiraret, septimo die brassicam edens alvo commota & evacuatis iis quæ circa abdomen erant, difficultatem spirandi amisit, quod aliud non est quam εὐκοίλιον esse. His ita de temperamento & substantia brassicæ discussis, succurrit ut de ejus speciebus ac differentiis variisque in medicina usibus aliquid adjiceretur. Verum ista ut ab hoc loco aliena ad Botanicos relegamus: addimus vero brassicam edi vel crudam vel coctam; Crudam olim esitatam tradit Cato, quo modo vigilias sedare, & imaginationem impedire dictum est, 12. Geoponic. Credo quod acriores sanguinis fumos non tam frigiditate sua cogit ac cohibet, quam caliditate discutit ac digerit. Nobis cruda non venit in esum: vertex seu cimæ brassicæ cypriæ seu floridæ, & ejus interior medulla bellariorum loco apponuntur, & à nonnullis suavissimè eduntur cum sale & pipere. Cocta autem vel una cum jusculo seu decocto assumitur, vel sine decocto, vel sine ea decoctum: optimum est ejus decoctum primum, quia ventris solutivum, bouum quoque decoctum cum brassica sumptum sed sine decocto sumpta brassica, mala est, pravi succi, atrabilarii atque obstruentis. Brassicæ caulis durior improbatur,

Plinius correctus.

mollior ac tenerior eſui eſt, ſed minus ſuavis : folia prima & antiqua duriora ac ſicciora : teneriora vero & quæ Græci κυήματα, Latini Cymata & Cymas vocant, ſapidiora ſunt & ſalubriora. Eſt autem propriè κυήμα fœtus animalium, at hic tranſlatione facta ſignificat cauliculos delicatiores teneriores que, quos appetente Vere in prima florum germinatione & in ſumma ſtirpe hoc olus profert, diſcretis, verum clauſis adhuc florum calicibus, in quibus floris primum, mox ſeminis fœtus clauditur, ὅτι τὸ κυήμα, inquit Theoph. καὶ ἐν ᾧ τὸ ἄνθος ἢ καὶ ὁ καρπός. *Cyma dicitur in qua aut ſemen aut fructus exiſtit.* Plura vide apud Marcell. Donatum comm. in Dioſcor. Probantur autem braſſicæ cum carnibus coctæ, quibus earum frangitur malitia : ſed & nonnullæ carnes ſapidiores ſunt coctæ cum braſſica, ut perdices & columbæ. Temulentiam avertere braſſicas nemo non loquitur ; fruſtra ſim ſi omnia quæ apud Plinium, auctores rei ruſt. Athen. Ariſtot. Petr. Aponen. Septal. Guaſtaunum, Pictorium, Jul. Alexandr. Braſſavol. & alios quam plures extant, congerere voluerim. De Acrepalis (ſic Dioſcorides vocat ea quæ ebrietati reſiſtunt) plura alibi.

κύημα, quid.

De Chærefolio.

CAP. XXVI.

APpoſitum cancris tritum cum melle medetur,
Cum vino potum lateris ſedare dolorem
Sæpe ſolet, tritam ſi nectis deſuper herbam,

Mac. lib. 1. cap. 21.

Sæpe solet vomitum, ventremque tenere solutum.

ENumerantur hoc in loco tres facultates Chærefolii. *Prima*, quod tritum & cum melle appositum cancrum curet. Est autem Cancer tumor durus melancholicus, inæqualis, rotundus, venosus, id est venas habens in circuitu turgidas & exaltatas, livescens sive fuscus, & colore magis quam inflammatione nigricans, calidus, sed non adeo, ut inflammationes subito accrescens, ægros maxime fatigans, & perpetuo fere dolore affligens: Græce καρκίνος & καρκίνωμα dicitur. Hanc autem appellationem huic morbo indiderunt, tam Græci quam Latini à cancro aquatico animali, quoniam circa hunc implentur & intenduntur venæ, cancrorum pedibus, à glomere illo corporis descendentibus, persimiles. Nonnulli vero inde sic nuncuparunt, quod difficillime ab his partibus quas obsederit evellatur, quemadmodum cancer aquaticum animal. Hic enim loco, quem semel apprehenderit, pertinaciter hæret. Adde quod hic tumor, cancri animalis colorem repræsentat, nempe subnigrum. Plura de hoc Paulus lib. 4. c. 26. & Joannes Tagaultius lib. 1. c. 15. chirurg. Instit.

Cancer.

Secunda, Quod cum vino potum lateris dolorem sedet. Tormina quoque ventris mitigat. Crassas enim inflationes, unde dolores isti proveniunt discutit. Preterea stomachi atque aliorum etiam viscerum flatus dissipat, obstructionesque tollit, ad quæ quidem omnia vinum quoque per se sumptum singulare est.

Tormina.

Tertia, Quod vomitus alvique profluvia sistat. Calefaciendi enim & exsiccandi vi materiam eorum discutit atque consumit, & maxime quidem,

Vomitus.

si à frigido & pituitoso succo oriantur. Urinam & menses ciet, lateris, renum ac vesicæ dolores tollit, cum melicrato exhibitum. Porro Chærefolium, de quo hoc loco agitur, nulla alia herba est quam quæ vulgo nostrati *Carfueil* appellatur. Cæterum medicamenta quæ hic de chærefolio produntur, neque apud Plinium, neque apud ullum aliquem autorem Græcum reperiuntur, sed ex Plinio illo recentiore, qui longe post Galeni tempora extitit, omnia transcripta sunt. Nam is hæc verba de ipso tradit: Chærephyllon canceratis medetur, lateris dolores ex vino mitigat. Quidam illud oleo incoctum ἀκόποις ad solvendam frigoris injuriam miscuerunt. Ex aqua mulsa pituitam resolvit. Ex aceto lumbricos & tineas perimit, urinam ciet, menstrua pellit. Tritum cum cera & axungia vetere parotidas discutit. Lege doctissimi veri Jani Cornarii annotationes in c. 22. lib. 1. Mac. Ad hæc succus, sive stillatitius chærefolii liquor, potus cum carbonibus tiliæ & lapide ex cancrorum capitibus exempto, sanguinem ob casum, percussionem, vel contusionem in grumos concretum certo experimento dissolvit, & renum calculos frangit.

li. 4. c. 37. de remed.

Animadversio.

OLus familiare & notum nobis quod vulgo chærefolium vocatur, aut veteribus ignotum fuit ac inusitatum, aut quo nomine ipsum designarent nōdum satis apud Botanicos perspectum atque cognitum. Græci quidem suum habuere Καιρέφυλλον ut vox ipsa sonat, sed qui ex Græcis ea usus sit hactenus neminem legi. Columella

Chærefolii nomē.

& Plinius frequenter eam usurparunt. Ille quidem lib. 10. in horto & l. 11. cap. 3. quibus locis olus esse hortulanum, sativum, atq; esui aptum satis designat, nihil aliud tamen de illo peculiare profert, quam quod sit *breve*, quodque seri debeat eodem modo atque atriplex, papaver, & anethũ; quæ omnia nostro Chęrefolio congrua sunt. Plinius vero chærephylli meminit lib. 1. c. 8. ubi quoque ipsum inter olera connumerat, ac præterea à Græcis pæderota vocari addit. Sic autem denominatum est illud olus, vel quod multis foliis gaudeat, est enim foliosum: vel quod gaudium atque hilaritatem excitet. Ab illo Gręco nomine Chęrefoliũ vere barbarum deductum est, amphibia, ut ita dicam, vox, ex Græca & Latina coalescens, quæ compositionis ratio apud probatos autores penitus inusitata. Eo tamen vocabulo usi sunt Latini auctores nonnulli notæ melioris, Palladius, Apuleius, Macer: ille in Februario tit. 24. hic c. 27. de herbarum viribus, Apuleius, c. 104. de medicaminibus herbarum, ubi observat vocari à Gręcis pęderota, ab aliis boopes, à nonnullis arctophyllon, à Latinis Chęrefolium. Certum autem est ob omnibus illius viris designarum & significatum nostrũ Chęrefolium, cum ipsum inter olera recenseant, sativum à nostro non dissimilem prodant, folio parvo & angusto depingant; sed à quibus Gręcis Medicis descriptum fuerit Chęrefolium, non assignant. Proinde mirum non est si recentiores Phytologi inter se digladientur de nomine Gręco hoc olus significante. Ruellius enim & Menardus ac ipse Fuschius Gingidium Galeni & Dioscoridis esse volunt; Jan. Cornarius vel Gingidium, vel Scandicem, Ludovicus Anguillara Apium montanum, alii Myrrhim, alii Acanthi

genus, omnes ut opinor perperam quemadmodum ex collatione earum herbarũ, cum Chęrefolio patere poteſt; qua de re & Mathiolus, & Dalechampius & Dodonæus egerunt. Si quis autem expoſtulet cur *pæderos* Gręcis Chęrefolium vocatum ſit, dicam quod mihi videtur veriſimile, hoc eſt propter fucum naturalem quo vultum & genas dicitur tingere. Exiſtimatur enim in eſu ſumptum vel crudum in acetariis, vel coctum in juſculis puriorem reddere ſanguinem & defęcatiorem; à puro ſanguine εὐχροια, elegantia coloris in vultu efflorefcentis, qui vel invitos in amorem trahit; venuſtas autem illa in adoleſcentibus, ad παιδεραστίαν ducit, aut invitat. Certe meminit Alexis apud Atheneum lib. 13. deipnoſ. fuci cujuſdam quo meretrices utebantur quem παιδέρωτα vocat, de quo Dalechamp. & Gorręus. Vſus.

Cęterum non eſt quod explicando huic capiti diutius immoremur, cum deſumptum ſit totum ex Macro Poëta cap. 27. nulla voce immutata; ex pluribus tamen verſibus quatuor iſti ſelecti ſunt. Lege ergo Macri commentatores Janum Cornarium, Georgium, Pictorium, & Guillel. Gueroaldum. Paucis autem verbis Montagna facultates & dotes Chęrefolii explicavit conſilio 15.16. & 73. dixit enim *calidum eſſe & ſiccum in principio ſecundi gradus, ſubtiliativum, diureticum, confortativum, aperitivum, ſtomachale, hepaticum.*

Non poſſum autem ſilentio prętermittere nugaciſſimas facultates quas Leonardus Turneiſſerus Chęrefolio tribuit lib ſuo magico de hiſtoria plantarum c. 28. pręterquam quod enim duducit nomen illud ineptiſſime à Cerere & folio quaſi herba vel folium Cereris dicatur; & à Gręc-

co κυρηκῶν φύλλον quod etiam Cereris folium significat; tam multa alia de constellatione, signatura, mistione, efficacia Paracelsica, animali, substantiali, elementari, proprietate corporali, materiali, complexionali, naturali inclinatione, magica, spiritali, cælesti & miraculosa adducit, non sine superstitione, ut mirum fuerit ei homini tantum otii superfuisse, ut hęc scriberet, tantum insaniæ adfuisse, ut hęc meditaretur. Qui insanientem hominem redere voluerit, ejus librum consulat, nec enim tot nugis has animadversiones aspergere nobis consilium est.

De Pastinaca.

Cap. XXVII.

Quod pastum tribuat est Pastinaca vocata.
" *Attamen illa parum nutrit, quia non subacuta.*
" *Confortat coitum, non est ad menstrua muta.*

Animadversio.

Pastinacæ nomé. Primus versus hujus capituli penultimus est cap. 17. apud Macrum; quo quidem Ethymon *Pastinacæ* continetur. Dicta enim est à *pascendo*, seu quod sponte in agris nascatur, seu quod eam sępissime plebs *depascatur*. Turnebus tamen adversar. l. 8. cap. 23. Pastinacam piscem nomen invenisse dicit, *quod telum quasi pastinum habeat.* Pastinacam autem herbam, *quod pastinum referat & tamquam habeat*, forsan vero deducta est à

paſtino quod Palladius accipit pro *terra paſtinatione renovata*, quia in ea terra ſolent paſtinacæ ſeri. Eam Græci σαφυλῖνον ἥμερον vocant ad differentiam ἀγρίω ſeu agreſtis & incultæ: nomen traxit ex eo quod non abſimilis ſit *ſcaporadicis Bryoniæ*, quæ vocatur σάφυλος. Porro cum multiplices ſint paſtinacæ differentiæ, nec inter ſe conveniant Medici in aſſignandis propriis generibus, factum eſt,ut contrarios ac inter ſe repugnantes habeamus eos, in deſcribendis paſtinacæ facultatibus, σαφυλῖνον enim Theophraſtus, δαῦκον nominat, Galenus δαῦκον σαφυλῖνον compoſita dictione, Iſaacus *Bauciam*, ſeu *Elaphoboſcum*. Nonnulli penes colorem in radice diſtingunt, aliam enim faciunt *candidæ* radicis, aliam *Luteæ*, aliam *rubræ ac ſanguineæ*. Placet reſcindendæ omnis ambiguitatis gratia Dodonæi doctrinam ſequi hiſtoriæ ſtirpium pemptadis 5. l.3. c.8. 9. & 10. Is ergo Paſtinacam dividit in ſativam & ſylveſtrem: Sativæ duo genera conſtituit; tenuifolium ac latifolium. Tenuifolium duplex:alterum radice *lutea*, quod Galli vocant, *paſtenade Iaune*, alterum radice *ſaturato rubore nigricante* quod vulgo *Carotam* vocant. At latifolium unius eſt generis cui radix *candida* eſt. Sylveſtris paſtinaca duplex quoque exiſtit:Tenuifolia quę pro Dauco habēda eſt, radice *albida*,vulgo *Paſtenade ſauvage*, & latifolia quæ ἐλαφόϐοσκον eſt Dioſcoridis, licet nonnulli eam ad Panacis ſpeciem, alii ad brancam leoninam, pleriq; ad Bauciam (quæ autore Jacobo Manlio in luminati majore paſtinaca eſt Dioſc.) revocari poſſe contendant. Differentiæ.

His ita conſtitutis conciliemus diſſentientes medicorum ſententias, hinc enim pugnat Diphilus apud Atheneum l. 8. & Artemidorus oniro- Vſus in cibis.

criticon l. 1. cap. 69. ille σαφυλῖνον vocat ἱκανῶς θρεπτικὸν, καὶ εὐςόμαχον μέσως, *satis nutrientem & mediocriter stomachum juvantem*, pastinacam recenset inter εὔφιμα, hoc est ea quæ probe nutriunt. Ad hæc Dodonęus addit alimentum conferre amplius quam rapam, idque etiam paulo crassius; non tamen vitiosum aut reprobum. Ex alia vero parte Paul. Aegin. lib, 1. de re med. c. 76. scribit pastinacæ radices minus quam rapam nutrire. Idem asserit Oribasius collectan. l. 2. cap. 23. Assentitur Simeon Sethi δαυκία τῶν γογγυλίων ὀλιγότροφώτερα constituens, quibus non repugnat Isaacus & ejus commentator Hispanus. Quorum quidem omnium sententiam secuti sunt nostri Salernitani, qui parum nutrire pastinacam volunt. Equidem manifesta est in his viris contradictio, nisi dixerimus hos postremos locutos fuisse partim de pastinaca tenuifolia sativa, partim de agresti tenuifolia: Illos vero de pastinaca sativa latifolia. Paulus & Oribasius de sativa tenuifolia rubra radice intelligendi, quæ ex observatione Dodonęi alimentum non multum prębet, fereq; editur, non cum carnibus cocta unde potest ejus malitia emendari, sed fere cum oleo, sale & aceto in acetariis. Simeon autem Isaacus & Salernirani verba fecere de pastinaca agresti, quam diximus Daucum esse, seu Bauciam, ex quo etiam Simon vocavit δαυκίον, Isaacus Bauciam. Quod si quis obtrudat impossible esse, ut pastinaca edulis pravi sit alimenti, cum temperate calida sit, & nonnihil humida: respondeo cnm Hispano, id repetendum non ex parte complexionis, seu temperamēti: sed ex parte compositionis scu consistentię. Quo modo vero ea quæ temperata sunt in qualitatibus, consistentia prava esse possint, altioris est philosophiæ & con-

Conciliantur Auctores.

Objectio.

Solutio.

templationis, quod opportuno loco exponemus. Porro antequam ex differentiis pastinacæ exeam, notandus est error insignis apud Æginetam, qui librariorum potius ignorantia quam Cornarii interpretis vitio irepsit. Leguntur enim in versione Latina Æginetæ cum Medicæ artis principibus ab Henrico Staphano impressa, hęc verba, lib. nimirum septimo pag. 641. in voce σταφυλίνος. *At sylvestris pastinaca ad omnia debilior sativa est.* Quæ sententia repugnat textui Gręco & ipsi veritati. Hujusmodi & textus Græcus in exemplari Veneto & Basiliano constans, ὁ δὲ ἄγριος ἰσχυρότερος εἰς ἅπαντα τ ἡμέρε. Sylvestris vero valentior est ad omnia quam sativa. Quæ lectio consentit Galeno, & Aetio. Sic Gal. lib. 6. simpl. loquitur de dauco, ὁ δ ἄγριος ἧττον ἐδώδιμος τῆ ἡμέρε σφοδρότερος δ' ἐν πᾶσιν. ὁ δὲ ἥμερος ἐδώδιμος μὲν ἀσθενέστερος δέ. *Agrestis Daucus domestico minus est esui idoneus, sed in omnibus valentior, at domesticus esus aptus sed imbecillior.* Ac rursum lib. 8. σαφιλίνος ὁ μὲν ἥμερος ἀσθενέστερος, ὁ δ' ἄγριος ἰσχυρότερος εἰς ἅπάντα. Quæ ipsissima Galeni verba repetuntur ab Ætio lib. 1. in voce δαῦκως & in voce σαφυλῖνος. Atque hęc dicta sufficiant ad intelligendos duos priores capituli istius versus: unum tamen est quod satis non intelligo, cur scilicet dicant Salernitani parum nutrire pastinacam *quid non sit subacuta.* Num forsan intelligunt eam non esse tenuium partium, sed crassarum & terrenarum quarū opera fit ut diu in ventre hæreat, nec ad jecur feratur sanguinis officinam? An insipidam significant ejus substantiam qua torpet appetitus; hinc apparari solet illa cum aceto ut appetentiam excitet, atque ut tenuitate aceti distribuatur per venas mesaraicas ad jecur. Quod ad postremum carmen attinet, illud

Paulus emendatus.

pastinacæ complectitur facultates quas illi omnes uno ore attribuunt. Dioscorides ait συνουσίαν παρορμᾶν, Galenus τὸ ἀφροδισιαστικὸν obtinere, καὶ τὸ παροξωτικὸν; & ut loquitur Diphilus διεγερτικὸν πρὸς ἀφροδίσια. Hinc factum est, ut à nonnullis φίλτρον appellata sit. Certe Orpheus apud Plinium libri vigesimi capite quinto amatorium ei inesse dixit, *quoniam venerem stimulari hoc cibo sit certum.* Et vero cum duo genera sint præsidiorum quæ venerem excitare creduntur, alia quidem intro sumpta; alia foris admota & imposita; pastinaca ad priora pertinet, nam & ratione nutrimenti, & ratione temperamenti calidi, & ratione partium flatulentatum venerem accendit; addunt Phytognomonici excitandæ veneri aptam pastinacam, quod *æstate crescat*, & *uberi semine* turgeat: at medicamenta foris imposita ἐντατικὰ vocantur ἀπὸ τῆς ἐντάσεως, quod tentiginem virilium excitent, vel dicuntur secundum Africanum in Astrosophistis στυσίδαι, ab arrectionis facultate παρὰ τὸ στύειν. De quibus videre potes Eustathium ad Iliad. ς. & Junium Adrian. animadvers. lib. 4. cap. 13.

Venerē excitātia præsides.

Non obmittendum est à Dioscoride & Apuleio pastinacam alio nomine vocari κέρας καὶ κόμην, cornu & comam. Ac certe cornu vocatur, vel quia radice velut cornu terram findat, vel quia radice formam & longitudinem cornu imitetur, vel quia ferrata & capillata non solum radice sed umbella existit; κέρας enim, ut testatur Plutarchus, libello an terrestribus aut aquatilibus major prudentia, significat apud priscos Græcos τρέχα, id est capillum, unde κείρειν tondere, κουρὰ tonsura & apud Archilocum Poëtam κεροπλάστης, id est, ὁ περὶ κόμην καλλωπιστὴς, qui in ornanda coma occupatur, quod mihi videtur ve-

Alia nomina pastinacæ.

κέρας quid.

risimile, nam vocatur quoque κόμη, quasi dicas comatam ac *capallatam instar fœniculi*, inquit Apul.

De Absinthio.

Cap. XXVIII.

Nausea non poterit quemquam vexare marina, "
Antea commistam vino qui sumpserit istam. "
Confortat nervos & causas pectoris omnes, "
Serpentes nidore fugat, bibitumque venenum, "
Auris depellit sonitum cum felle bovino. "

CUm plerisque necessitas incidat navigio per mare proficiscendi, hic etiam remedia quędā adversus nauseas & vomitiones, quibus premi solent, qui navium insueti primum jam navigare incipiunt, enumerare placuit. Nempe, si divites illi fuerint, ut per dies aliquot antequam navem conscendant, vinum suum aqua marina temperent: si pauperes, aquam marinam absque mistione bibant. Sic enim fiet, ut nauseas citra ullum negotium evitent: Nam vinum & præcipue aquosum, quod Paulo Æginetæ οἰνάειον Græce dicitur, stomacho vomitionibus turbato maxime convenit. Aqua vero marina, salsa & adstrictoria sua vi os ventriculi claudens, vomitiones præcidit atque impedit. Porro vomitionibus primum jam oborientibus, nec facile, nec utiliter resistitur; ut quæ omnino magna ex parte præsidio esse soleant contra magnas & vehementes ægritudines, nimirum elephantiasin, aquam intercutem, apoplexiam, &

Oribas. 5. c.l. 5. Synopſ. ad Eustathium.

ſtomachi tum frigiditatem, tum inflationem. Siquidem ab his non ſolum præſervant, ſed eaſdem etiam jam obortas vel curant, vel certe levant. At ſi diutius crebriuſque urgeant, adeo ut navigantes vehementer debilitentur, comeſtione ſtypticorum & acidorum fructuum, cujuſmodi ſunt mala cydonia, mala mariana hoc eſt, ut interpretatur Jacobus Sylvius, poma ſylveſtria, ut vero Janus Cornarius, poma arantia & noſtra orbicularia, & curtipendicula poma, quæ Epyroticis malis reſpondere putantur, vulgo Capenduta ſit *Pommes de Capandus* Gallice vocantur, & punica ſive granada acida, reſtringentia ſunt. Hæc enim os ventriculi corroborant & humorem ſurſum repentem deorſum revellunt, ac inferne per ventrem evacuant, fluentemque ſtomachum ſiſtunt. Quin & ipſe ſtomachus ab hiſce roboratus fructibus, humores ad ſe undarum exagitatione confluentes reprimit. Apii quoque ſemen torrefactum ac in vino potum confert. Abſinthium qnoque tam in cibo quam in potu ſumptum nauſeas tollit. Panis item aſſatus ſi ex vino aquoſo & odoro maceratus ingeratur, prodeſt. In ſumma tota victus ratio, tum ex acidis & ventriculum roborantibus, tum vapores etiam ſive fumos ad caput aſcendere prohibentibus, conſtituenda eſt; in quorum numero & lenticulis comprimis in aceto vel ſucco vuæ acerbæ incoctæ reponendæ ſunt. Plura Paulus Ægineta, lib. 1. cap. 56. & Avicen. 3. 1. doctrin. cap. 7.

Vapores ſtomachi prohibenta.

Adnimadverſio.

Animadversio.

IN exponendo hoc capite graviter omnes commentatores hallucinati sunt, illud enim intelligendum proposuerunt de aqua marina potanda cum vino adversus nauseam eorum qui se primum mari committunt; cum explicandum esset de Absinthio, & ejus facultatibus. Nam ut taceam meos codices manuscript. qui titulum de absinthio circumferunt, omni exceptione major est Macri authoritas, ex cujus cap. 3. de absinthio omnia capituli hujus præcepta desumpta sunt: imo vero duo priores versus & ultimus ad verbum ex eo descripti fuerunt, vix mutata litterula. Observatum autem à nobis est, nonnullos versus ex Macro deprompsisse Salernitanos Medicos, cujus forsan exemplum & scribendi caracterem imitati sunt in hoc opere elaborando. Non diffiteor ad nauseam marinam evitandam hoc caput insertum: cum *ejus principis* ratio habebatur, qui se frequenter mari committeret, cujus tamen odorē sine nausea, fastidio ac vomitu forsan ferre non poterat. Sed persuaderi non possum aquam matinam pro remedio illi esse prescriptā, tum quia à nullo auctore ejus præsidii mētio fiat, tum quia nauseam potius ob ejus gravem odorem excitare possit, stomachi phlogosin suscitare, sitimque accendere. Ut ut sit, intelligendum hoc caput de absinthio mea est sententia. Est vero absinthium Græcis & Latinis dictum, ἀπὸ τοῦ ἀψεῖν hoc est à *contrectando* per antiphrasim, quod nullū animal ob eximiam amaritudinem hanc herbā attin- Absinthii nomen.

gat aut depascatur. Simili modo à comicis quibusdam ἀπίνθιον quasi ἄπινον denominatum, ὃ οὐκ ἀνέχοις διὰ πικρότητα; *quid bibi non poßit propter amarorem.* Ego absinthium dictam puto ab privativa, & à voce ψίνθος, quam hesychius τέρψιν hoc est *delectationē & oblectationem* significare dicit, quasi ἄψινθος sit, sine delectatione, sive quod gustum non delectet. Quid si etiam dixerimus vocatam ἀψίνθιον ἀπὸ τοῦ ἀπτέσθαι quod est *gustare* & esitare? quod nimirum ea herba gustari & edi debeat, propter ejus insignes dotes. Hinc quoq; factum, ut *ejus sapor in vina olim transferetur, & propinaretur quadrigæ victori*, apud Plinium, diceretur que Dioscoridi appetētiam vel intermortuam excitare. A nonnullis alio nomine vocatur βαθύπικρον ἢ βαρύπικρον *à gravitate amaritudinis*, totum herbæ corpus perfun-

Differentiæ. dentis. Genus absinthii varium, adeout Joa. Bauhinus caput magnū quod libri instar esse potest, in lucē emiserit de plantis absinthii nomen habētib⁹, Gaspar vero vigenti differentias in Phytopinace recēsuerit, cōmendatur tamen *Ponticum, Romanū, vulgare, Santonicū & marinū. Ponticum*, non à sapore pontico hoc est stiptico & adstringenti, ut quidam volunt, denominatum fuit, sed à Ponto regione proximisque illi Cappadocia & Tauro monte ubi prestantissimum nascitur. *Romanum* nonnulli appellatum putant, quod in antiquis Romæ ruinis copiosissime proveniret: alii quod in sacris Romanorum ceremoniis usurparetur, & victorib⁹ quadrigarum propinaretur; sed ridicule. Ea enim appellatio defluxit à barbaris Arabum Interpretibus, qui Absinthium *Rumi* & *Rom* apud Arabes invenientes, putarunt illis vocibus Romanum Absinthium designari, nec intellexerunt his vocabulis designari Græcum seu Ponticum.

Equidem Arabes & etiamnum hodie Turci per *Rumes*, *Rumeca* & *Rumelia* Græciam totam, Asiam minorem & Armeniam, quarum incolæ græco fere omnes idiomate vituntur; ac pro operculo capitis, *Tiaris* seu *Turbantibus*, significant ac designant; per *frangi* vero omnes Occidentales regiones intelligunt, quarum incolæ & comati omnes & pileati existunt. Ubi ergo Arabes dicunt absinthium *Rumi* seu *Rom*, vertendum est *græcum* aut *ponticum* quod optimum habeatur in regionibus *Rumi* hoc est *Græcis & Asiaticis*. Id licet obscurè, tamen diffusè expositum lege apud Claudium Rochardum tractatu de absinthiis. Porro *vulgare* absinthium dicitur non distincta quædam species ac particularis, sed respectu eorum apud quos nascitur, & in usu est. Sic quia ponticum absinthium in usu fuit apud Dioscoridem & Græcos Medicos, ideo eis Ponticum vulgare vocatum fuit; apud nos quia usitatum Santonicum, idcirco ipsum nobis vulgare est: vulgare enim dici solet id quod inventu & usu facile existit. At *Santonicum*, quicquid alii aliter sentiant, à Santonica regione, seu Galliæ civitate appellationem sumpsit: velut *Marinum*, à mari, in quo aut ejus finitimis locis luxuriat; pręcipuè vero in Taphosiri Ægypti regione: Illic enim & optime notæ est, & magno in honore habetur; cum ejus ramum Isiaci sacerdotes pro olivæ ramo præferre solenne quondam habuerint, observante Dioscorid. lib. 3. cap. 24. & Plinio lib. 27. cap. 8.

Expositis absinthi differentiis, ejus temperiem, facultatesque explicemus. Nonnulli calidum in primo gradu, siccum in secundo; alii vero calidum in secundo, in tertio siccum constituunt. Galenus sexto simpicium excalfacere pariter & extergere, *Temperamentũ.*

roborare & deſiccare dicit, qualitatemque poſſidere adſtrictoriam, amaram & acrem ſimul. Ponticum autem abſinntium gratum eſt & amicum ſtomacho, marinum vero inimicum : proinde

Vſus in Cibis.

Theophraſt. lib. 9. hiſt. plant. cap. 18. & Plinius lib. 27. cap. 7. pontico abſinthio *pecora pingueſcere & ob id ſine felle reperiri docuerunt; neq; aliud prſtæantius eſſe, cujus medulla ſit dulcis.* Rem tamen alimentariam auxiſſe abſinthium non credo : ſi quæ ex eo utilitas, quam agnoſco maximam, petitur qua medicamentum eſt. Nam licet pro præmio honorifice potandum daretur victori quadrigarum in latinorũ feriis, id erat velut ad ſanitatem conſervandam ; quamvis etiam ſapor ejus in vina transferatur nec familiarius ullum ſit quam abſinthites : attamen hæc medicamenti ſemper non alimenti rationem obtinuiſſe nemo neſcit. Quapropter non eſt quod diutius in recenſendis ejus omnibus facultatibus medicamentoſis, quæ extra penſum noſtrum ſunt, inſiſtamus ; aliunde repetantur niſi eæ quæ perſtringuntur à Salernitanis, & à nobis ſuſceptæ commentationis gratia, ſtrictim annotantur.

Vſus Medicus.

Prior uſus abſinthij eſt in ſedanda ac prohibenda marina nauſea : faſtidia dico illa ac vomitus crebros, quibus obnoxii ſunt ii qui mari ſeſe commitunt, nec ſunt illi aſſueti. Equidem admiratione non caret maris hic effectus, qui ſive manifeſtam ſive occultam cauſam habeat, quotidiana experientia fidem facit paucos admodum

Mare nauſeã cacitat.

eſſe homines, qui viſo mari & luſtrato, ſtatim nauſeam ac vomitũ non incurrant. Primus Hippocrates aphoriſ. 14. ſect. 4. eum effectum maris agnovit, δηλοῖ δὲ ϗ ἡ ναυτιλίη ſeu ut nonnulli legunt, ναυτίη ὅτι κίνησις τὰ σώματα ταράσσει. Nam inquit,

navigatio seu nausea indicat motione turbari. Paulus quoque Ægineta vomitionibus premi navigantes meminit cap. 56. lib. 1. Diocles etiam apud Oribasium Synops. lib. 5. cap. 33. Ætius tetrabl. 1. sermonis 3. cap. 6. Celsus cap. 3. lib. 1. Avicen. fen. 3. 1. doctrin. 2. cap. 3. Rhases lib. 6. ad Almansorem cap. 14. & qui non alii? Causam ejus effectus retulit Hippocrates in motum; & omnes fere Neoterici eum secuti: Avicenna fen. 3. 1. doctrin. 5. cap. 8. ait *viatori in mari plerumque accidere vertiginem, & revolvi cum ea & commoveri in eo nauseam & vomitum, ob agitationem vehementem humorum & spirituum ex motu navigationis*, inquit Jacob de partib. in comment. at cum varius sit motus antrorsum, retrorsum, dextrorsum, sinistrorsum, sursum, deorsum, ac in gyrum factus, probabilis videtur Didaci à Mendosâ sententia apud Christoph. à VVega comment. in Aphoris. 14. sect. 4. qua vult motum ante & retro, dextrorsum & sinistrorsum, vomitum non provocare, sed eum quo corpora sursum feruntur moxque deorsum pręcipitantur, aut etiam in gyrum circunferuntur, quod accidit navigantibus qui quidem Causa nauseæ prima.

Nunc summo in fluctu pendent, nunc unda dehiscens
Terram inter fluctus aperit.

Quo motu inæqualior nullus esse nequit præsertim ubi maximis tempestatibus & fluctibus mare commovetur. Observat Oribas. collect. lib. 8. cap. 6. eos quos ad vomitum provocare volumus collocandos in lecto pensili inæquali, *ut motus navigationi similis efficiatur.* Alii autem causam istius vomitionis in odorem maris virosum ac gravem rejiciunt. Cujus sententiæ fuis- Secunda causa.

se videtur Diocles apud eundem Oribas. cap. 33. libr. 5. Synops. & Paul. Ægineta libr. 1. cap. 56. qui adversus graves navium odores, vel mala cydonia, vel thymum, vel pulegium naribus admovenda suadent. Sanè experientia constat quotidiana gravis esse maria odoris ac ut plurimum abominanda, crassa, terrestri ac impura scatere aura, halitibus fœdis ac pestilentibus ut plurimum infici, quà forsan ratione Plato maritima loca fugienda esse monebat, & profitebatur Homerus, Odyss. θ. *non prius aliud mari esse ad hominem debilitandum, etiamsi valde fortis esset.*

Tertia causa.

Οὐ γὰρ ἔγωγέ τι φημὶ κακώτερον ἄλλο θαλάσσης,
Ἄνδρά τε συγχεῦαι, εἰ καὶ μάλα κάρτερος εἴη.

Plutarchus vero quæst. naturali 11. tetro huic odori aliud adjungit, συναίτιον, pavorem scilicet atque timorem nec enim sine metu periculi degunt navigantes si non præsentis, saltem futuri. Quam causam eleganter exaggeravit Ætius loco citato his verbis *verum gestatio per pelagus vehementissima est & mutationes plurimas ac maximas facit, nimirum cum anima mixtos affectus habeat ex tristitia & spe, timoreque ac periculo, modo gaudentibus & lætis, modo in agone existentibus navigantibus.* Quam rationem attulit quoque Avicen. fen. 3. 1. doct. 2. cap. 3. & luculenter exposuit Jacob. de partibus, quem consulere potes, necnon doctissimum Mercurial. ad Aphoris. 14. sect. 4. His omnibus rationibus alia superaddi arcana causa potest tam admirabilis effectus; qualitatem intelligo καθαρτικὴν ac purgatoriam, qua non secus ac à se immunda omnia ac morticina excutit & foras protrudit mare; sic in animalibus in eo navigantibus sustinere nequit

Quarta causa & nostra.

Mari via purgandi inest.

corruptorum humorum copiam, quin ſtatim vomitu excludat: Imo vero ejus fluxus ſeu exundatio, nauſeæ inſtar eſt ac vomitus, quo ſe exonerare quærit ſuperfluo aquarum crudarum acervo, quæ ex rivis, fluminibus, fontibus, imbribus, nivibus in ipſum confluunt. His enim crudis ſeroſiſque liquoribus affuſis & commiſtis aquæ marinæ calore & ſpiritibus turgenti, fit primò perturbatio dein ebullitio totius maſſæ; ſicut fieri ſolet in muſto & in omphaciorum ſucco; ebullitionem ſequitur motus, quem ſegregatio partium alienarum à propriis, crudarum à coctis, frigidarum à calidis, tenuium à craſſis excipit, & beneficio ſegregationis atque ſeparationis ſuperfluarum rerum rejectio ac veluti evomitio foras facta: & hæc eſt quam vocamus exundationem, Græci πλημμύρειδα. Hoc peracto reciprocatur mare, in ſuum recurrit alveum, æſtus ille nauſeabundi maris ſedatur, ſed non ad longum tempus: quod enim novæ ſemper aquæ crudæ in ipſum confluant, quodque perpetuo mare aquis ſe illis expurgare contendat, idcirco denuo æſtuat, & ejus exundatio in continuum orbem recurrit, atque revolvitur. Nec meo judicio alia eſt marini æſtus cauſa, quam alias Deo dante ſi per otium & vitam licuerit fuſius explicabimus; crebriſque experimentis illuſtrabimus, demonſtraturi hanc in omni mari cauſam veram eſſe ac perpetuam; cæteras vero rationes ab aliis philoſophis adductas multis difficultatibus involvi, & aliqua ſemper exceptione teneri. Sed redeo à diverticulo iſto in viam, & cauſam marinæ nauſeæ aſſero repetendam ab ipſa vi maris purgatrice, qua idipſum in navigantibus efficit quod in ſeipſo, nimirum ſuper-

Fluxus marini cauſa nova.

Nota.

fluorum humorum evacuationem. Equidem nonnulli obſervant in navibus non eſſe hominum cadavera retinenda propter tempeſtates quæ inde excitari dicuntur. Addunt quoque Mumias ex Ægypto effoſſas, ubi mari devehuntur, mare irritare & procellis perturbare, nempe quod tolerare non poſſit mare corruptionem ullam aut putredinem, adverſus quam vi cathartica à præpotenti Deo donatum fuit. Ego vero ſæpe ſæpius miratus eram cur ruſtici noſtri ac muliercu-

Sal miſtus omphacio.

læ in uvarum immaturarum atque acerbarum expreſſo ſucco ſalis quantitatem aliquam commiſcerent, licet id adverſus putredinem factum cauſarentur: ſed in animum non poteram inducere meum, ſuccum illum poſt ebullitionem atque purgationem putrere poſſe, quod vinum quoque poſt ebullitionem non putreret. Tandem cognita hac maris facultate purgatrice, prudenter à ruſticis miſceri ſalem illi ſucco animadverti, ut pote cujus beneficio exigui alias caloris, multi vero aquoſi teri ſuccus iſte incaleſcat, efferveſcat, ebulliat, & exactius omni cruditate expurgetur, unde vigor ſine corruptione diuturnus. Eandem ob cauſam exiſtimo olim obſervante Plutarcho 10. quæſtione naturali, marinam aquam vino affuſam, aut loco marinæ aquæ gypſum; ſed generoſum illud non credo fuiſſe vinum, at tenue, aquoſum, acidulum: cum enim hujuſcemodi vinum multas partes aquoſas, atque crudas obtineret, paucas vero vinoſas, exacta non poterat fieri ebullitio atque expurgatio niſi addita marina aqua, cujus erat proprium calorem augere ac irritare, ebullitionem procurare atque quod omnium maximum eſt, ſeroſa, ſuperflua atque phlegmatica expurgare. Igitur ſi

id efficiat aqua marina in vino, quidni in corporibus humanis præstabit? profecto cum è peregrinatione mea Polonica per mare Balthicum, Norvegicum, Scoticum & Anglicum in Gallias redirem anno domini 1612. nautæ nonnulli per jocum aquam marinam fatuo cuidam famulo bibendam exhibuerunt, ex qua in alvi profluvium incidit: quam virtutem memini tributam fuisse marinæ aquæ à Paulo Ægineta lib. 7. de re med. cujus verba libenter adducam; ne quis me auctoritate veterum destitutum dicat, θαλάσσιον ὕδωρ δριμὺ καὶ θερμαντικὸν μετρίως καὶ ξηραντικόν ἐστι, καὶ κακοστόμαχον μὲν πινόμενον, κοιλίας δὲ ταρακτικὸν καὶ φλεγμάτων ἀγωγὸν, θερμὸν δὲ καταντλούμενον, ἐπισπᾶται καὶ διαφορεῖ. *Aqua marina*, inquit, *acris, calefactoria, mediocriter desiccans, & pota stomacho quidem contraria est, ventrem autem turbat, pituitamque educit; si calida superfundatur, extrahit & discutit.* Quæ doctrina desumpta est ex ipso Dioscoride libro quinto capite decimo quinto, ubi quoque θαλάσσιον ὕδωρ vocat κοιλίας ταρακτικὸν ἄγον φλέγμα καὶ, ut habent nonnulli codices χολὴν. Addit eam injici, πρὸς τὰ κενώματα, ad evacuandum & exinaniendum, darique insuper, vel per se, vel cum oxycrato πρὸς κάθαρσιν ad *purgandum*. Consulatur Plinius libr. 31. cap. 6. Porro adversum nauseam & vomitum quem dicimus & agnoscimus à mari excitari, præsidium maximum est in vino absinthio soporato atque medicato: nam & vinum εὐστόμαχον est, & absinthium virtute sua adstrictoria stomacho robur conciliat: preceptum tamen est Avicen. non esse sedandum ejuscemodi vomitum, donec pituitosus humor & biliosus exclusus sit. Si quis autem per commistum vino absinthium, absinthites vinum

Aqua marina purgat.

Nauseæ remedia.

intelligere voluerit, non me habebit refragantem, easdem enim illi dotes tribuunt & Medici & rei rusticæ auctores omnes, qui ejus parandi modum docuerunt.

Vsus absinthi.. Altera utilitas absinthii est ad nervos, & ad pectus: ad nervos quidem quia discutit, siccat, adstringit, roborat: imbecillitas enim nervorum fere ab humiditate superflua, & à serosa illuvie illabente secundum tenues & porosas nervorum partes, unde relaxatio, & ut loquuntur, mollities nervorum. Sed in universum quæ debeant esse medicamenta *nervalia* exposuit fusissime Galen. lib. 3. de compos. medicam. per generat. Quod ad pectus attinet, quia detergentis est facultatis absinthium, ideo pectus juvat occupatum crassis viscosisque humoribus; maxime si cum iride sumatur, ut docet Plinius & Macer.

Tertio, narratur absinthium nidore serpentem fugare, & adversus venena prodesse, at serpentis nomen hic improprie usurpatur pro insectis videlicet, ut sunt culices, pediculi, cimices & id generis alia; Plinius enim & Macer odore suo culices fugare observant. Quod autem serpens interdum transferatur ad hæc insecta significanda, colligi potest ex Plinio & Apuleio qui pediculos serpentes appellavere, ubi scribunt Pherecydem Syrum Pythagoræ preceptorem serpentibus periisse, quem tamen constat pediculis esse enecatum. Venena autem quæ expugnat Absinthium, sunt fungi, venenatus chamæleontis succus, quem Plinius viscum vocat, cicuta, muris aranei & draconis marini morsus, nec non scorpionum ictus. Succo absinthii ex aceto epoto serotinum virum centenarium evasisse cum

Serpentis significatio

esset à fungis tentatus, meminit Apuleius cap. 100. de absinthio. Non est vero quod fungos, aut alia à me enumerata, venena esse probem, cum id luculenter demonstratum fuerit à Dioscoride, Galeno, Plinio, & inter recentiores à Sante Ardoyno, Ferdinando Ponzetto, & Petro de Abano opere proprio de venenis; ubi quoque Alexipharmaca eorum venenorum recensentur, ut & apud Henricum Abra de curandis venenis.

Postremo aurium tinnitum curat absinthium cum bovis felle mistum: discutiunt enim illa duo, digerunt, inflationes removent, flatuumque materiam omnino dissipant ac evacuant, sed de ὠτικοῖς medicamentis consulendi Medici.

De Abrotono.

Cap. XXIX.

„ *ABrotono crudo stomachi purgabitur hu-*
„ *mor.*

Animadversio.

EST & nostro è manuscripto adscitus hic versiculus, quo unica Abrotoni facultas exprimitur. Breviter certe sed consulto factum à Salernitanis, cum herba illa ex alimentorum censu expungenda sit, imo vero noxia admodum existat stomacho puro & mundo. Hinc est quod Græci ἀβρότονον quasi ἄβροτον hoc est inhumanum, aut potius velut ἄβρωτον dixerunt; quod Abrotoni nomē;

est cibo inutile esse, ab usu cibario alienum, minimeque gustandum. Nicandri tamen Scholiastes dictum mavult διὰ τὸ πρὸς ὄψιν ἁβρὸν καὶ ἁπαλὸν φαίνεσθαι, ἄλλως τε, καὶ διὰ τὸ δυσπνῶν εἶναι, id est, *quod conspectu tenerum, molle & delicatum appareat, aut quod gravem acrémve & difficilem halitum spiret.* Plurimas alias appellationes sortitum est, quas recenset Dioscorides & ex parte explicat Marcell. Virgilius ad cap. 27. libr. 3. Dioscorid. Ejus vero facultates medicas inter cæteros copiosissimè & doctissimè exponit Galenus cap. 2. libr. 6. de simplicium medit. facultatibus, ubi inter alia κακοστόμαχον esse ait, noxium & inimicum ventriculo: quod intelligendum est si ventriculus purus & mundus ab omni illuvie fuerit: etenim si restagnet pravis, crudisque humoribus, potest illi prodesse abrotonum, incidendo, attenuando, extergendo, expurgandoque vitiosos illos succos, quibus ventriculi tunicę imbibuntur. Imo potentissime enecat vermes, qui in intestinis succrescunt, quique interdum ad ventriculum viam affectant, multo enim amarius est quam sit absinthium. Differentias ejus nihil moror, aliasve dotes cum instituti non sint nostri, sed eorum qui medicamentorum simplicium historias conscribunt.

Facultates.

De Sicla.

CAP. XXX.

SICLA *parum nutrit, ventrem constipat &, urget.*

Animadversio.

QUod genus oleris intelligendum veniat per *Siclam*, non est in procinctu explicare; nam & *Beta* audiri potest & *Blitum*. Etenim apud Isaacum libr. diætar particularium Sicla vulgo Blita appellatur, ex voce ni fallor *Blitum*, quod Galli *Bletam* vocant. Cum tamen recordor vulgus Medicorum omnem *Betam*, quam Græci τεῦτλον vocant, *Siclam* nuncupare, quasi *Siculam*, quod cognomen à veteribus Græcis illi tributum est; apud me statuo Siclæ nomine *Betam* potius hic nostram, quam nostram *Blitam* designari: vocatum autem τεῦτλον, seu τεύτλιον καὶ σεῦτλον ἀπὸ τοῦ σεύεσθαι, quod est impelli ac moveri: erumpens enim è terra hoc olus incrementum capessit pene arboris, neque ulli hortensium latitudo foliorum major. Latini Betam dicunt à figura β. quam dum semine turget referre videtur, quemadmodum monuit Columella in suo horto his carminibus. Sicla est Beta.

Nomine tum graio, seu littera proxima primæ
Pangitur in cera docti mucrone magistri,
Sic & humo pingui ferratæ cuspidis ictu
Deprimitur folio viridis, pede candida Beta.

Est autem Betæ (quam Galli bete, jotte, & porè vocant) duplex genus: candidum & nigrum. Candidum ἀχυλώτερον seu ὀλιγοσπερμότερον melioris est succi, quam nigrum & paucioris seminis: Siculumque appellatum est, unde sicula beta & detractione unius literulæ *Sicla*. Dodonæus tria genera constituit: *candidum*, *subnigrum*, *& rubrum*, seu Romanum. Eudemus Differenti.

libr. de oleribus, quatuor: ἀπαςὸν, καυλωτὸν, λευκὸν καὶ πάνδημον, *foßile*, in *caulem erectum*, *candidum*, & *vulgare* quod quidem colore fuſcum eſt. Dubitari vero poteſt, an aliud ſit ſativum, aliud ſylveſtre. Quod enim nullum ſit agreſte docet Galenus 2. de aliment. facultatibus. *Nulla*, inquit, *beta eſt agreſtis, niſi quis lapathon ita nominare velit.* At vero proprium eſt agreſtium ut poſt cultum formam, faciem, ſaporem atque omnino indolem ſativarum ſtirpium induant; quod cum nondum obſervaverimus in lapatho exculto, occaſionem præbet concludendi cum Galeno nullam betam dari agreſtem. Contra Galenum tamen reclamat Plato in Timæo, qui ſativas omnes ſtirpes olim fuiſſe feras & agreſtes credidit, ac idcirco nullam eſſe ſativam quæ non haberet ſylveſtrem congenerem. Et certe Plinius libr. vigeſim. cap. octav. betam ſylveſtrem agnoſcit, quam & *limonium* & *nevroides* vocat. Vulgo *Pyrola* dicitur, quam herbam deſcribit Dioſcorid. libr. quart. cap. decim. quart. Plinio aſſentitur Diocles Caryſtius libro primo de tuenda valetud. qui elixari ſcribit hæc agreſtia; τεῦτλον, μαλάχην, λάπαθον, *betam*, *malvam*, *lapathum*. Ex quo duo contra Galenum eliciuntur. Primum, dari agreſtem betam; alterum, betam illam agreſtem non eſſe lapathum.

Dubitatio.

Betæ temperamentum calidum eſt & ſiccum in primo gradu ex auctorit. Actuarii, Simeonis, Iſaaci, Arnaldi Villanovani, frigidum vero & humidum ex mente quorundam Neotericorum, qui forſan Oribaſium ſecuti ſunt lib. 2. Synopſ. cap. 9. ubi betam recenſet inter ea quę ſunt in ſecundo gradu refrigerantium. Grę-

ci autem Medici, Dioſcorid. Galen. Paulus, de primis Betæ qualitatibus mentionem non fecerunt, colligere tamen licet ex facultatibus ſecundis eam calidam & ſiccam ſtatuiſſe. Ad hoc autem ut diſſentientes Medici inter ſe conveniant, 1. expendenda eſt betæ ſubſtantia, quæ ex contrariis facultatibus conſtare creditur: ſuccus enim ejus θερμὸς καὶ διψώδης καὶ γαστρὸς παγωγός, calidus, ſiticuloſus & alvum ſudducens; corpus vero παχυμερὲς καὶ φυσῶδες, καὶ δύσπεπτον, καὶ ψυχρὸν καὶ γαστρὸς ἐφεκτικὸν, inquit Simeon, id eſt, *craſſum, flatulentum, concoctu difficile, frigidum, & alvum indurans exiſtit.* 2. ejus ſumendi ratio obſervanda venit, prout ſcilicet, vel cocta, vel cruda editur. Cruda quia nitroſam habet facultatem, ideo calida & ſicca dicenda: cocta, quia vimillam nitroſam deponit, efficitur contrariæ qualitatis, frigidæ ſcilicet & humidæ. Id docuit Galenus 8. ſimplic. & poſt Galenum, Oribaſius lib. 2. de virtute ſimpl. necnon Aetius tetrabib. 1. ſerm. 1. hi enim iiſdem verbis ſcribunt coctam betam τὸ μὲν νιτρῶδες τε καὶ δριμὺ πᾶν ἀποτίθεται γίγνεται δ' ἀφλεγμάντου δυνάμεως, id eſt, *quicquid nitroſum eſt & acre deponere, ſic enim facultatis aphlegmantæ* hoc eſt extinguendis inflammationibus adverſæ. Ex his colligas licet eos qui calidam betam fecerunt, de cruda intelligendos, qualis in hortis ſuccreſcit: qui vero frigidam dixerunt, de cocta interpretandos qualis edi ſolet; equidem certiſſimum eſt poſt coctionem fatuam reddi betam & inſulſam; quod eleganter ſignificavit Martialis lemmate 13. libro 13.

Beta cruda calida, cocta frigida.

Vt ſapiant fatuæ fabrorum prandia Betæ,
O quam ſæpe petet vina piperque coquus!

Adeo enim insipida sunt, ut sine vino & pipere, vel sine sinapi, vel sine garo, vel sine aceto omnino non delectent. Hanc ob rem Augustus Cęsar apud Suetonium festivè dicebat *Betizare* pro languere ac vapidè sese habere: Et Cynicus Diogenes per *Betas*, insulsos & fatuos intellexit, quamvis nonnulli cynædos & molles interpretentur. Consule Cæl. Rhodiginum lib. 15. cap. 11. & Erasmum in Chiliadibus proverbio Betizare. Cæterum Betam pauci esse nutrimenti & si copiosius ingeratur stomacho, molesti, censent Dioscor. & Galenus. Actuarius lib. 2. de spiritus animalis nutrit. cap. 6. Brassicam bonitate longè antecellere dicit, neque enim melancholicum humorem, sicut Brassica, procreat. Betę vero radices ὑπερύθρους τε καὶ ἐρυθρὰς, subrubras & rubras, valentius addit nutrire; sanguinemque gignere longe quam folia crassiorem. Illud insuper obtinere, quod flatum pariant cum facilè alioqui per alvum descendant, unde fit ut aliquando ipsæ in usum adhibeantur. Quæ postrema verba ideo adjunxi, primo ut monerem in Gręco exemplari loco ἀυτοῖς, ἀυταῖς reponendum; cum referatur πρὸς τὰς ῥίζας, secundo ut intelligeremus apud veteres frequentiorem fuisse usum foliorum betæ, quam radicum, quas vocabant σευτλόριζα ex observatione Simeonis Sethi. Meminit Galenus cujusdam edulii ex beta & lente concinnati: τευτλοφάκην Græci dicunt, quod quidem Heraclides Tarentinus non sanis modo, verum etiam ægrotantibus exhibebat. Est enim edulium medium ex pugnantibus compositum in quo beta minus subsidet, lens magis subducitur; libro primo de alimentis capite 18. Ut ergo varius fuit pręparandæ betæ modus apud priscos

de

de quo agit Apicius cap. 9. lib. 3. ſic apud nos multifariam concinnatur ; editur enim & in juſculis & in acetariis , quibus per rotulas tenues admiſcetur , & in placentis , & in minutalibus : initio conviviorum apponuntur placentæ , quas *tortas* vocant ex oleribus concinnatæ , quibus Germani adjiciunt veterem caſeum , butyrum & aromata. Elixi pręterea betæ cauliculi rubri etiamnum hodie ſaccaro condiuntur , redduntur que ſuaviſſimi ſaporis , nec ultimum locum inter bellaria conſequuntur. Omnes vero Medici fatentur betam abſque ſuo decocto aſſumptam ventrem ſiſtere atque conſtringere , cum ſuo decocto ingeſtam alvum laxare , ſicut dictum de braſſica , quo ſenſu caput noſtrum intelligendum eſt , ubi betæ duplex illa facultas ſtringendi & laxandi tributa eſt. Non eſt vero omittendum Cornarium apud Paul. Æginetam libr. 1. cap. 74. poſuiſſe betam *obturare hepar & lienem* , quod in exemplari Græco Venetiano legiſſet hæc verba ἐμφράττει δὲ τὰ καθ' ἧπαρ τὲ καὶ σπλῆνα cum legendum eſſet ἐκφράττει *deobſtruit* , *aperit* , ſcribit enim Aëtius lib. 1. τεῦτλον ἐπιτηδειότερον ἐστὶ μαλάχης , εἰς τὰς καθ' ἧπαρ ἐμφράξεις, *betam præſtantiorem eſſe quam ſit malva ad hepatis infarctus:* καὶ τοῖς ὑποσπλήνοις ἀγαθὸν γίνεσθαι φάρμακον, *optimumque præſidium eſſe lienoſis* , quod ex Aetio tranſcripſit Simeon Sethi apud quem tamen pro ὑπὸ σπλῆνα ſubſtituendum eſt ὑποσπλήνοις. Tanti vero olim facta eſt beta , ut religio eſſet appoſitam non deguſtare : hanc ob rem forte locum in delphico templo habuit ex argento efficta , ut ſuperius monuimus. Mirum etiam

Cornarii error.

Simeõ correctus.

eam vini ſaporem reſtituere quem braſſica corruperit, & viciſſim braſſicam bonitatem vini reparare quam beta deſtruxerit. An hoc inter naturæ arcana reponendum? docti viderint. Arbitror demerſam in vinum braſſicam aut betam nitroſitatem ſuam deponere per ablutionem illam ex quo ſapor vini turbatur; quod ſi denuo, vel braſſica, vel beta vino demergatur, ebibunt partes vini nitroſitate infectas; ut pote quæ propter tenuitatem partium ac levitatem ſuperiorem dolii partem petant, iis ablatis vini ſapor reſtituitur. Nonne videmus vinum aquæ commiſtum ſeparari ab aqua beneficio panis calentis, qui partes tenuiores ac leviores hoc eſt vinoſas ebibit & ſecum rapit: Concludo ubi monuero Platinam libr. 7. de tuenda valetudine inter *Blitum* & *Bletam* differentiam eam conſtituere, ut *blitnm* nigram betam nominet, *bletam* vero albam, quam medii eſſe dicit temperamenti, ardores præterea æſtatis relevare, faſtidio languidos ad cibum revocare & nutrientes fœminas plurimo lacte implere.

De Scabioſa.

Cap. XXXI.

» *VRbanus per ſe neſcit pretium Scabioſæ:*
» *Confortat pectus quod deprimit ægra ſenectus,*
» *Lenit pulmonem, tollit laterumque dolorem.*
» *Vino potatur, virus ſic evacuatur.*

Animadversio.

SCabiosa inter eas herbas locum habet, quæ apud Græcos, aut Arabes Medicos non reperitur. Sic autem dictam volunt, vel à *scabro* herbæ habitu, vel quod *Scabiei* medeatur, in quo admirari subit eam facultatem hoc capite non fuisse expressam. Nisi dixerimus omissam esse, quoniam ex ipso herbæ nomine deprehenditur. Non est autem quod quis cum Manardo & Matth. Sylvatico *stœbem* Dioscoridis eam esse credat, aut *Phleon* Plinii; cum id refutatum fuerit, & à Brassavola, & ab Amato Lusitano, & ab Aloysio Mundella cæterisque Botanicis. Refert Anguillara *Hiosirin* Plinii à nonnullis Grecis, pro Scabiosa habitam, quod tamen ipse non probat. Dubitatur etiamnum an eadem sit cum *Psora* herba cujus meminit Aetius; conveniunt equidem nomine, utrum autem inter se dissideant, explicatu non est facile; cum Psoræ descriptionem Aetius non dederit. Nonnulli existimant eam esse plantam quæ à Constantino lib. 2. practicæ cap. 36. vocatur *Alcansangeth* quę valet scabiosis cum aceto pistata. Ut ut sit, herba est nobis nota in cibum minime veniens, sed medicamentis expetita, adeout etiam adversus pestem singulare credatur esse presidium. Scabiosæ nomen.

Est autem temperamento calido & sicco in secundo gradu, ut testatur ejus insignis amaror, excalefacit proinde, siccat, extenuat, abstergit. Hos autem versus Brassavolus refert in examine simplicium Urbani Pontif. Maximi tempore compositos, prorsusque ineptos esse, quod Temperies.

facile admitto ea ratione descriptos quam adducit. Est autem hujusmodi.

Vrbanus per se nescit pretium Scabiosæ;
Nam purgat pectus quod comprimit ægra senectus
Purgat pulmonem, laterisque simul regionem:
Rumpit apostemata, lenit virtute probata
Emplastrata, foris rumpit anthracem tribus horis;
Intus potatur & sic unus evacuatur.

Quo tempore opus hoc scriptum.

Porro ex Brassavoli verbis qui Urbani Pontificis Max. temporibus compositos illos versus narrat, conjectura nostra roboratur, de tempore, quo schola hæc edita fuit à Salernitanis. Vixit enim Urbanus 2. Pontif. Max. circa annum 1099. Isque auctor fuit Belli sancti è quo rediens Robertus Normanniæ dux Salernitanos Medicos consuluit de fistula brachii, quod occasionem dedit Salernitanîs componendi hujus libelli. Cæterum nemo diffitetur magnam vim Scabiosæ esse adversus Thoracis affectus præsertim seniles. Cum enim Senum thoracicæ partes frigidis humoribus, crassis & viscidis obsideantur, presidiis calefacientibus, incidentibus, attenuantibus, detergentibus qualis est scabiosa, admodum juvantur. Est & illi lenitiva quædam virtus qua exasperatæ senum partes ob tussim assiduam lævigantur ac mitigantur, ut idcirco duabus rationibus senibus conveniat; ratione organi quod lenit, & ratione materiæ quam attenuat, & ad expectorationem promovet. Præterea Scabiosa pleuriticis auxiliatur maturando ac digerendo materiam morbificam & sputum promovendo. Denique epota veneno narratur adversari, præsertim pestilenti & contagioso cujus creditur esse Alexipharmacum. Marsil. Ficinus in epid. capit. 6.

Vsus medicorum.

ejus rei rationem visus est assignare. *Scabiosæ*, inquit, *aqua in his omnibus, quæ sanis simul & infirmis administrantur admirabilis est, eo quod humiditates exsorbet venenosas:* Certe commendatur ab Antonio Guainerio de peste different. 2. capit. 3. tractat. 2. Michaele Savanorola, Pamphilio Florembeno, Antonio Schnebergero, Antonio Suraceno & infinitis aliis. Non prætermittendum scabiosam flores proferre, quibus defluentibus capitulum remittit rotundis ocellis refertum raro naturæ artificio, atque idcirco oculorum albugines auferre.

De Chelidonia.

CAP. XXXII.

Caecatis pullis hâc lumina mater hirundo,
(Plinius ut scripsit) quamvis sint eruta reddit.

NOtatu dignum est, quod hic ex Plinio de Chelidonia refertur, nempe ipsam pullis Hirundinum visum restituere. Locus est libr. 25. cap. 8. ubi sic sctiptum reliquit: Animalia quoque invenere herbas, imprimisque Chelidoniam. Hac enim hirundines oculis pullorum in nido restituunt visum, ut quidam volunt, etiam erutis oculis. Meminit ejusdem etiam libr. 8. capit. 27. his verbis: Chelidoniam visui saluberrimam hirundines monstravere, vexatis pullorum oculis illa medentes. Hoc nomen ut lib. 2. cap. 165. Dioscorides testatur, sibi videtur vendicasse, quod adventu hirundi-

Macer. lib 2. c. 10.

num exoriatur, & discessu emarcescat. Sunt qui narrant hirundines excæcatis pullis, admota hac herba visum restituere, inquit idem. Hinc cognitum est succum ejus, hominum oculis quoque mederi, utique in quibus crassum quiddam in pupilla colligitur, digestione atque discussione indigens. Hinc igitur edocti medici Chelidoniam omnibus fere oculorum remediis pro visus claritate admiscere solent. Herba est nota, crocei succi, cujus inventionem hirundinibus ob id quoque attribuunt, quod pulli earum sæpius quam ulli aliarum avium in cæcitatem incidant. Hirundinum enim stercus Chelidoniæ oppositum pręstat: excæcat namque, si calidum in oculos decidat, & præcipue matrum. Quod etiam sacræ testantur literæ: nam Tobiæ 2. seniorem illum hoc stercore excæcatum fuisse legitur. Cor. Cel. lib. 6. cap. 6. fabulam putat, per parentes oculos herba restitui, qui per se sanescant. Chelidonia tertii est ordinis absoluti jam: idque tum in calefaciendo, tum in siccando. Attrahit igitur, discutit & consumit Radix trita & in vino decocta caput columellamque frigidorum humorum à capite descendentium multitudine laxatam, ac linguæ radicì atque faucibus incumbentem expurgat: si exurgentem inde fumum infundibulo adhibito æger admittat, & vinum deinde gargarizet. Cum aniso & vino albo pota medetur regio morbo, & ulceribus quæ serpunt: imposita cum vino, aut manducata, dentium dolorem sedat. Plura Galenus libr. 8. cap. 172. de simpl. med. facult.

Animadversio.

NEmo nescit χελιδόνιον quam χελιδονίαν βοτάνην Oppianus vocat, ab hirundine denominatum esse, non tam quia, ut voluit Dioscorides, hirundinum adventu ex terra prodit stirps illa aut floret, discessu marcescit: quàm quod hirundines ea herba utantur ad visionem restituendam pullis suis excæcatis. Latini Græcos imitati *hirundinariam* vocant, officinæ *Chelidoniam*, Chymistæ *Cœli donum* ob quam nominis præstantiam ex ea herba quintam quandam essentiam fieri prædicant non modo ad vanas illas metallorum transmutationes accommodatam, sed ad tuendam etiam hominum sanitatem morbosque plurimos profligandos utilissimam. Ejus extracti descriptionem tibi exhibet Andreas Libavius cap. 24. Alchymiæ pharmaceuticæ de extractis emergentibus, & Joseph. Quercetanus (libr. 1.) Pharmacop. cap. 25. ubi præter infinitas dotes illi assignatas, *universale præsidium* esse dictitat. Hanc forsan persuasionem induerunt Chymici quod inter vetera nomina Chelidonię observarent denominatam, *Pœoniam*, *Crateam*, *Aubium*, *Glaucium*, *Pandioniam radicem*, *Philomedium*, *Othonion & Othonam*; quasi illa vocabula nonnihil dignitatis & præstantiæ illi adjicerent. Sed non ita se habet, dici enim potuit παιονία ab ejus inventore Pœone, aut à similitudine quam cum pœonia habere dicit Marcellus. κραταιὰ autem vocata est, vel quod firmiter per multa crocea capillamenta, ut loquitur Dioscorides, radicata est, vel quia acrimonia, geniculis, se-

Chelidonii nomen.

mine, aut alio quovis modo *Crataogono* similis sit, quam herbam Theophrast. libr. 9. hist. plant. capit. 19. κραταῖον vocat. Quid sit autem αὔβιον, seu αὐβίον plane nescio, nisi positum dixerim pro voce *fabium*, qua Romani Chelidonium designabant, *fodium* quasi à fodiendo, quod fodi terra debeat si illæsis fibris & radiculis evellere Chelidonium velimus. At γλαύκιον appellatum est ob ejus folia è cæsio, seu dilutè coeruleo colore virescentia, quæ à Dioscoride nominantur ὑπόγλαυκα, vel à similitudine quod habet succus Chelidonii cum succo cujusdam herbæ quam describit Dioscorides libr. 3. capit. 84. vocatque γλαύκιον; de quo consulendus est Matheolus: denique Pandionium & Philomelium (sic enim legendum non Philomedium) nuncupatum fuit à Pandione Atheniensium Rege, qui Pater fuit Prognes quam fabulantur in hirundinem mutatam, & Philomela Proges sorore. Porro Othonnam Chelidoniæ majoris succum esse aiunt, proinde non est mirum si eo nomine designetur tota planta, & si ejus historiam post Chelidoniam Dioscorides attulerit.

Differentiæ. Est autem Chelidonium in duplici differentia; majus & minus quod scrophularia minor à nonnullis appellatur. Majus (de quo hic est sermo) evidenter calefacit, desiccat, & ordine quidem tertio atque una valide extergit, quam ob

Temperie. virtutem ad visum acuendum utile est: præsertim ejus succus qui abstergit & discutit crassa, quæ circa pupillam oculi hærent aciem obtundentia, & quidem ut est apud Dioscoridem in æreo vase cum melle decoctus. Inde crediderunt veteres ejus herbæ applicatione cæcatis hirundinum

pullis visum restitui, quod tamen falsũ esse Corn. Celsus adstruxit l. 6. c. 6 observans, *aciem hirundinum extrinsecus læsam interposito tempore in antiquum statum redire, unde etiam locus fabulæ factus est, aut per parentes aut herba chelidonia restitui; cum per se sanescat.* Id ipsum confirmavit Arist. l. 6. de historia animalium c. 5. *Si quis*, inquit, *pullis hirundinum junioribus oculos pupugerit, convalescere* animadvertet, *atque iterum visum recipere.* Sed rationem addidit lib. 4. de generat. animal. c. 6. his verbis. *Aves etiam nonnullæ imperfectos & cæcos pariunt pullos, videlicet quæ cum parvæ corpore sint, multos progenerant, ut cornix, pica, passer hirundo: & paucipari generis quæ copiam alimenti parere una cum prole non solent, ut palumbes, turtur, columba. Quamobrem si quis hirundinum novellarum adhuc oculos præpungat, rursum incolumes redduntur. Cum enim fiunt, non facti, jam corrumpuntur, itaq; denuo oriuntur ac pullulãt Omnino hæc præveniunt generationẽ perfectam ob alendi inopiã, Generant vero imperfectos quoniã perfectionẽ præveniunt.* Hęc ille ad quem locum subjungit Philoponus idcirco convalescere hirundinum oculos, διότι ἔτι γίνονται, ἀλλὰ οὐ γεγόνασι, *quoniam etiamnum fiunt nec adhuc perfecti sunt*: τὸ γὰρ γενόμενον κἂν ἐκκοπῇ ἢ ἐκκεντηθῇ πάλιν φύει διὰ τὴν ὁρμὴν, καὶ κίνησιν, ἣν ἔχει ἔτι ἀπὸ τοῦ δὲ εἰς τόδε, *quod autẽ*, inquit, *fit etiamsi rescindatur vel perfodiatur, rursum renascitur propter impetum seu inclinationem ac motum quem habet etiamnum ab hoc*, hoc est *ab esse imperfecto, ad illud*, id est ad esse perfectum, ut loquuntur Scholastici. Sed velim ut docti verba Aristotelis expendant, quæ attulimus ex 6. de historia animalium, ut intelligatur quibus præsertim pullis hirundinum hoc contingat. Cum enim eo in loco Philosophus moneat ex avibus carnivoris

An visum restituat pullis hirundinum.

ſolam hirundinem bis in anno nidificare & pullos excludere, ſtatimque addat, τῶν νεοττῶν ὄντων confoſſis oculis convaleſcere, nobis colligendum relinquit id potius de pullis ſecundò excluſis quam de prioribus eſſe concipiendum. Et certe pulli ſecundæ excluſionis multo imperfectiores eduntur quam pulli primæ; quia major adeſt inopia pabuli, & generationis materia parcior ac imbecillior. Quod ideo moneo, quia aliàs confodi acicula pullorum hirundinis oculos, qui nunquam convaluerunt; vel quia forſan primæ erant excluſionis pulli, quos proinde perfectiores habere oculos par fuit, vel (quod veriſimilius eſt) quoniam altius ad humorem uſque cryſtallinum ſtimulos adegeram, quo effuſo nunquam viſio reparatur. Certum enim eſt ſemel effuſo humore nunquam regenerari; cum ſit pars ſimilaris & ſpermatica. Quidquid ergo Ariſtoteles dixit de oculis hirundinum confoſſis, id intelligendum penes aqueum humorem, non penes cryſtallinum; effuſus enim & deperditus ſemel aqueus humor poteſt regenerari, non ſolum in hirundine & aliis avibus, ſed in omnibus animalibus atque etiam in ipſo homine quemadmodum probat lib. 5. de oculi fabrica cap. 36. Jul. Caſſerus Placentinus ex auctoritate Galeni qui lib. 1. de ſymptom. cauſis cap. 2. exemplum affert pueri qui cum ſtylo in pupillæ oculo ita fuiſſet compunctus ut univerſus aqueus humor effluxiſſet, viſum tamen recuperavit aliquandiu poſt collecto & regenerato humore aqueo. Itaque non eſt credendum pullis hirundinum oculos effoſſos reſtitui beneficio chelidonii: nec enim illi vis illa ineſt; poteſt quidem caliditate & acrimonia ſua attrahere humorem quen-

De quibus avibus intelligẽdus Ariſt.

Nota.

Aqueus humor oculi regeneratur.

Vis Chælidonii.

dam aqueum ac ſeroſum qui multus & toto copite & totis oculis redundat, quo collecto dici poteſt eum vel eundem uſum præſtare atque prior aqueus pertuſione effuſus, vel implere locum aquei, ſicque oculum velut integrum ac de novo reſtitutum exhibere. Plura hic quam voluimus de hirundinum pullis congeſſimus quæ tamen παρεργα dici non debent; cum hujus tantum virtutis Chelidoni Salernitani meminerint poſt Macrum ex cujus cap. 62. duos illos verſus tranſcripſerunt. Porro nonnulli exiſtimant facultatem illam non herbæ Chelidonio tribuendam, ſed lapillo pretioſo ejuſdem nominis, aut alteri herbæ prorſus incognitæ. Sic enim ſcribit Ælian. lib. 3. De animal. c. 25. *hujus herbæ homines quamvis compotes fieri ſummo cupiant opere, nunquam in hac parte earum ſtudio ſatisfactum eſt.*

De Hyſſopo.

Cap. XXXIII.

Hyſſopus purgans herba eſt è pectore phlegma,
Ad pulmonis opus cum melle coquenda jugata.
Vultibus eximium fertur præſtare colorem.

Hic agitur de hyſſopi viribus, qui quidem deſiccat & excalefacit ordine tertio, ſed & tenuium eſt partium. Pituitam manifeſto experimento expurgat, facitque ad pituitoſos tum cerebri, tum nervorum affectus: quod non modo mundet, ſed roboret quoque. Quin & pectus & pulmonem detergit, præſertim ſenibus, quo- Mac. l. 1. c. 5.

rum pectora lenta crassaque pituita referta sunt: quo fit, ut decoctum cum ficis, aqua, melle, & ruta, potumque peripneumonicis, diuturnæ tussi, suspitiosis, à capite in subjectas partes distillationibus, & orthopnoicis auxilietur. Ascarides reliquosque interaneorum vermes pari modo sumptum enecat. Idem facit, si cum melle delingatur, nitri tamen addito momento. Decoctum ex aceto mulso epotum, crassum humorem per alvum extrahit. Ad subducendam alvum cum ficis viridibus detritis manditur, vehementiusque addita iri, nausturtio aut irione, dejicit. Mesves exhibet cum jure aut manna mistum, vel cum melle aut auis passis purgatis, vel scilla coctum. Cutis in corpore colorem floridum efficit; Lieni & aquæ inter cuti cum ficu nitroque emplastri modo imponitur. Inflammationibus quoque ex vino illinitur. Cum fervente aqua impositum sugillata discutit. In anginis cum ficuum decocto optimè gargarizatur. Decoctum cum aceto dentium dolorem collutione sedat: hyssopi usus inflationes auricularum præsertim vaporis suffitu discutit. Cibi appetentiam invitat, visum acuit, menses & Urinam ciet, & febrium horrores excutit, vinum decoctionis ejus uterum à superfluitatibus purgat & abstergit. Plura Dioscorides l. 3. c. 27. Aviceu. 2. Cano. c. 365. & Mesves l. 2. sect. 1. c. 18. de med. simpl. purgantibus.

Animadversio.

Hyssopi nomen.

DOctrina hujus capitis & materia desumpta est ex Macro cap. 25. cujus etiam versus vltimus exscriptus est. Hyssopus autem seu

ὑσσώπος Græcis deducta eſt ἀπὸ τῦ ὕω, quod eſt *fundo, perfundo*, & ὤψ ὠπὸς, id eſt, *aſpectus, vultus, facies*, quaſi ſit χευμένος ἐπὶ τῆς ὤπα *quod vultui affundatur, aut aſpergatur*. Quibus verbis duo ejus inſignes uſus perſtringuntur: alter eſt in rebus ſacris ad expiationem, alter in Medicis ad εὐχροίαν conciliandam. Cap. 12. Exodi cum faſciculo hyſſopi tinguntur ſanguine agni, limen & poſtes ne primogeniti Hebræorum una cum primogenitis Ægyptiorum exterminarentur. Cap. 1. Levitici leproſi mundantur poſt aſperſionem factam per lignum cedrinum, retortum coccinum & hyſſopum. Cap. 19. Numerorum purificatio quoque perficitur per hyſſopum, hinc Davidis votum illud Pſalm. 50. ῥαντιεῖς με ὑσσώπῳ καὶ καθαρισθήσομαι, πλυνεῖς με καὶ ὑπὲρ χιόνα λευκανθήσομαι, de quo videndus Genebrardus comm. in eum Pſalmum. Quod ad uſum medicum attinet, hyſſopus comeſticæ inſervit fuco parando, cuti mundandæ, & conciliando colori, quod ante Salernitanos & Macrum inſinuaverant Plinius & Dioſcorides qui ait eam περιποιεῖν εὐχροίαν *colorem eximium fovere* Cum vero hyſſopus tam vulgaris eſſet notionis apud veteres, ut ejus effigiē exhibere nobis dedignati ſint, factum inde eſt ut nobis ignota remanſerit. Nec enim plane convenit inter rei herbariæ ſtudioſos, quænam illa fuerit herba, numve cum noſtra vulgari & hortenſi convertatur. Inter cæteros qui huic diſquiſitioni plurimum ſtudii contulerunt, Fabius eſt Columna cap. 14. lib. de minus cognitis ſtirpibus, ubi concludit vulgarem noſtram non eſſe veterum hyſſopum. Miror tamen diligentiſſimum illum ſcriptorem Lev. Lemnii ſententiam non improbaſſe qui c. 26. explicationis parabolarum quæ in

Vſus in ſacris.

Vſus in Medicina.

Error Levini Lemnii.

bibliis ex arboribus & herbis desumuntur, credidit hyssopum positam fuisse pro Athiantho seu ruta muraria, l.3. Reg. c. 4. quod illic dicatur Salomonem locutum fuisse *de lignis quæ erant in Libano à cedro usque ad hyssopum quæ egreditur per parietem* καὶ ἐλάλησε περὶ τῶν ξύλων ἀπὸ τῆς κέδρου τῆς ἐν τῷ λιβάνῳ καὶ ἕως τῆς ὑσσώπου τῆς ἐκπορευομένης διὰ τοῦ τοίχου quasi nulla alia herba præter Adianthum ex muris, hoc est petrosis & saxosis locis oriretur, hæc enim loca per διὰ τοῦ τοίχου intelligenda duco, nisi quis legere velit τάχου, quo vocabulo designabitur Salomonem habuisse cognitionem cedri, hoc est arboris excelsissimæ & tardissimè excrescentis, necnon hyssopi, id est herbæ humilis & citissimè ac velocissimè nascentis. Sed nec illa emendatio mihi arridet, cum à lectione vulgari recedat, quam immutare, invertere, imminuere pro piaculo est. De hac hyssopo egit Baronius, & in Baronium Casaubonus quem potes consulere.

Hyssopus nostra alia à veterū hyssopo.

Porro vel ex una conjectura adducor, ut credam nostram hyssopum aliam esse ab hyssopo veterum, quod suam veteres inter olera minimè posuerint, nostra vero non infimo inter ea loco collocetur. Studiosissimè enim colitur in nostris hortis ob eximium ejus odorem ac saporem non ingratum, sic ut juscula nostra aut condimenta non minus sapida efficiat quam salubria. Exigui tamen est nutrimenti ob insignem ejus amaritudinem, propter quam deprehenditur esse calida ordine tertio. Nihilominus reperio duo ejus genera Oribasium constituisse; montanum & hortense primamque bonitatis classem obtinuisse Cilicium, quod ad salis Theriacalis compositionem ammiscet auctor libri de Theriaca ad Piso-

Vis in alimentis.

nem. Vini hyſſopitis meminit Conſtantinus lib 8. de re ruſt. c. 14. quod καθαίρει θώρακα, πέψιν ποιεῖ, μαλάσσει κοιλίαν, pectus purgat, coctionem juvat, ventrem emollit. Maxime vero commendatur hyſſopus ab omnibus ad pulmonis vitia; ubi ſcilicet ejus bronchia multo & glutinoſo infarcta ſunt humore, eximia enim ſubſtantiæ ſuæ tenuitate incidit, & attenuat craſſum illud phlegma & αἰνακάθαρσιν promovet, ſi præſertim cum melle ſit miſta. Cæteras ejus dotes medicas prætermitto, ſpiritales repetantur ex dicto loco fabri Columnæ. Certe non ſine myſterio fuit, quod Chriſto morienti acetum oblatum pro potu cum circumpoſita hyſſopo, licet viri docti non conveniant in eorum verborum expoſitione. Alii enim hyſſopum pro arundine aut vimine acceptam dicunt, cui ſpongia aceto plena imponeretur, & extolleretur ad os uſque Chriſti crucifixi: Camerarius vult impoſitam pilo, quod erat Romanæ militiæ peculiare telum ὕσσον Græcis dictum, proindeque legēdum ſuadet non ὑσσώπῳ περιθέντες, ſed ὑσσῷ περιθέντες. Alii, ut Nonnus Poëta Acetum voluit eſſe hyſſopo miſtum, temperatum, atque ut loquitur κεκερασμένον. Theophilactus additam quoque ait hyſſopum ὡς δηλητηριώδες, ſeu venenatum quid atque mortiferum. Alii velut aliquid amarum, felleum, inſuave, in opprobrium. Cæteri denique ſpongiam ſeu calicem aceto felleque miſtum afferunt cinctum & coronatum fuiſſe hyſſopo per ſummam contumeliam atque ludibrium, quemadmodum Chriſti caput antea corona ſpinea circumdatum fuerat. Plura habet Stuchius lib. 3. convivial. antiq. cap. 13.

De Mentha.

Cap. XXXIV.

Mentitur Mentha, si sit depellere lenta
Ventris lumbricos, stomachi verméſque nocivos.

Mentham eo nomine non eſſe dignandam, niſi alvi etiam lumbricos & ſtomachi vermes enecandi atque expellendi facultatem obtineat, hoc loco adſeritur. Amarum enim quiddam in ſe habet & acerbum: amaro quidem non ſecus atque abſinthium lumbricos interficit: acerbitate vero, ſi cum oxycrato bibatur recentes ſanguinis rejectiones reprimit. Exhibendum autem decoctum ejus, velut abſinthii quoque, & non ſubſtantia. Eſt enim, ut ſi qua alia herba, tenuium partium, guſtu acri & facultate calida, ex tertio nimirum ordine excalefacientium & ſecundo ſiccantiũ. Quare ut medicamento potius, quam alimento ipſa utimur. Hepar enim frigidum & ventriculum juvat, corroborat & ſtomachum, & concoctionem facit, ſedat quoque ſingultum, & vomitum phlegmaticum atque ſanguineum. Prodeſt quoque ad cordis morſus, & appetitionem ſuſcitat. Mediocriter item ad Venerem excitat: id omnibus accidit, quæ humiditatem ſemicoctam & flatuoſam continent. Apetit & jecinoris ac ſplenis obſtructiones. Verum ea veſci ad ſatietatem non oportet: quoniam ſanguinem extenuat & ſeroſum facit; & ipſum in flavã bilem permutat, deinde efficit ut ſanguis, qui maximè eſt tenuium partium, diſcutiatur, & craſſus ac melancholicus relinquatur;

tur; atque idcirco oportet biliosos ab ea abstinere. Contrita cum sole, & morsui rabiosi canis imposita medicamentum fit salubre. Arida vero trita & post cibum sumpta, ad concoctionem facit, & lienosos juvat. Cum vino pota, difficulter parienti succurrit. Ferunt etiam quod mansa lippienti imposita fiat remedium, quodque ejus decoctum absorptum confestim sanguinem è faucibus ejicientes sanet. Coire lac densarique in caseum non patitur, si folia portionibus lactis immergantur: In summa stomacho utilis est, & in condimentis peculiarem gratiam habet. Hujus semen ventrem purgat, & pulmonem lædit. Plura Discorides lib. 3. c. 34. Plinius lib. 20. cap. 14. Galenus lib. 6. de simpl. med. faculta c. 136. Simeon Sethi in Syntagm. & Avicenna 2. Canonum, cap. 459.

Animadversio.

QUam herbam ob fragrantiam & odoris suavitatem ἡδύοσμον Græci quondam dixerunt, nunc μίνθην vocant & Latini mutata litterula MENTHAM, licet Perottus in Cornucopia à mente dictã putet, quoniam *ejus herbæ odore mens, hoc est animus, excitatur, sicut sapore ciborum aviditas.* Docet Oppianus l. 3. de piscatione μίνθην denominatã esse à nympha ejusdẽ nominis Cocyti filia; quæ quod se illustriorem genere & forma pręstantiorẽ præ Proserpina jactitaret, à Cerere id herbam cõmutata est, quod perstrinxit Ovid. in Metamorph. — Nomen Menthæ.

——— an tibi quondam
Fœmineos artus iu olentes vertere Menthas
Persephonæ licuit?

Et annotavit Strabo lib. 8. Geog. ob id mutatam

asserens Mintham à Proserpina quod Plutonis esset pellex. Auctor Ethymologici magni narrat mœstam Cererem cum vidisset hanc herbam, execratam esse atque sterilem reddidisse. Est illa genere duplex: sativa seu hortensis quę μίνθη seu ἡδύοσμος, & agrestis quæ ἄγριος ἡδύοσμος Latinis Mentastrum dicitur. Vult tamen Plutar, sympos. l. 8. prob. 9. μίνθην esse degenerem ἡδύοσμον, seu vitium esse ἡδυόσμου, quemadmodum lolium vitium est tritici, Acetum vini; in quibus evidentes contingunt qualitatum mutationes quæ diminuendo elanguescunt, contentione vehementiores fiunt.

Genera.

Temperies.

Galenus temperamento ait esse calido, gradu tertio, gustu præterea acri tenuique, si qua alia herbæ substantia, ordine vero secundo tantum siccat, ob eam quæ ex cultu habet humiditatem semicoctam ac flatuosam: habet etiam quiddam amarum in se & acerbum; ex quo diversas ac pene contrarias facultates easque eximias dicitur obtinere. Neque vero audiendus est autor Geoponicorum, sive is Cassianus Bassus, sive Florentinus, sive Constantinus Cæsar, seu quivis alius fuerit, qui l. 12. de re rust. cap. 24. Mentham ait esse ἀχρήσιμον hoc est *inutilem*, quæ vulneribus etiam adhibita sanari ipsa vix sinit. Sed fortean opinionem illam ebiberat ex male intellecto Oppiani loco supra adducto, ubi Mentha vocatur ποίη οὐτιδανὴ id est *herba nihili*, non tam quia nullius sit usus quam quia, ut ait Scholiastes, μικρὰ est, *parva & pusilla*. Prima ejus utilitas est in cibis, quibus pro condimento multifariam existit, nec enim multi est nutrimenti, peculiarem habet gratiam in acetariis tenella, non adultior, quia prædura odoris *suavitate delectat animum*,

Vsus in cibis

& ſapore aviditatem excitat in cibis, inquit Plin. non ruſticorum tantum ſed etiam delicatiorum, Nonnulli eam ex oleo frigunt, & cum pane edunt. alii panem toſtum, oleo intinctum mentha aſpergunt. Sed ut monet Simeon Sethi, ea veſci non oportet ad ſatietatem; quoniam λεπτύνει τὸ αἷμα καὶ ὀρρῶδες ἐργάζεται, καὶ ἀλλοιοῖ τοῦτο εἰς ξανθὴν χολήν, *ſanguinem extenuat, ſeroſumque facit, ipſumque in flavam bilem convertit.* Præterea tenuiorem ſanguinem diſcutit ac conſumit, craſſiorem & melancholicum relinquit, atque idcircò oportet qui flava bile entantur, ab ea abſtinere. Dos ejus maxima in corroboratione partium omnium ac præſertim ventriculi ſua ſtipticitate; cujus faſtidia & ſingultum à pituitoſo humore inductum ſedat. Quod autem Salernitani dictitant eam vermes depellere & enecare, id Dioſcorides aſſeruit l. 3. c. 34. aliique omnes qui de ejus facultatibus egerunt: eſt enim communi experientia comprobatum amara omnia lumbricis inimica. Sed prçter amarorem illud etiam obtinet, ut pituitam detergat, & conſumat, quæ lumbricorum ſolet eſſe generationis materia.

Porro inter alias facultates veneris exitandæ vim alii menthæ tribuunt, denegant alii. Hippocrates l. 2. de diæta ſcribit eam *ſemen genitale colliquefacere, arrectionem prohibere, & corpus debile facere.* Plinius lib. 20. cap. 14. ait *reſiſtere generationi* cohibendo genitalia denſari, ἀνεπιτήδειον εἶναι πρὸς τὰ ἀφροδίσια: *ineptam rebus venereis* facit auctor rei ruſt. li. &c. ſupra adductis. Quod fortaſſe innuere viſus eſt Ethymologici auctor, dũ obſervat eam ἄκαρπον hoc eſt *ſterilem* à Cerere factam eſſe. Omnium autem evidentiſſime id Ariſtoteles adſtruxit problem 2. ſect. 10. Quærit enim cur in

proverbio fit mentham belli tempore, nec edendam neque ſerendam; reſpondet vero illud fieri quia mentha refrigerare corpora poſſit, ut conſtat corruptione ſeminis genitalis quam inducit. Ariſtoli ſubſcribunt Magninus, & Arnaldus Villanovanus. Attamen contrariam tuentur opinionem Dioſccrides, Galenus, Aetius, Simeon, Avicenna & plurimi alii qui mentham venerem ſtimulare & excitare perhibent ob humiditatam ſemicoctam & flatuoſam quam habet; quod certe rationi conſentaneum videtur & experientiæ; quæ ut ait Avicen. fen. 20. 3. tractat. 1. cap. 21. oſtendit mentham in ſecundis menſis ſumptam *confortare membra ſpermatis valde, & fortitudinem facere ſuper ſperma; unde forte fit coeundi deſiderium.* Ad hanc itaque difficultatem diſſolvendam, dicendum eſt mentham uſurpari interius vel exterius; exterius admota mentha & genitalibus membris mulierum appoſita ante coitum, conceptum adimit, quia cohibet ſemina denſari & coire non minus quam impedit lac denſari in caſeum, ut eſt apud Dioſcoridem & Plinium. Interius autem aſſumpta vel exigua ac mediocri quantitate editur, vel nimia copia aut quam oporteat frequentius: prior ille uſus tantum abeſt ut veneri noceat, quin è contra excitandæ veneri accommodatus eſt, & eo ſenſu audiendi ſunt qui ἀφροδίσια ἐρεθίζειν mentham dicunt. Poſterior eſus veneri noxius eſt ac de eo locutus eſt Hippocrates, aliique ſubintelligendi qui ineptam videri mentham voluere. Verba Hippocratis adducam, quia rationem propoſitionis ſuæ complectuntur. Mentham, inquit, πολλάκις ἐσθίῃ τὶς, τὸν σπόρον αὐτοῦ τήκει ὥστε ῥέειν, καὶ ἐντείνειν κωλύει, καὶ τὸ σῶμα ἀσθενὸς ποιέει, id eſt, Mentha, *ſi quis ſæpe comedat ſemen genitale colliquefa-*

Difficultatis ſolutio.

cit ut diffluat, & arrigere prohibet & corpus imbecillum reddit. Cauſa ergo corruptionis ſeminis non eſt frigiditas menthæ, ut falſo ſenſit Ariſtoteles, ſed ejus caliditas nimia quæ ob frequentem ejus eſum potenter agit in ſanguinem ac in ſemen genitale, quod fundit ac liquat, quodque coire cogive prohibet; Imo vero ita extenuat ac ſeroſum reddit, ut etiam ſponte exeat ac diffluat, atque hoc eſt quod inſinuavit Martialis lib. 10. epig. 48. dum mentham ſalacem quidem vocat ſed deſtupratricem.

> In quibus eſt lactuca ſedens & ſeſſile porrum,
> Et deſtrupratrix Mentha, ſed herba ſalax.

Quaſi innuat vim quidem excitandę veneris ineſſe menthæ, ſed tamen ſeminis profluvium ſpontaneum excitare; ubi videlicet eam in uſu frequentiori aliquis habet quæ omnia textu illo Hippocratis continentur. Secundum hunc ſenſum interpretandi ſunt quicūque mentham, vel ἐπιδανλὼ vel frugiperdam, vel ſeminis corruptricem, vel veneri ineptam dicunt. Quomodo vero intelligendus ſit Ariſtoteles frigiditatem menthæ tribuens, vide expoſitum apud Petrum Aponenſem in comment. illius problematis & in Conciliatoris different. 149. ubi agitatur quæſtio utrum mentha ſit calida vel frigida. Jacobus Ferrandus opuſculo de erotico affectu cap. 30. apud Ariſtotelem non legendum eſſe καταψύχειν hoc eſt *refrigerare* docet, ſed κατατήκειν quod eſt liquefacere, quę lectio ingenioſa magis eſt quam vera. De mentæ uſu in capiendis piſcibus, Oppianus, de abuſu in magicis, Cælius Rhodiginus conſulendus erit.

De Marathro.

Cap. XXXV.

» *Bis duo dat Marathrum; febres fugat atque venenum,*
» *Expurgat ſtomachum, lumen quoque reddit acutum,*
» *Urinare facit, ventris flatuſque repellit.*
Semen fœniculi pellit ſpiracula culi.

Hoc in loco traditur, ſemen fœniculi, quod μάραθρον Græce dicitur, flatus diſſipare atque expellere, idque maxime ratione caliditatis. Nam ut libro ſeptimo de ſimpl. medic. facult. cap. 97. Galenus memoriæ prodidit, tam valenter excalefacit, ut ex tertio ordine excalefacientium cenſeri promereatur: deſiccat vero non æque, ſed ipſum quiſpiam in hoc primi eſſe ordinis poſuerit. Proinde lac procreat: quod ſi admodum ſiccaret, non ſane efficeret. Suffuſis eadem ratione auxiliatur, urinas menſéſque ciet. Ex uſu præterea ſeminis fœniculi manant & alia quædam commoda. In febribus enim nauſeam & ſtomachi fervorem ex aqua frigida potum ſedat, ſtomachum purgat, oculorum aciem reficit & cum vino decoctum virulentorum vermium ictus ſanat. Contrariæ radices & cum melle illitæ morſibus canum medentur. Quæ quidem omnia à nonnullis memoriæ juvandæ gratia hiſce verſibus incluſa ſunt.

Bis duo dat marathrum; febres fugat atque venenum,
Et purgat ſtomachum, lumen quoque reddit acutum.

Tranſcripta autem ea ſunt, partim ex Dioſcoride libro tertio cap. 71. partim vero ex Avicenna l. 2. Cano. c. 281. Quo ſane loco inter alia refert Avicenna, etiam Democritum exiſtimaſſe, ſerpentes & vermes venenatos recentis fœniculi ſemines paſtos ſenectam exuere, oculorumque aciem ſucco ejus reficere Neris initio, ubi latebris relictis in apricum prodierint. Unde intellectum eſt, hominum quoque caliginem præcipue eo relevari. Plura hac de re Nicander ſub exordium Theriacon. Plin. lib. 8. c. 27. & lib. 19. c. 91. & lib. 30. c. 23. Macer. lib. 1. c. 16. & Meſves c. 1. de ægritudinibus oculorum. Attamen quum concoctioni aliquantulum renitatur, & exiguum pravique ſucci alimentum corporibus exhibeat, non ut alimento, ſed ut medicamento potius, fœniculo utendum eſt. Proinde aliis interim cibis ipſum vice condimenti, & ut eorum pravitatem corrigat, adhibemus. Quemadmodum enim petroſelinum nonnunquam cum lactucis, ut earum humiditas & frigiditas contemperetur, ſic etiam cum cucurbitis interdum aut rapis, ut pravitas earum minuatur, fœniculũ decoquere ſimul & mãdere cõſuevimus.

Animadverſio.

TRes priores verſus, quia erãt in manuſcript. Codice huc adſcripſimus, quibus quartum aſſuimus quod ad marathrum pertineret, ut ita ex duobus capitibus unum efficeretur. Eſt vero μάραθρον dictum ἀπὸ τοῦ μαραίνεσθαι, quod eſt mareſcere, quoniam ejus emarcidi & arentis plurimus ſit uſus ad condituras. Actuarius & Simeon μάλαθρον vocant forſan à vocabulo μάλα, quod eſt validè & Vis nominis.

ἄθερον sive ἄθερ, id est densum ac stipatum, quod stipatam ac densam admodum habeat comam seu umbellam, ramosque multos ac densos. Latini fœniculum dicunt, quod satum magno cum fœnore semen reddat, vel quod ad instar fœni in hyemes arefactum & marcidum reponatur. Inter ejus species maximè commendatur sativum vulgare admodum frequens. Et dulce non perinde olim frequens, ut pote cum ejus semen è Syria vel Grecia deferretur, Pharmacopeis & Coquis valde expetitum. Nunc tamen in hortis passim seritur & excolitur etiam ex semine vulgaris fœniculi quod involutum ficus pulpâ mutatur in dulce, ingenioso sed facili mangonio. Vulgare temperamento est calido ad gradum usque tertium, sicco vero ordine tantum primo, gustu acri cum leviuseula quadam amaritudine, odore jucundo, substantiæ tenuitate. Dulce non ita calidum nec acre, paulo quam vulgare humidius, fragrantia odoris non dissimili. Prudenter ab Avicenna factum puto quod pravi nutrimenti fœniculum dixerit, condimenti suavissimi ac utilissimi. Ejus usus apud nos frequens, recens coma & nuper enata acetariis additur, radix jusculis ægrotantium admiscetur, semen tum virescens tum maturum & siccum ad commendandum oris halitum ore detinetur, coquendis piscibus interdum adhibetur, ut dum torrentur craticula succum non perdant, & jucundiores fiant. Biscocto pani & nautico & siligineo inditur saporis gratia & flatus coercendi ergo, Seplasiæ & Salgamari totam interdum plantam saccharo condiunt, aliàs semen tantum incrustant musco etiam addito. Crudum semen rustici, pyris, pomisque coctis aspergunt non inutili obsonio. Quin *& panis crustis subditur, & condimentis prope*

Differentiæ.

Temperies.

Vsus in cibis.

omnibus inseritur, inquit Plinius cap.23.lib.20.Notat Cæl. Rhodiginus lib. 6. cap. 12. fœniculum potius recensendum inter σύμφυλα quã φαρμακώδη, hoc est *inter ea quæ in usu sunt quotidiano,quam inter ea quæ medicamenta existunt*. Dicuntur enim σύμφυλα quæ domestica sunt, quibusque domi quotidie aut sæpius utimur,quales sunt fruges aliquæ & ex horto olera omnia, & ex sylvestribus nonnulla ut satis diffusè exponit Marcell.Virgilius ad Dioscorid.lib.3.cap.1. Nihilominus tamen inter φαρμακώδη, non ultimum locum fœniculum occupat. Primo enim adversus febres singulare habetur presidium,earum enim nauseas,teste Dioscoride & ardores stomachi lenit cum frigida aqua potum. Cardanus l. 2. de tuend.sanit.c.48.fœniculi radices coctas sub cineribus cum oleo,aceto & sale mandi à Principibus ægris in acetariis monet adversus febres, obstructiones enim aperiunt, sudorem urinamque provocant, flatus discutiunt, sed & febribus maxime quæ cum typo sunt, auxiliãtur. Secundo,fœniculum presentaneum dicitur esse venenorũ alexipharmacum. Nam scorpionũ & serpentium ictibus semine in vino poto medetur,rabidorum canum morsus concisa radice & ex melle emplastri modo imposita sanat,atque ut recentiores nonnulli observant,præ cæteris contra Mercurium,Cerussam,Arsenicum,&Auripigmẽtum egregie opitulatur. Petudius qui ophiaca scripsit,& Miction qui rhizotomumena,adversus serpentes nihil efficacius putavere fœniculo sylvestri. Nicauder in Theriacis scorpionum ictibus commendat, alii omnibus venenis,quo fit,ut ejus semen Theriacæ adhibeatur. Non omittendum quosdam existimare in fœniculo latere naturam veneni cujusdam tenuissimi & acerrimi, propter

Vsus in Medicina

quod aliis venenis naturali quidam antipathia seu discordia repugnet. Tertio expugnare stomachum narratur fœniculum blanda desiccatione, adstrictione, detersione, proinde nauseas sedare ipsum dixit Diosc. non eas quas mare excitat, sed morbosas & febriles. Admonet tamen Marcellus Virgil. nauseas proprie dici tantum de iis quæ navigantibus accidunt, impropriè autem ad alias referri; deinde significare primario vomendi inanes conatus, secundario vero ipsas vomitiones. Consule virum diligentem ad Diosc. lib. 3. cap. 75. Quarto oculis perhibetur admodum convenire, quod homini præsidium demonstrasse serpentem narrat Plinius lib. 8. cap. 28. & lib. 20. cap. 23. *Fœniculum*, inquit, *nobilitavere serpentes, gustatu ut diximus senectam exuendo oculorumque aciem succo ejus reficiendo, unde intellectum est hominum quoque caliginem præcipue eo levari.* Eam ob rem arbitrantur nonnulli fœniculum eam esse herbam, quam Chaldæi idiomate gentilitio Bramhainach vocant, Græc eἀμβρυωπακὴν hoc est, *oculos hebetes juvantem.* Scholiast. Nicandri ad Theriaca idem quod Plinius observavit, τὰ ἕρπετα, inquit, παραυτίκα ἐξίοντα ἐκ τῶν φωλεῶν ὁρμᾷ ἐπὶ τὴν μάραθον, διὰ τὸ ἀμβλυωπεῖν ἧς ἀποτρώγοντα, ὀξυδερκέστερα γίνεται, καὶ ὀξυωπέστερα, id est, *serpentes illico ac è latebris exeunt, festinant ad fœniculum caliginis discutienda gratia, ubi vero ipsum decerpserunt, fiunt acutissimi & acerrimi visus.* Movere urinas observatur, quæcumque enim desiccant & calefaciunt, quæque tenuium sunt partium, aperiunt & attenuant, ea urinas provocant quemadmodum ostendit Galenus lib. simplicium. Denique fœniculum, & maxime ejus semen, flatus dissipat, & pellit,

Nau-
sea.

proinde inter *carminativa* collocatur. Dicuntur autem carminativa quæ flatus diſcutiunt, barbaro nec ſatis cognito nomine: Renodæus libro primo de mater. medica cap. 32. vel à Gręco κ·μaτίζω, id eſt diſcerpo & in minutas partes divido, vel à *carmino* quod eſt pecto, vel à *Cumino* quaſi *cuminativa* dici potius debeant quam carminativa, vocabulum illud derivatum putat, *quod nihil ſit eorum quæ flatus diſcutiunt, quod viribus eximiis cuminum aquet*. Auctor de virtutibus cordis (quem Cardanus lib. 1. contrad. tract. 3. contrad. 16. credit eſſe filium Viregi non Avicennam) carminativa appellat *frangitiva ventoſitatis*, quibus ineſſe vult *caliditatem ſubtilem, complentem defectum caliditatis debilis diſſoluere nequientis ventoſam humiditatem in quam agit*. Græci διαφορητικὰ τῶν πνευμάτων vocant & ſingulari nomine ἄφυσα φάρμακα, apud Alex. Trallian. lib. 10. cap. 1. ſeu ἄφυσα apud Galen. 8. meth. cap. 5. Aetium lib. 10. c. 21. Paulum Æginetam lib. 3. cap. 41. & Actuarium lib. 5. meth. med. cap. 2. Aretæus autem libro primo de curatione acutorum cap. 2. & lib. 2. cap. 5. φυσέων ἀγωγὰ. Celſus lib. 2. cap. 26. *inflationes levantia* nuncupavit. Mirum autem videri poteſt, quod Dioſcorides, Avicenna, Simeon, Galenus, Paulus, Oribaſius, Aetius in deſcribenda fœniculi hiſtoria facultatis iſtius diſſipandi flatus omnino non meminerint; cum pręcipuam hanc recentiores Medici laudem illi aſſignent, locumque tribuant inter ſemina calida vulgo dicta *communia*, quod communem habeant operationem, adeout indifferenter poſſit poni unum pro altero ut ſcribunt Monachi in cenſur. antidotar. Meſvæi diſtinct. 5. cap. 120. An dicendum cum nonnullis, fœniculo illam

Carminativa.

non inesse facultatem : tantumque abesse ut sit ἄφυσον quin potius φυσῶδες existat ? Sane ab esu fœniculi statim subsequuntur, vel ructus flatulenti, vel crepitus ; hoc animadvertentes Medici, existimarunt ejus ope pelli eos flatus, proindeque flatulentis omnibus rebus, ac præsertim medicaminibus torminosis velut correctivum & castigativum admiscuerunt. Sed fortasse alienum à ratione non fuisset, pensitatius examinare, num illi flatus fœniculi vitio excitarentur: ob indigestam quandam crudamque humiditatem qua persusum est, quæ caloris nativi beneficio calefit, attenuatur, discinditur, expellitur, si pauca quantitate ingestum fuerit fœniculum : nam majori copia assumptum sic distendit interdum ventriculum, & totum abdomen flatu replet, ut discindi aliquatenus se sentiat, quod multis accidere observavi, præsertim qui viride adhuc & crudum fœniculum comederant. Quapropter non ita laudare possum eos qui fœniculum cum senna admiscent, sedandis torminibus ; tantum enim abest ut ventos & dolores amoliatur, quin è contra auget, & irritat sua caliditate, & flatulentia, dumque ructus è ventriculo excitat, gravem medicamenti odorem, & qualis sennæ inest, abominandum tam frequenter & acriter repræsentat, ut ad vomendum cogat. Qni frigida & humectantia velut correctiva sennæ adjungent, experientur minus molestam, longeque blandiorem purgationem quam si fœniculum adjunxerint. Sed hæc omittamus velut ad Therapeuticam pertinentia.

De Pulegio.

Cap. XXXVI.

CUm vino nigram choleram potata repellit.
Appositam veterem dicunt sedare podagram. Macet lib. 2. cap. 4.

DUo hoc in loco Pulegii recensentur effectus: prior quidem quod atram bilem cum vino expurget, cujus rei testis etiam est Dioscorides lib. 3. cap. 32. Atram, inquiens, bilem per alvum exigit.

Alter vero quod peculiari proprietate quadam antiquam curet podagram. Crassos enim viscosósque humores, unde podagra generari plurimum solet, vehementer calefacit, concoquit, extenuat & amolitur. In tertio namque ordine calidum & siccum esse statuitur, quapropter podagris etiam per se subvenit impositum usque dum rubescat locus. Vi pollere corroborandi ex bona fragrantia ejus satis liquet, aperit quoque, attrahit & consumit ratione tum essentiæ, tum qualitatum. Potum menstrua, secundas ac partus ejicit, pulmonis vitia ex melle & aloe potum extrahit, convulsis auxiliatur, capitis dolores impositum levat. Quin & olfactu capita tueri contra frigorum æstusque injuriam & à siti eximere traditur. Nauseas stomachique erosiones exposca permulcet. Bibitur in vino utilissime contra serpentium morsus, defectos animo recreat cum aceto naribus objectum. Siccatum præterea crematumque & in pulverem tritum gingivas confirmat. Illitum cum pollenta inflammationes

omnes ſedat. Cum cerato vermes extinguit, lienoſis cnm ſale utiliter illinitur. Decoctum ejus ablutas prurigines mitigat: & eadem utilitate inſidentibus fœminis prodeſt, inflationes, durities, & muliebrium locorum converſiones corrigens. Plura Dioſcorides loco citato, Plinius libr. 20. capit. 14. Gal. libr. 6. cap. 93. de ſimpl. medicam facult. & Simeon Sethi in ſyntagmate.

Animadverſio.

Pulegii nomen.

HOc olus Medici *Pulegium*, Tullius 2. de divinat. *Pulcium*, Martialis libr. 12. epigr. 32. *Pulcum*, Iſidorus originum libr. 15. *Poleium* vocat, derivatione, ut habet Plinius cap. 14. libr. 20. ſumpta ex eo quod *flos recentis incenſus pulices necet odore*, vel quod multis *uſibus polleat* ad vitam. Græcis dictum eſt γλήχων καὶ βλήχων; ſeu quod, ut aiunt Dioſcorides & Plinius, *guſtatum à pecore capriſque, balatum conciet*: ſeu quod ut Apuleio viſum eſt capit. 91 de virtut. herbarum, *balantum animalium floris ſui tempore paſcuoſa* ſit herba; ſeu denique velut monuit Pena, quod *pulmonibus pituitam craſſam, farctamque extundat*. Ea autem vulgaris cognitionis herba tantæ eſt utilitatis ac virtutis, ut inter alias appellationes παντοαγαθοῦ denominationem ſortita ſit, quaſi *omnibonam* dixeris & ad omnia efficacem. Ejus genera duo: ſativum & agreſte, mas, & fœmina, hæc flore purpureo, ille candido: unde quoque λευκάνθου hoc eſt *albiflorii* nomen ſumpſit, καὶ καλλιόψεος, quod forma ſit conſpicienda hoc eſt candida: λευκὸς enim

apud Græcos idem ac διαφανὴς, καὶ λαμπρὸς, καὶ εὐσυνόπτος, καὶ εὐειδὴς ex magno ethymologico. Cum vero inter obſoletas appellationes Pulegii legeretur Caliſophis, ſeu Galloſopſis nullo ſenſu, emendandum duxi Calliopſis apta admodum ſignificatione, quod miror non animadvertiſſe Marcellum Virgilium. Vulgatum pulegium hodie Regium, nominatur Gallis *poulliot royal*, vel ob præſtantiam, vel ob antiquum uſum in texendis ex eo coronis quę ſunt regiæ dignitatis ornamenta, *Dignior*, ait Plin. libr. cit. *è pulegio corona vertigini, quam è roſis, cubiculis noſtris pronuntiata eſt, uam & capitis dolores impoſita creditur levare.* Vatum autem eam coronam fuiſſe ſcripſit Platina libr. 3. de tuenda valetud. capit. de pulegio. Obſervavit quoque Carol. Paſchalius libr. 1. coronarum capit. 4. ex Florentino lib. 6. de re ruſt. cap. 14. coronam ex pulegio, aut calamintha, aut origano, ad colla vaſorum circumpoſitam fuiſſe, ne muſtum ſuperfunderetur, & ut ipſe loquitur ὑπερχεῖσθαι: præterea mos fuit aſſervare pulegium in carnariis ad multos annos in coronæ circulum nexum, quod notavit Plinius libr. 18. capit. 26. & lib. 19. capit. 8. ſignificavit Martial adducto epigram. ubi *pulei coronam quadrimam* vocat, quod quatuor annorum eſſet. Hujuſcemodi pulegium in tectis ac carnariis ad fumum ſuſpenſum, Jan. Cornarius emblem. 31. ad Dioſcor. monet ab Aetio vocari tum παλαιὸν hoc eſt *vetus & inveteratum*, tum γλήχονα περυσινὴν, id eſt *pulegium de ſuperiore anno*: quod autem fumo non eſt exſiccatum, ἄκαπνον.

Dioſc. emendatus.

Temperies pulegii omnium ſententia calida eſt ad tertium uſque gradum; ſicca quoque vehe-

Temperies.

menter, consistentia vero tenuis, sicut potenter incidat & extenuet, acris quoque & subamara ut probat Galen. 6. simplic. Docet Averroes compositum esse pulegium ex ignea substantia cum aliquantula terrestri parte adusta. Ejus usus frequens olim ad condimenta; apud Bœotos præsertim, si credimus Aristophani in Acharnensium fabula, actu 4. in quo Bœotus se inter merces habere dicit, *quicquid boni Bœoti simpliciter habent, storeas, pulegium, origanum, vesbasculum, Anates, Phalarides, regulos, monedulas, colymbos, attagenas.*

Δι τί φέρεις, Βοι ὅσ᾽ αὖ ἀγαθὰ Βοιωτοῖς ἁπλῶς,
Οείγανον, γλαχὼ, ψάθυς, θρυαλλίδας,
Τρωχίλυς, κολύμβυς.

Meminit Columella libr. 12. de re rust. cap. ultimo moreti oxypori, seu oxygari, in cujus compositionem puleium viride, aut etiam aridum ingrederetur. Potum quoque ex aqua fuisse frequenter post pomorum nimium usum tetigit Aristophanes in Irene. Petit enim Trygæus à Mercurio: *Censen*, inquit, *male esse tu mihi Rex Mercuri ex Operæ congressu*? Mercur. respondet *Nequaquam; potionem pulegii si sumpserit*; ubi quidem allusio est ad vocabulum Opora quo horti fructus, & scortum designantur. Quærit de scorto Trygæus, respondet de fructibus Mercurius, innuitque ex esu fructuum nullum damnum sequuturum, si superbibatur ex aqua Pulegium. Hanc lucem obscurissimo loco prætendit Scholiastes his verbis: οἱ πολλὴν ὀπώραν ἐσθοίοντες ἐὰν κυκεῶνα βληχωνίαν πίωσιν οὐ βλάπτονται, βρέχοντες οὖν γλήχωνα ἐπιπίνουσι, τοὺς γὰρ ὑπὸ τῆς Ὀπώρας βαρυνομένους ἰᾶσθαι φασὶν εἰ ἀποβρέξαντες γλήχωνα

γλήχωνα εἰς ὕδωρ πίνειν : ἰαθαὶ γὰρ οὕτω τοὺς καρδιῶν πόνους, *qui multos fructus comedunt ſi potionem ex pulegio bibant, non læduntur, macerantes igitur pulegium ſuperbibunt. Dicunt enim eos qui ex uſu fructuum premi ſe ſentiunt, convaleſcere ſi maceratum pulegium ex aqua biberint: quippe cum eo potu ſtomachi dolores ſanentur.* Vix vero cum pulte pulegium convenire oſtendit ille Sapiens apud Laertium, qui diſſidentibus & ſeditionem moventibus civibus ſuis in pulpitum progreſſus nihil omnino loquutus, verum pultem in medium afferens pulegio aſperſam identidem ramulo commiſcuit, & è concione exivit. Quid autem hoc commento ſignificaret ille, exponunt Marcellus Virg. ad Dioſcoridem, & Muſa Braſſavol in examine ſimplicium. Quamvis autem Galenus lib. 2. de temperam. pulegium nutrimentum ſimul & medicamentum eſſe affirmet, teſteturque Iſidorus apud Indos pipere pretioſius exiſtimatum, tamen: ut verum fatear, tenuiſſimi eſt aut etiam nullius alimenti. Certe apud nos hodie admodum parcus eſt pulegii in cibis uſus; ac fortaſſe propter eximiam ejus caliditatem & ſiccitatem noxius; proinde Franciſ. de Verulamio in hiſtoria vitæ & mortis, cavendum præcipit à Satureia, Origano, Pulegio & omnibus *quæ ad palatum acria ſunt, & incenſiva. Illa enim,* inquit, *præſtant ſpiritibus calorem non fabrilem, ſed prædatorium.* Conciliandæ fragrantiæ cibis fatuis & inſipidis, ejus momentum aſpergi poteſt thymi loco, ſerpilli aut ſalviæ: pari fructu.

Porro Salernitani duos hic illi effectus tribuunt quos ex Macro una cum primo hujus capituli verſu deſumpſerunt. Primus eſt nigræ cho-

leræ evacuatio, alter podagricorum dolorum sedatio. Quod ad primum attinet, cum Macro & Salernitanis consentit Dioscorides, qui pulegium ἄγειν κατὰ κοιλίαν μέλανα, *nigra per alvum ducere* scripsit, non ulla aliqua cœlesti facultate ac substantiali quam occultam vocant, sed manifesta; ob acrimoniam scilicet cujus supra meminimus. Brassavolus lib. de medicinis purgantibus pulegii periculum se fecisse narrat, tum in minutali exhibitum, tum ex nitro ac cinnamomo, tum etiam decoctum ex aceto & sale gemmeo, ex quo educta sint quædam omnino nigra, quibus & pituita & ichores aliqui admisti fuerint: sed ægrè non egregie educere admittit, multoque imbecillius quam origanum. Vix autem crediderim initio podagræ appositum pulegium sedare dolores, cum excalefaciat, attrahatque potentissime in partem affectam, quod omnes præstant phoenigmi. In declinatione utilissime admoveri potest, tum ad discutiendas humoris impacti reliquias, tum ad robur parti conciliandum: hocque sensu intelligendus est locus Dioscoridis, scribentis illitum cum polenta pulegium inflammationem omnem lenire, & podagricis per se propesse impositum dum rubescat locus: maturare ipsum atque coqnere, discutere ac digerere ipsemet Dioscorides admonuit; quibus modis inflammationi auxiliari potest.

Non omittendum Pulegium brumalem esse herbam, quemadmodum nonnullæ sunt solstitiales quæ solstitii die florescunt: *floret enim ipso brumali die suspensa in tectis arentis herba pulegii*, ait Plinius libr. 2. cap. 41. & lib. 19. cap. 8. post Ciceronem primo de Divinatione. Quamvis

autem Braſſavolus falſum id eſſe ſuo experimento prodat, hoc tamen non eſſe impoſſibile, qui ejus ſtirpis indolem noverit, facili negotio concedet. Narrat Valerius Cordus ad capit. 30. Dioſcoridis libr. 1. *tantam & tam miram eſſe huic plantæ germinandi facilitatem, ut etiam minutim conciſa ſataque proveniat ac germinet.* Eſt ergo illi tam potens humidum primigenium, tam efficax, tamque validum, ut exigua mole ſatum terræ blando complexu adjutum pullulet. Hujus itaque humidi tenacis ac pinguis beneficio, integrum ac vegetum diu perſeverat pulegium, tardiſſimeque areſcit ſeneſcitve; niſi exteriori ſuperficie, quo demum fit ut hyemali tempore circa brumam frigus ambiens calorem pulegii quo humidum illud pingue perfunditur, cogens ac interius pellens, ipſum aliquatenus augeat, promoveat, agitet: hic tum otioſus eſſe cum non poſſit, facit id ad quod natum eſt, trudit foras aliquid flori ſimile. Hinc miraculum, de quo legendus etiam Ariſtoteles problem. 2. ſect. 20. qui parum diſſimilia à noſtris protulit. Expetitum olim fuiſſe in magicis ritibus teſtatur nomen παντυγαθὲ quo ipſum Magi appellabant, necnon & Plinius & Apuleius, qui nonnullos ejus effectus Magicos proferunt. *Pulegium*, inquit Plinius libro vigeſimo ſexto capite nono, *jejunans qui legerit, ſi poſt ſe alliget, inguinis dolores prohibet aut ſedat cœptos.* Apuleius ſcribit eum qui *pulegii ramulos tres lana involutos odorabit, ante acceſſionem tertianæ* liberatum iri, quod ex Xenocrate deſumptum fuit apud Plin. lib. 20. cap. 14. Ob ſuavitatem & ejus herbæ fragrantiam pulegium à Cicerone lib. 16. epiſt. 23. ad Tyron. pro ſermonis ſuavi-

tate uſurpatur. *Cras* inquit, *expecto Leptam: etenim ad cujus rutam pulegio mihi tui ſermonis utendum eſt.* Vide Turnebum adverſ. libr. 8. capit. 5.

De Ruta.

CAP. XXXVII.

Macer l. 1. c. 12.

Nobilis eſt ruta, quia lumina reddit acuta:
Auxilio rutæ vir lippe videbis acute.
Cruda comeſta recens oculos caligine purgat.
Ruta viris minuit Venerem, mulieribus addit.
Ruta facit caſtum, dat lumen, & ingerit aſtum;
Cocta & ruta facit de pulicibus loca tuta.

QUatuor hic recenſentur facultates Rutæ: Ac primò quidem, quod acutam reddat videndi aciem: commanducata enim, ut teſtis eſt Dioſcorides lib. 3. cap. 44. & poſt eum Avicenna 2. Canon. cap. 578. opitulatur oculis, qui hebetudinem ſenſere. Præſtat idem & ſuccus ejus cum ſucco fœniculi & melle inunctus. De hoc nonnihil quoque alias.

Secunda, quod coeundi deſiderium in viris minuat, augeat vero in mulieribus. Nam quum ex tertio ſit ordine excalefacientium & ſiccantium, flatus ſtrenue diſcutit aboletque, & ſic ſemen virile, quod tenue admodum & aerëum eſt, reſiccat ac prorſum ne eſſe quidem permittit; ex quo ſane Veneris appetitum in viris cohibet: Sed in mulieribus ſemen aquoſum & frigidum calefacit, incidit & extenuat: quare eas ad coitum magis incitat.

Tertia, quod aſtutiam ſive calliditatem, id eſt, apprehenſionem & medii alicujus in ſubtili cauſa facilem inventionem uſurpantibus conciliet. Calefactione enim ac reſiccatione extenuantur & acuuntur ſpiritus, fovetur & illuſtratur ingenium.

Quarta, quod decoctum ipſius, ſi domus ea reſpergatur, pulices depellat. Eos enim, ut uno ore Medici teſtantur, acrimonia ſua necat, & gravi odore fugat. Pamphilus apud Conſtantinum Cæſarem, libro 13. cap. 15. de Agricultura, longe plura adverſus pulicum moleſtias remedia enumerat. Scrobem, inquit, facito, & rhododaphnas contuſas in ipſum mittito, ſicque omnes concurrent. Abſinthium & cucumeris ſylveſtris radix aqua marina rigata ac reſperſa, pulices necant. Diſperdit autem penitus Melanthium, aqua maceratum ac reſperſum: aut Conizæ coctæ decoctum irroratum. Diſperdit eoſdem ſimiliter ſemen ſinapeos & Rhododaphnes, ambo fervefacta, & in domo res perſa. Calcem vivam cribrato, & poſtquam locum verreris, inſpergito, indeque necabuntur. Idem continget ex amurca pavimentis aſſiduo irroratis. Cyminum item ſylveſtre tritum ac aqua mixtum, & ſeminis cucumeris ſylveſtris drachmę decem tritæ & in aquam demiſſæ, indeque domo reſperſæ, pulices crepare faciunt. Item chamelææ radix, & populi nigræ folia tuſa, & aqua macerata, & tribulus ex aqua cocta. Pulices etiam muria acris reſperſa & aqua marina enecant. Quod ſi in media domo quis pelvim deponat, & circulum machæra penitus ferrea circumſcribat, & reliquam domum, præterquam locum circumſcriptum, cremore ſta-

Pulices fugantia & necantia.

Aetius lib 13. cap. 45.

phis agriæ aut lauri foliorum tuſotum conſpergat, aut etiam muria aut aqua marina cocta, omnes pulices in pelvim congregabit. Fictile quoque vas defoſſum, ita ut labra æqualia pavimento habeat & adipe taurino oblitum, omnes pulices in ſeſe congregabit, etiam eos qui adhuc in paleis deliteſcunt. Sub lecto parvulum ſcrobem facito, & in ipſum ſanguinem caprinum mittito, congregabit eo pulices & ex aliis veſtibus ad ſe aliciet ac vocabit. Cęterum ex amphimallis & denſiſſimis tapetibus, in quibus plurimi pulices deliteſcunt, eximi ac evocari poſſunt, ſi ſic in urna aut dolio ipſe ſanguis caprinus deponatur. Hactenus ille. Avicenna 6.4. Tract. 3. cap. 11. de fugatione pulicum hoc amplius addit: Quando inquit, domus colocynthidos infuſione aſpergitur, ſaliunt pulices & fugiunt, & ſimiliter ex decocto rubi. Referunt quidam, quod ſi lignum adipe erinacei oblinatur, eo pulices ſtatim omnes concurrent. Fugantur quoque ſuffitu ſuſphuris. Eſt etiamnum herba quædam vulgaris notitiæ, Arabice dicta Chichuanu, id eſt, herba pulicum, quæ in civitate Chairi pulverizata in lecto circa dormientes ponitur, & ex odore illius inebriantur ſtupidique fiunt pulices, & non lædunt. Porro nihil æque diſperdit pulices, ac graveolentia, velut ruta, mentha, mentaſtrum, & lupulus, præcipue tamen fimus & urina equi. Enecat & pulices ſeminis rapi decoctum inſperſum. Quin & taurini cornu ſuffitu pulices fugari perhibentur. Fama eſt, inquit Dioſcorides lib. 4. cap. 60. ſi pſyllium virens domum importetur, non ſine re in ea pulices gigni. Poſtremo verò nihil tam accommodum eſt comprehendendis pulicib⁹, quam

lecto impoſita recens & candidiſſima lanugo zylina. In ea namque congregati facillime capiuntur. Plura Rhazes lib. 8. c. 8. ad Almanſorem.

Animadverſio.

RVtam denominatam vult Iſidorus quod ſit ferventiſſima, vel à Græco nomine ῥυτῇ quo Iolaus antiquiſſimus Græcorum ſcriptor in Peloponneſiacis ſuis rutam deſignabat, ſic ut à Peloponneſiorum ῥυτὴ, latinum *ruta* deductum ſit, quam vocem reperire licet apud Nicandrum, in Alexipharmacis & Theriacis, ejuſque Scholiaſtem; neenon etiam apud Dioſcorid. lib. 3. cap. 47. ubi vocari à nonnullis πηγάνον, ab aliis ῥυτὴ dicitur. Ethymon πηγάνυ eleganter expreſſit Plutarchus lib. 3. ſympoſ. quæſt. 2. φασὶ δὲ καὶ τὸ πήγανον ἀπὸ τῆς δυνάμεως ὠνομάσθαι. πηγνῦσι γὰρ ξηρότητι διὰ θερμότητα τὸ σπέρμα, καὶ ὅλως πολέμιόν ἐστι ταῖς κυούσαις. *Rutam*, inquit, *à facultate nomen accepiſſe tradunt, ſiccitate enim quam vi caloris poßidet, ſemen cogit atque coagulat, penituſque uterum gerentibus inimica eſt.* Duûm eſt ruta generum: ſativa, ſeu hortenſis, & ſylveſtris, ſeu montana ſativæ formâ ſimili, ſed acriori ſubſtantia, & odore vehementiori, adeoque etiam periculoſo, ut interdum vaporem olfacientis vultui afflet aut tangentis manum inurat, qua ſi faciem attigeris eryſipelas aut ſcabies excitetur. Hortenſis multo mitior eſt ac temperatior, cum illa gradu quarto calida & ſicca ſit; hæc ſecundo aut tertio. Optima & probatiſſima evadit ruta ſi ſecundum Theophraſtum libro quinto de cauſis plant. & Plutarch. lib. quinto ſympoſ. quæſt. 9. ſeratur

Rutæ nomen.

Genera.

Temperies.

in ficu, vel ſi ſolum ut Dioſcorides, Plinius, & Palladius referunt, juxta ficum plantetur. Hujus rei cauſam refert Theophraſtus in ficum, quæ & lacteo ſuo ſucco & calore ſuo rutæ alimoniam temperat. Plutarchus vult aut dulcedine ficus reſtingui viroſam rutæ qualitatem, vel rutæ acrimoniam à ficu una cum alimento ſubtrahi. Ariſtoteles vero problem. 18. ſect. 20. rutam inſeri in ficum voluit, ut pulcherrima & optima proveniret: quod rutę radix fomento teporeque indigeat; at ficus calida eſt; fumum quoque multum emittit; ex quo concludit duplici modo rutam à ficu juvari: primò, ratione coloris; altero, ratione humiditatis. Denique Anton. Saracenus ſcholiis ad Dioſcoridem, cauſam ejus effectus regerit in amicitiam mutuam rutæ & ficus quæ ſit ἄῤῥητος & inexplicabilis. Attamen meo judicio hujus rei ratio non ita abſtruſa eſt & occulta, ut Saraceno videtur: hoc enim accidit quod ficus pro alimonia ſuccum trahat è terra multiplicem, partim acerbum, partim acrem, partim dulcem partim quoque ſalſum: conſtat enim ficus partibus diverſis diverſo ſucco gaudentibus, arbos ipſa ſalſedine quadam ac etiam acrimonia prædita eſt, folia & novellæ ficus acerbitatis cujuſdam participes ſunt; fructus dulciſſimi exiſtunt: ſugunt ergo radices arboris è terra ſuccos nutriendis his variis partibus familiares & aptos: ex quo tandem ſequitur ut vicina ficui ruta alimentum ſuum trahat magis depuratum defœcatumque, quo dum affatim fruitur, altior ac lætior exurgit, addo etiam ſuavior atque eſui aptior; quod alimentum ſuum omni excremento deſtitutum melius excoquat, conficiat ac elaboret: Inſuavitas enim & ſaporis & odoris à male coctis, indigeſtis

Opinio noſtra.

crudiſque ac inæqualiter elaboratis partibus;ſuavitas vero ab edomitis omnibus ſuperfluitatibus æquabiliter excoctis ſuccis, univerſiſque partibus eximiè & perbellè confectis ac elaboratis provinit. Certum autem eſt melius confici & elaborari pura quam impura, defœcata quàm fœculenta, ſincera quàm confuſanea.

Quo ſit ruta tempe-ramento.

Diximus autem hortenſem rutam calidam eſſe & ſiccam, vel ſecundo, vel tettio gradu: nec enim inter ſe Medici conveniunt: Galenus octavo ſimplic. Raul lib. 7. Oribaſius lib. 1. ſynopſ. Ætius lib. 1. Simeon in ſyntagm. calidam & ſiccam rutam dicunt ad tertium uſque gradum; Nonnulli vero ad ſecundum tantum uſque. Hanc difficultatem ſolvit ex Avicenna Michaël Savanarola tract. 2. cap. 6. de reb. non naturalib. Ait enim *recentem ac viridem rutam ſecundo exceſſu tantum calidam, reſiccatam vero & antiquam exceſſu tertio.* Uſus rutæ in cibis, Priſcis familiaris ſeu ad viſum acuendum ſeu ad faſcinum amoliendum præſumerent. Antiqui pictores ad aciem oculorum rutam ſæpius edebant, obſervante Plinio & Simeone. Theopompus Chius lib. 38. ſuæ hiſtoriæ narrat Heracleotas eſu rutæ ſibi caviſſe à Clearcho Tyranno, qui plurimos veneno per inſidias è medio ſuſtulerat; præſidio enim rutæ nihil læduntur vel qui aconitum biberint, ait Athenæ. Deipnoſ. lib. 3. & Stephanus de urbibus. Præterea Eraſmus centuria 4. chil. 4. obſervat ex Ariſtotele ſumpturos olim cibum prius ediſſe rutam ſeu remedium adverſus faſcinum. Locus autem Ariſtot. eſt ptoblem. 34. ſect. 20. quo quæret cur ruta faſcinationis remedium eſſe dicatur. Quod autem ad nutrimentum à ruta ſuppeditatum attinet, Gal. lib. de attenuante victus

Vſus in cibis.

rat. cap. 5. rutæ ſemen ex iis alimentis dicit eſſe, quæ adeo ſunt fortia ut nihil à fortiſſimis medicamentis diſſideant. Michaël Savanatola ſcribit ſe non ponere remotionem nocumenti à ruta inducti, *quia*, inquit, *non invenio nocumentum manifeſtum in ea, ſaltem dum accipitur in via cibi.* Cardanus lib. 2. de ſanit. tuenda cap. 34. ſativam rutam non adeo guſtui ingratam profitetur, cum eam inter alias herbas acetarium componentes univerſa Italia miſceat. Addit vero ſe oleo & ſale ſolam eam libentiſſime comedere ſolitum, guſtuique gratiſſimam fuiſſe, licet eam deprehenderet amaram, adſtringentis ſaporis & ſubacris. Ut ut ſit, auctoritas peculiaris apud antiquos ei fuit. Invenio muſtum *rutatum* populo datum à Cornelio Cethego in Conſulatu collega Quinti Flaminii comitiis peractis. Meminit & vini rututi Plinius & auctor rei ruſt. lib. 7. cap. 12. Unum autem eſt quod rutæ uſum ſequatur, ſudorum fœditas & cujus rationem inquirit Ariſtoteles problem. 33. ſect. 20. & problem. 13. ſect. 2. & Theophraſtus libello de ſudoribus. Putat Ariſtoteles id accidere propter odoris gravitatem, quæ eſt in ruta: quæcumque autem talia ſunt, humoribus ſordidis hoc eſt excrementitiis & ſeroſis quæ ſudoris materia ſunt, admixta, fœdum communire odorem poſſunt. Quis autem crediderit rutam furtivam provenire felicius, ſicut apes furtivas peſſime; nec expedire ferro eam tangi? quis putaverit circunſcriptam auro & argento, & ebore infraque talum alligatam profluvium mulieris ſiſtere? Nemo ſane niſi qui ſuperſtitioſis herbarum virtutibus nimium credulus exiſtit.

κακωδία. Sudor fœdus à ruta.

Facultates rutæ.

In præcipuis autem medicaminibus ruta eſt, ait Plinius, ſed ejus univerſas facultates & effectus

non inquiro : ſufficiat eos quorum meminere Salernitani breviſſime perſtrinxiſſe. Primus eſt, visũ acuere, & oculorum morbis auxiliari : ad quem uſum commendatur & cibo potuve ſumpta, & exterius admota. Cum pane vel naſturatio ingeſtam fuiſſe propter viſum, Plinius retulit cap. 12. lib. 20. Multi vero ſucco ejus cum melle Attico inuncti diſcuſſerunt caliginem, vel cum lacte mulieris puerum enixæ. Exiſtimavit tamen Pithagoras oculis noxiam eſſe, putavitque Rhazes oculos è ſua ſede dimovere, quod intelligendum eſt de ejus eſu nimio, à quo incaleſcunt ita humores & ſpiritus ut acerrimam periculoſamque oculorum inflammationem invehant : at moderato ejus uſu inciduntur attenuanturque craſſi & viſcidi humores in ventriculo reſtagnantes, diſſipanturque fumi oculorum caliginis cauſæ.

Alter rutæ effectus, eſt continentia, quam in viris excitare dicitur : cum enim calidiſſima ſit, acris ferventiſque naturæ, ſemen genitale exſiccat, deurit & cogit, unde illi nomen : id autem efficit maxime in viris biliosis & calidioris temperamenti ; nam venerem excitare poteſt in frigidioribus naturis, quibus ſemen aquoſius eſt & ſeroſius, velut in pituitoſis & mulieribus, quæ calidis medicamentis juvantur, quæque ſolent ex Philoſopho avidius coitum æſtate quam hyeme appetere. Deinde cum propenſio in venerem excitetur à flatibus, certum eſt rutam cum ſit ἄφυσος propter colorem & ſiccitatem eximiam qua pollet, hujuſcemodi propenſioni eſſe adversã.

Addo demum rutæ vim quandam eſſe ναρκωτικὴν ; ſic ut graviſſimos dolores & capitis, & ventris, & dentium leniat ac ſopiat. Nec obſtat quod amara

ſit & ſubacris, cum opium ipſum narcoticum amarum quoque ſit & ſubacre: at proprium eſt narcoticorum, ut venerem extinguant ſtupore ſpiritibus inducto.

Tertius effectus eſt, aſtutia ſeu calliditas, quam Græci πανουργίαν vocant, quæ nihil aliud eſt quam dexteritas ingenii ad quidlibet agendum, tam enim in bonam, quam in malam partem ſumitur hoc vocabulum, quamvis uſus obtinuerit ut pro deteriori parte accipiatur. Longioris porro eſt otii examen hujus propoſitionis, quomodo ſcilicet medicamenta agant in animum, quave ratione poſſint vel mentis operationes perficere, aut interturbare, vel mores hominum fingere & immutare. Qui opus Galeni, an animi mores ſequantur corporis temperiem intellexerit, is facile ex illa difficultate ſeſe expediet, nec interpretatione noſtra indigebit. Tanti tamen rutam non facio, ut ingenio natura rudes & ſtupidos, acutos & vaſros efficere eam poſſe credam; cum hoc prorſus impoſſibile ſit: ſed cum occupatum eſt multis fumis ac vaporibus cerebrum, cum craſſis viſcidiſque humoribus oppletum eſt, à quibus operationes intellectus vel interturbantur, vel ſegnius exercentur; tum uſu rutæ, quæ incidit & attenuat craſſos humores, vaporeſque omnes reſolvit, libertas operationum mentis promovetur, cerebro vigor reſtituitur, ſpiritibuſque animalibus puritas redditur, unde πανουργία. Ineſſe autem rutæ vim cerebri depurandi, auctoritate multorum comprobatur. Dioſcorides capitis doloribus ſubvenire, comitialibuſque auxiliari prodidit: Ad crapulæ gravedines decoqui folia, & in cibo vel crudam vel coctam conditamve prodeſſe, narravit Plin. comitialibuſque exhiberi,

Rutam contritam naribus & ori epilepticorum impoſitam, liberare ægros ac etiam perfectè ſanare obſervat Michael Savanorola tract. 6. cap. 1. de ægritudinibus capitis: ſubditque hoc præſidium pro *ſecreto* tenendum, quod tamen omnibus propalandum ſit ac revelandum, quoniam talia ſubticere videtur peccatum in Spiritum ſanctum. Ex quibus verbis diſcent Chymiſtæ, Agyrtæ, Circulatores, Circumforanei, Arcanorum tranſcriptores, & quicumque ſe remedia ſecreta & arcana habere profitebuntur, peſſimè ſe agere, non ſolum quia ut plurimum falſa pro veris, inepta pro ſinceris, vana pro certis præſidiis venditant, ſed etiam quia quæcumque illa ſint tandem, ſubticent & ægris, & Medicis dogmaticis, qui pro ſuſpectis ſemper remedia illa ἄλογα aut ab ἀλόγοις hominibus ſuppeditata habent.

Poſtremum effectum, cum fuſius in commentario expoſitus ſit, pluribus non explico. Satius erit defenſionem Hippocratis ſuſcipere adverſus Lilium Biſciolam lib. 18. horarum ſubſic. tom. 1. c. 16. quo loco *male ſenſiſſe Hippocratem* dicit quod rutam aſſeruerit lib. 2. de diæta movere Urinam, cum Dioſcorides ad reprimendam urinæ incontinentiam ſemen rutæ in pulverem tritum preſcripſerit. Primo enim non unius Hippocratis fuit illa aſſertio, ſed Galeni, Pauli, Oribaſii, Aetii, Avicennæ, Averrois, omnium denique Medicorum quorum ſingulas auctoritates afferre tædiosũ nimis eſſet: contentus ero uno vel ipſius Dioſcoridis teſtimonio qui ab Hippocratis mente non deflexit, ſcripſit enim cap. de ruta, ἀμφότερα δὲ καυστικὰ, θερμαντικὰ, ἑλκωτικὰ, οὐρητικὰ ἐμμήνων ἀγωγὰ, *utramque rutam* ſativam & ſylveſtrem, *ferventis eſſe*

Hippocrates defenſus.

naturæ, calefacere, exulcerare urinas & menses ciere: quæ verba ab Hippocrate non dissentire Dioscoridem ostendunt. Deinde vero advertere debebat Bisciola, inter se contraria non esse, movere urinas, & urinæ incontinentiam auferre, sed movere & supprimere urinas esse invicem adversa: potest enim aliquod medicamentum simul & semel movere urinas & urinæ incontinentiam auferre, sed non potest simul & semel movere & supprimere urinas, licet quædam habeamus præsidia ut rheum barbarum quod simul & semel alvum moveat & adstringat. Hoc ut intelligat Bisciola, cogitatione repetat omnia pene medicamenta diversis & contrariis partibus constare, ac continuo etiam diversis contrariisque facultatibus pollere, quod longiori expositione non indiget: deinde revocet in mentem urinæ incontinentiam posse esse simul cum profluvio urinæ copioso, quod cernere licet in diabete; quo in affectu magnâ copiâ egeritur urina, nec ulla ratione ab ægro retineri potest. Sic ἐνουρητικοὶ Græcis dicuntur, qui sæpe mingunt vitio vesicæ resolutæ, quo fit ut præter voluntatem diu noctuque urinas fundant. Nonnulli stragulas nocte permingunt, ut senes propter siccitatem, & pueri propter laxitatem & mollitiem; in quibus nemo negaverit urinæ incontinentiam adesse. His positis eritne absurdum dicere semen rutæ movere urinam, & urinæ incontinentiam auferre? Minime gentium. In pueris exempli gratia qui propter laxitatem & mollitiem partium ἐνουροῦσι, ut loquitur Dioscorides, nonne rutæ semen frixum propter vim desiccandi & modicè adstringendi exhiberi consulto potest laxitati & mollitiei partium emendandæ? In resoluta quoque ob frigus vesica nonne idem semen ob facultatem cale-

faciendi tuto præſcribi poteſt ad urinæ incontinentiam, ſimulque ad urinæ profluvium, cujus aliqua ſuppreſſio fiebat ob reſolutam veſicæ attractricem? Sed nimius ero ſi omnia exempla atque rationes congerere voluerim, ſufficiant hęc ad tuendam atque ſuſtinendam Hippocratis auctoritatem ac dignitatem, quem Imperator Juſtinianus *divinum* vocavit, quique Macrobii elogio, *nec fallere nec falli unquam potuit.* De ruta prodigioſæ magnitudinis quæ à nulla ficu vel celſitudine vel magnitudine vincebatur, legendus Joſephus lib. 7. de bello Judaico cap. 25.

De Salvia.

Cap. XXXVIII.

Cur moriatur homo cui Salvia creſcit in horto?
Contra vim mortis non eſt medicamen in hortis.
Salvia confortat nervos manuumque tremorem,
Tollit, & ejus ope febris acuta fugit.
Salvia, caſtoreumque, lavendula, primula veris,
Naſturt, Athanas; hæc ſanant paralytica membra,
Salvia ſalvatrix naturæ conciliatrix.

Permagnam eſſe utilitatem Salviæ hoc loco traditur. Ac primo quidem verſu per modum dubii quæritur quî fiat ut homo moriatur cui Salvia creſcit in horto? Ad quod ita reſpondetur ſecundo verſu: Quanquam Medicina in hortis reperiatur, quæ corporis putrefactioni reſiſtat humiditatemque cuſtodiat naturalem, ne citius quam par eſſet, diſſipetur,

nulla tamen invenitur, quæ moriendi necessitatem è medio tollat. Et hoc est, quod Avicenna 31. cap. singulari ait. Ars quidem sanitatis tuendæ nos à morte securos non facit, neque corpus à foris incidentibus nocumentis munit, neque unumquodque corpus ad ultimam vitæ longitudinem, quæ est secundum hominem absolute perducit: Sed de duabus rebus securitatem prębet: putrefactionem enim penitus excludit, & humiditatem defendit naturalem, ne justo citius resolvatur.

Gal. l. 1. c 17. de sanit. tuend.

Secundo loco, tres referuntur Salviæ effectus: ac primo quidem quod nervos roboret. Siquidem manifeste calefacit, & leniter adstringit, humorum igitur copiam, qua nervi impediti relaxabantur, exsiccat, refrigeratosque recalefacit. Deinde quod manuum tremorem tollat. Nam quicquid nervos roborat ac excalefacit, tremorem etiam tollit. Tremor enim ex nervorum imbecillitate & frigiditate potissimum accidit. Atque hanc sane ob causam senes nonnulli & anus decrepitæ cibis ac potibus suis folia Salviæ imponere solent. Tertio, quod acutam removeat febrem: cujus hanc adsignaveris causam, nempe quod humores exsiccat, adeoque putrefactionem, quam acuta febris magna ex parte comitatur, impediat. Porro Salvia temperamento est evidenter excalefaciente & exsiccante, atque eam ob rem per se in victus salubris ratione non temere usurpanda. Attamen cum nervos excellenter roboret, dupliciter ea homines in sanitatis tutela uti consueverunt. Aut enim inde parant ἐμβάμματα, id est intinctus, quemadmodum ostendimus supra capite 22. appetentiam ita revocantes ei, cui ventriculus

Manuũ tremor.

culus crudis, inconcoctis ac pravis humoribus refertus fuerit. Aut vinum ex ea etiam conficiunt, Salviatum ipsis appellatum, quod in mensæ principio potissimum expetitur. Hoc cum sibi qualitatem quandam à Salvia calidam simul ac adstringentem, aromaticamque & exsiccantem adsciscat, tremulis, paralyticis, & epilepticis mire conferre putandum est: præsertim si post purgationem epoto medicamento modice sumatur. Quin & ventriculum, cerebrum, nervos ac reliquas quoque corporis partes præ humiditate laxas exsiccat ac roborat, idque per hyemem maximè. Valet contra renum, vesicæ & laterum dolores, rejectiones sanguinis, tussim, rupta & vulsa. Difficili urinæ auxiliatur, & suppressos menses proritat, sed immoderatius: quo circa gravidis non nisi cum timore exhibendum est, quippe quod partus facile enecet, & abortus faciat. Vaporosum est admodum, faciléque caput ferit, & cito inebriat: quare caput debile habentibus, quibusque plurimum molestiæ catharrhus exhibet, ab ipso in roborando ventriculo cavendum est: ne dum uni parti auxilium quærunt, reliquas offendant. Imo vero nec alias immoderatius eo utendum est, neque ad depellendam sitim, neque ad deferendum permiscendumve cibum: quod universum ita cibum ad extremam plane caliditatem ac siccitatem perduceret. Primum enim per se calidum & siccum est vinum, deinde vero & Salvia sat strenue excalefacit, desiccátque & tenuium est partium: quare quod inde fit vinum, ad immodicam haud dubie caliditatem ac siccitatem inclinabit, atque ob id sanitatis tutelæ minus conveniet: ut quod ingestum ci-

bum permutare atque ante perfectam concoctionem è ventriculo ac hepate ad cerebrum facile & nervos deferre, obstructionemque omnis putredinis matrem, in humano corpore excitare valeat. Plura de hoc Magninus c.21. partr 3. Regiminis sanitatis & Joan. Michael Savanorala, in majori pract. 2. cap. 4. Rubri 15. Duplex porro Salvia passim in hortis spectatur: Una magnis, latis & asperis foliis. Altera vero foliis minoribus, contractioribus & lævioribus. Græci, quod ipsa verba retorrida semper & exsucca appareat, communi utramque appellatione nuncuparunt ἐλελίσφακον, quod quasi in tabem, vel siderationem redacta videatur.

Theophrastus l.6. c.2. hist plant.

Salvia.

Tertio loco, sex enumerantur medicamenta simplicia παραλύσει curandæ accommodatissima; nempe Salvia, Castorium, Lavendula, Primula, veris, Nasturtium & Athanasia. Hęc namque omnia proprietate quadam membra paralytica curant ac sanant. De Salvia quidem ex modò dictis satis constat, quippe quæ genuina caliditate & siccitate sua pituitosum humorem, quo nervi obstructi resolvebantur, facile consumat, adeoque nervis ipsis robur addat. Castorium calefacit, siccatque cum extenuandi viribus eximiis, quibus pręter alias actiones, etiam nervorum, qui ex copia humorum male habent, affectibus, nempe tremori, stupori, convulsioni & paralysi congruit, & refrigeratos facile recalefacit, & extrinsecus applicatum, & potui datum: idque ita, ut nullam aliam offendat particulam; etiamsi mediocriter febris affligat, quemadmodum in veternis & cataphoris: sed & mensibus retentis proficit, & secundas expellit. Juvat etiam, si quis suffitum ejus in prunis im-

Castorium.

positi inspiratione hauriat, maxime ad affectus in pulmone aut capite consistentes. Frigidæ quoque surditati, & auribus ob crassos flatulentosque spiritus dolentibus præclare opitulatur, ad lentis magnitudinem cum oleo nardino infusum. Oleum præterea castorii non minus contra frigidos nervorum & juncturarum affectus omnes valet, quam Castorium ipsum, præsertim si post materiæ evacuationem applicetur: residuum enim consumit, nervos roborat, paralysi, convulsioni, ac tetano medetur, & acerrimos rigores, & frigora febrium, si spina dorsi eo liniatur sedat. Porro Castorium testiculus est animalis ancipitis vitæ, quod κάστωρ à Græcis, à Latinis Fiber appellatur. De quo Dioscorides libro 3. cap. 21. Plinius libro 8. cap. 30. & lib. 32. cap. 33. Galenus lib. 11. cap. 11. de simp. med. facult. Aetius lib. 2. c. 177. Paulus lib. 7. Avicenna 2. Can. cap. 125. Lavendula excalefacit & exsiccat ordine secundo completo, vel tertio inchoante, viribus à nardo Celtica non longe recedentibus. Confert omnibus cerebri ægritudinibus à frigido provenientibus; convulsis, resolutisque auxiliatur: ventriculum roborat, & jecur ab infarctu liberat: quin & obstructos lienes juvat: uterum calefacit, & menses & secundas educit. Primula veris calida est & sicca, nervos roborat, convulsioni, tremori, apoplexiæ, paralysi, cæterisque nervorum atque articulorum vitiis frigidis & humidis auxiliatur: atque inde arthritica etiam à nonnullis & herba paralysis appellatur. Primula veris autem dicitur, quod scilicet Vere inchoante mox erumpat. Per Nasturtium Sisymbrium aquaticum hic intelligitur, quod riguis gaudet & in fontium rivis discurrentibus comite Sio nasci-

Lamendula.

Primula veris

Nasturtium.

tur, foliis primo exortu rotundis, quum vero adoleverint erucæ modo diſſectis, odore ac ſapore ſativo naſturtio proximis, atque ob id καρδαμίνη à nonnullis, id eſt naſturtium, nominatur. Ea herba cum ſicca eſt, tertii eſt ordinis excalefacientium & deſiccantium: cum humida & viridis, ſecundi: craſſos & pituitoſos humores extenuat, incidit, & reſolvit: qua ratione nervos à phlegmate purgat, paralyſiſque cauſam aufert. Atque hic ſane præcipiunt Medici, ut in quadragenaria illa Eccleſiæ abſtinentia, propter phlegmaticos cibos, qui per id tempus mandi ſolent, Naſturtia quoque ſubinde exhibeãtur. Athanaſia Tanacetum etiam vocatur. Ea Parthenii ſpecies quędam exiſtit, purgandique phlematis facultate prædita eſt: nervos caliditate ſua exſiccat. Sive foris impoſita, ſive intro in corpus aſſumpta, lumbricos & materiam unde illi generantur, ex ventre pellit. Plurimum igitur Galli primis ſanctum poſt Paſcha diebus Athanaſia cum ovis frixa ad phlegmatis per jejunium quadragenarium ex eſu piſcium collecti eductionem utuntur, ne ſcilicet inde lumbrici in corporibus aptis ac præparatis generentur. Recentiores etiam utuntur ad ventriculi & alvi flatus diſcutiendos: item ad frangendos renum calculos & ad ciendam urinam. Ultimo tandem verſu traditur, Salviam ſic dici, quod ad multa ſit ſalutaris, præcipuè ad fœcunditatem.

Animadverſio.

PRiores duo hujus capituli verſus nobis occaſionem prębent inquirendi, num dari poſſint

quędam alimenta vel medicamenta quæ non tantum retardare mortem, sed etiam omnino prohibere possint: secundo vero an inter præsidia illa numerari debeat Salvia. Quod ad primum attinet, nonnulli reperti sunt qui immortalitatem homini conciliari posse crederent ope quorundam medicamentorum; sed & tam rara esse & occulta, ut mirum non sit si vix unus aut alter eorum beneficio uti potuerit. Etenim si ea est naturæ in hominem beneficentia, ut quędam produxerit corpori humano adversus externas omnes injurias, & adversus telorum & gladiorum aciem muniendo atque conservando: nonne liberalis quoque & munifica, est in elargiendis pręsidiis quæ idem corpus ab internis injuriis, mutationibusque tueantur? Nemo autem est qui nesciat apud Homerum, & Ovidium, Achillem, & Cycnum invulnerabiles fuisse, non (ut volunt) deorum falsorum ope, sed medicamentorum quorundam beneficio. Tithonum quoque memorant auroræ succo perfusum immortalitatem consecutum fuisse. Glaucus vero Piscator esu cujusdam herbæ cujus attactu pisces revixerant, in Deum mutatus est, hoc est immortalis est factus. Hesiodus deos suos Ambrosiæ & nectaris usu morti obnoxios non reddi prodidit, insigni quidem mendacio, quo tamen voluere veteres designare in arcanis naturæ atque Thesauris esse pretiosa quædam medicamenta, quibus si quis uteretur, non mortem solum retardare, sed vitare etiam omnino posset. Ac ne solis Poëtarum fabulis duci nos quis suspicetur, proferre in medium possum Chymistarum quorundam opinionem, qui non tantum vitam prorogare suis extractis jactitant, sed mortuos artificio chymico ad vitam revocare posse audacter gloriantur, adeo

An immortalitas dari possit.

ut eorum nonnulli reperti ſint, qui ut juveneſcerent, ſe fruſtatim per miniſtros ſuos diſcerpi ac dilaniari, vitreo vaſe includi, equino ſimo per quadraginta dies obrui, cum nonnullis medicamentis imperaverint, quemadmodum de quodam Marchione Hiſpano à quibuſdam commemoratur. Joan. Erneſtus Burgravius in Achille ſuo panoplo redivivo, ejuſcemodi armorum fabricationem commentus eſt, quæ nulla vi penetrari poſſint, ſed equitem præſtent invulnerabilem; talemque inſuper & potionem & alimoniam equo bellico præparat, ut multos dies ſine cibo tranſigat, plurima milliaria uno die indefeſſo curſu abſolvat. Trigaltius in hiſtoria Chinenſium apud eos invaluiſſe hanc opiniodem narrat, ut artem eſſe profiteantur, qua ſe immortales præſtare valeant: proinde nonnulli apud eos diligenter eam artem excolunt, ſuamque induſtriam accommodant Principibus viris ut eos immunes à morte efficiant. Et vero cum vita quadraginta annorum, & centum annorum vita inter ſe tamen diſtinguantur ſecundum magis & minus; ac Medicina ſuppeditet homini artificium producendæ vitæ ad annos uſque quadraginta; certiſſimum eſt eam poſſe quædam quoque præſidia ſubminiſtrare vitæ ad annos centum protrahendæ: Quod ſi poſſit ad centum annos, poterit ad ducentos, imo ad mille, & plus ultra, cum differentia illa non ſit niſi ſecundum magis & minus. Præterea ſyncope & apoplexia non diſtingui videntur à morte, niſi ſolo tempore, eſt enim ſyncope mors momentanea, mors vero ſyncope diuturna: at habentur præſidia prohibendæ ſyncopes, & cum incidit, removendæ; erunt igitur etiam remedia impediendæ mortis,

atque tollendæ. Denique Averroes primo de ortu & interitu comm. 38. ſcribit Alex. Aphrodiſienſem exiſtimaſſe in corpore humano quamdam eſſe materiæ partem non exiſtentem in continuo fluxu, ſed eodem ſtatu permanentem: quod ex vulneribus inflictis in puerili ætate colligere eſt, quæ ad interitum & ultra perſeverant. Ea ergo materia ſi eodem ſemper modo foveatur, ſi convenienti præſidio ſemper recreetur vitam incolumem ſemper præſtabit & immunem à morte. Quæ Joa. Grammatici quoque fuit ſententia, ut explicat Nicolaus Cigninius queſtione Theologica utrum Adam eſſet immortalis. Sed ne in cumulandis & rationibus & exemplis veterum ac recentiorum longior fiam; dico compendio arborem vitę quæ in medio Paradiſi voluptatis à Deo plantata eſt, eam habuiſſe virtutem non ſupernaturalem ac miraculoſam, ſed naturalem ac phyſicam, non ſolum ante ſed etiam poſt Adami peccatum, tribuendi ac largiendi immortalitatem iis qui ejus fructus comediſſent: immortalitatem dico non ſimplicem aut abſolutam, ſed conditionalem ac limitatam; adeo ut arbos illa poſſet, exempli gratia ad mille annos vitam incolumem protrahere, poſt quos vita defeciſſet niſi de novo deguſtata fuiſſet, tum enim adhuc ad mille annos vita conſervabatur; & ſic deinceps unde non ſequutura fuiſſet mors niſi quis ab ejus arboris eſu abſtinuiſſet. Quæ certè doctrina non eſt omnium Theologorum, ſed ſaniorum atque probatiſſimorum. Barcephas enim lib. de Paradiſo Terreſtri cap. 20. & Eugubinus in Coſmopœia, eam arborem volunt ſymbolum tantum fuiſſe immortalitatis. Rupertus, S. Irenæus, Hilarius, Chryſoſtomus, Epipha-

Arbor vitæ.

nius, & inter tecentiores Bellarminus, gustatam semel arborem absolutam immortalitatem concedere censuerunt. Sed D. Thomas 1. parte, quæst. 97. art. 4. aliter definivit, dixit enim semel sumptam arborem præservare tantum potuisse ad determinatum quoddam tempus; quo finito, vel moriendum erat, vel denuo de illa arbore sumendum; ac præterea non potuisse prohibere mortem quæ ab extrinseco puta ab ictu, casu, gladio adveniret, sed eam tantum quæ ab intrinseco accederet, quæ nostra fuit propositio, quam insuper tenuere D. August. lib. 14. de Civit. Dei cap. 26. Lyranus, Cajetanus, Lombardus, Tostatus, Gregorius de Valentia, & alii. Quod autem vis illa esset naturalis, non supernaturalis, quod etiam ante & post Adami lapsum vigeret, ita luculenter expositum fuit ex variis Theologorum auctoritatibus à Pererio lib. 3. in Genesim, & novissimè à Thoma Malvenda opere de paradiso voluptatis, ut facem quæram meridie accendere, si aliquid velim viris diligentissimis superaddere. Quare amplius nihil addo præter hoc argumentum: Si lignum vitæ vim habuit naturalem concedendi Immortalitatem, asserendum est in rerum natura posse dari aliquod præsidium adversus mortem: Atqui verissimum est lignum illud vim illam habuisse; Verissimum ergo quoque est dari posse in rerum natura præsidium aliquod adversus mortem. Ubi autem sit illud præsidium & unde desumi possit, an ex lapidibus, plantis vel animalibus, nemini notum est; si quod nonnulli asserunt veritati non repugnat, quod est lignum vitæ esse in rerum natura, & quidem vel Thuiam, vel Musam arborem, certum ex ea

arbore repetendum. Enimvero hæc ſunt quæ adduci ſolent ad probandum dari poſſe aliquod medicamentum morti devitandæ : quæ tamen ad examen revocata, ita vana ſunt & inania, ut auctores pudere debeat tam futilis argumentationis. Quod enim attinet ad ea quæ ex poëtis proferuntur, ſeſe vel ipſa deſtruunt cum invulnerabiles illos viros tandem occiſos fateantur; cæteros vero alios pro diis falſo habitos, interiiſſe conſtet. Chymiſtarum autem artificia illa, delirantium ſomnia ſunt, Imo vero deteſtanda deliria cum ſe ipſos non ſolum ludibrio, ſed infami letho exponant è quo nemo adhuc redivivus illuxit. Erneſti Achilles πάνοπλος vere eſt πανικὸς lymphaticus & nugarum plenus, cum omnia vanis ſuperſtitionibus & obſervationibus magicis aſperſa ſint. Quod apud nos Chymiſtæ pollicentur, id apud Chinenſes immortalitatis illi artifices turpi & infami ſucceſſu, cum nemo eorum qui artem immortalitatis profitentur alios vitæ diuturnitate excedat. Miror autem prioris argumenti artificium quo à minori concludit ad majus, cum è contra à majori ad minus arguere deberet. Non eſt enim neceſſarium ut quis vivat ad mille annos, quod ad ſexaginta vivere poſſit, cum nec neceſſarium ſit ut quis in ventriculo conficiat centum panes, quod unum aut alterum conficiat, quia à minori virtute ad majorem nunquam valuit conſequentia. Alterum argumentum validius non eſt, ſupponit enim ſyncopem eſſe mortem cum ſit potius mortis imago. A ſyncope liberamur quia non datur ſeparatio animæ à corpore, à morte nemo redit quia facta eſt illa ſeparatio. Falſo attribui Alexandro Aphrodiſ. opinionem

illam ex Averroe allatam, pluribus oſtendit Cigninius eamque variis rationibus oppugnat & expugnat citato opere. Plus difficultatis videtur ineſſe in exemplo de arbore vitæ adducto, id enim totum verum fatemur, & extitiſſe olim illud præſidium libenter admittimus, cum Adam in ſtatu innocentiæ creatus fuit: in quo ſi perſeveraſſet, uſu ejus arboris munitus fuiſſet adverſus omnia ſenectutis tædia, donec ad meliorem vitam fuiſſet aſſumptus. At poſt lapſum viſum eſt Deo hoc illi pręſidium adimere, ne cogeretur in perpetua miſeria & hujus vitæ calamitate permanere: ideo unà cum paradiſo terreſtri arbos illa è medio ſublata eſt, quæ ſola ſuæ ſpeciei fuit, nec amplius in rerum natura exiſtit. Unde concludere licet cum Salernitanis, nullum jam extare contra vim mortis præſidium. De his conſule prædictos auctores ac Martinum Delrio diſquiſit. Magic. libr. 2. quæſt. 23.

Salviæ vires & nomen.

Venio ad alteram propoſitionem, cui non erit difficile ſatisfacere, definita & explicata priori. Minimè enim dubitandum eſt *Salviæ* non ineſſe vim adverſus mortem cum nullum extare tale præſidium in rerum natura conſtituerimus. Et quidem ante Salernitanos nemo tam impenſe Salviam laudavit, nec unde tanta illi acceſſerit gloria, augurari poſſum, niſi ejus nominis habitam fuiſſe à Salernitanis rationem concedamus: quod colligi poteſt ex ultimo verſu ubi eam *Salvatricem* quaſi à *Salvando* dicta ſit, appellarunt: Humelbergius enim comment. ad Apuleium ſic vocatam innuit à Salvando, vel quod oculorum claritati & viſui proſit, vel quod cordi auxilietur. Unde quoque ab aliis

appellatam *Corsalvium* dixit. Agrippa apud Aëtium eam *sacram herbam* vocat, quod prægnantibus mulieribus cum fluidæ & laxæ sunt, sit salutaris. Continet enim conceptum, vitalemque reddit, si succi ejus heminam cum modico sale, quarto postquam à viri concubitu abstinuerit die, mulier potaverit, deinde viro misceatur, proculdubio concipiet. Aiunt etiam in quodam Ægypti loco post sævas pestilentias, ab his qui supersunt ad eum bibendum succum mulieres cogi, plurimosque inde produci fœtus, quam ob causam inducti fortasse sunt Salernitani ad eam *Naturæ conciliatricem* denominandam. Nihilominus alii non à *salvando*, sed à *salivando* Salviam deducunt, quod ore contenta *salivam* moveat, alii vero à *Sale*, tum quod loco salis ad ciborum conservationem esse potest, tum quod ejus usus in salsamentis optimis habetur. Græcis ἐλελίσφακος dicta, quod retorrida semper, exsucca & ob syderationem emarcida videatur, est enim ἐλελίζειν contrahere, inflectere, & σφάκος seu σφάκελος syderatio, malum in plantis. Pena mavult sic vocatam à medendis sphacelo emorientibus partibus, quibus propter benignitatem temperamenti calorem nativum revocat. Ab Apuleio cognominatur etiam *Becion*, & *Crosmis*, Becion quidem vel à candore foliorum quem habet cum tussilagine similem, vel quod tussientibus auxilietur: Crosmis vero quasi crassos à fimbriatis foliis & exoletę attritæque vestis modo asperis. Duo ejus genera à Theophrasto recensentur: Sativum unum quod ἐλελίσφακον vocat, alterum agreste quod σφάκελον; nos aliam agnoscimus majorem Gallis *grande sauge*; aliam minorem, seu nobilem, vulgò *sauge* Genera Salviæ.

franche & ſauge menuë, quæ σφάκελος eſt Theophraſti.

Temperamentum. Temperamento eſt evidenter calido-ſicco, hoc eſt gradu ſecundo; licet Avicenna ex auctoritate Damaſceni ad tertium uſque gradum calidam conſtituat, quod intelligendum arbitror de antiqua & admodum reſiccata Salvia. Eſt præterea odorata, amara, guſtu leviter ſubaſtringenti, roborat, incidit, menſes & urinas provocat, quodque admiratione dignum eſt, ſtupefacit. Scribit enim Plin. lib. 21. c. 26. eam paſtinacæ marinæ ictus ſanare, *torporem obducendo percuſſo* loco, ſed & impoſita cum vulnerum ſanguinem cohibeat, pruritusque teſtium ſedet decocta in vino, ac ſuffita menſes immoderate fluentes & omnẽ muliebre profluvium compeſcat, ſignum eſt torporis cujuſdam inducendi facultatem illi ineſſe.

Vſus in cibis. Frequens ejus eſt in cibis uſus, non tam ut alimenti quam ut condimenti vicem gerat. Ejus interdum momentum juſculis condiendis immittitur, hyemis maxime tempore cum olerum penuria eſt. Dicitur autem peculiare eſſe bubularum carnium condimentum, ea enim dum aſſantur, primò perfodiuntur, mox aſſatæ cum ea ſiccata, trita, aceto cocta eduntur, puto ut ſuccus earum carnium atrabilarius incaleſcat, durioreſque fibræ attenuentur. Audio enim adjungi eam aſſatis alaudis; qua utilitate plane neſcio. Sunt qui ſingulis diebus jejunio ſtomacho ejus aliquot folia mandunt, vel vinum quo macerata ſit hauriunt, roborando ſtomacho, defæcando ſanguini, cerebro expurgando. In quo tamen duo obſervanda veniunt, 1. ut ante eſum ſedulo lavetur, propter ſerpentium & præci-

pue bufonum venenatam ſalivam, quam in eam deſpuunt, dum ſub ejus umbra qua mirum in modum gaudent, ſtabulantur Ambroſ. Pareus libr. 20. capit. 24. hiſtoriam affert duorum mercatorum qui quod Salviam è proximo horto lectam in vinum merſiſſent, ſubita morte correpti ſunt, *ſubterraneum foramen ad Salviæ radicem inventum totum bufonibus differtum, qui inſtillata aqua tepida allecti fidem fecerunt, venenum à ſe in plantam illam & ſaliva & urina illatum fuiſſe.* Alterum eſt ex conſilio Savanarolæ deſumptum tractatu 2. capit. 4. de reb. non naturalibus, is monet ut caveant ſibi qui catarrhum patiuntur ab impoſitione Salviæ in vino, *propterea quod velociter inebriet; unde majus nocumentum ſequi poteſt, quam juvamentum.*

Tantę vero eſt dignitatis in re medica Salvia, ut Nicander in Theriacis ἀλθήεντα ἐλελίσφακον vocaverit; hoc eſt, ut exponit Scholiaſtes, τὸν εἰς ὑγείαν λαμβανόμενον ὃ ἐστι θεραπευτικὸν, *medicam. & ſanitati reparandæ accommodatam herbam.* Inter cæteros autem uſus commendatur à Salernitanis adverſus paralyſim & manuum tremorem. Certe in capitis affectionibus à frigida materia originem ducentibus admodum valet, adeout non pauci obſervante Cardano 2. de ſanit. tuenda cap. 33. vertigine aut hemicrania, aut epilepſia, aut paralyſi laborantes ex continuo Salviæ uſu præſervati, imo & curati fuerunt, ante cibum à quatuor ad ſex folia recentia ac tenera comedentes, & alii ejus decocto vinum diluentes ſanitatem recuperarunt. Cætera prętermitto, tum quod ad Therapeuticam pertineant, tum quia copioſe à commentatoribus explicata. Eſt qui-

dem edule Nasturtium, sed de eo infra: quod Tanacetum frixis ovis immisceri dicatur, non probo, propter amarissimum & ingratissimum ejus herbæ saporem.

De Nasturtio.

Cap. XXXIX.

Macet lib.1. cap.11.

Illius succus crines retinere fluentes
Illitus adseritur, dentisque levare dolorem.
Lichenas succus purgat cum melle perunctus.

Hic agitur de hortis familiari herba Nasturtio, quod κάρδαμον Græci vocant, quasi καρήδαμον, quod caput tentet ac domet. Et referuntur tres ipsius facultates.

Prima, quod succus ejus sive stillatitius liquor, capiti illitus, aut potus etiam, capillorum defluvia sistat, presertim si ex densatis infractisque meatibus orta fuerint. Crassos enim & pituitosos humores calefacit, incidit, & extenuat.

Secunda, quod dentium curet dolorem, precipue si à frigida materia provenerit, eam enim Nasturtium discutit.

Tertia, quod succus ejus cum melle illitus lichenas, id est, impetigines, sive squamas cuti adherentes, abstergat. Nascuntur eæ ex phlegmate potissimum salso, sed Nasturtium intus assumptum omne phlegma pellit & expurgat: & mel quoque insigniter abstergit. Nasturtii semen adurentis, seu causticæ facultatis particeps est, sicut sinapi. Proinde coxendicis &

capitis dolores, atque adeo quicquid aliud rubrificationem poſtulat, eo perinde atque ſynapi excalefiunt. Miſcetur quoque remediis quæ exhibentur aſthmaticis, quippe quod craſſos ſuccos valenter incidere valeat, velut & ſinapi: nam per omnia ei ſimile eſt. Stomacho adverſatur, alvum turbat, ventris lumbricos pellit, lienem imminuit, partus exanimat, menſes ciet, & Venerem ſtimulat. Illitum cum melle lienem extenuat, favos expurgat. Serpentium venenis potum reſiſtit, atque eos ſuffitu fugat. Carbunculos ad ſuppurationem perducit, & rumpit; Coxendicibus cum polenta commodè ex aceto illinitur; tumores inflammationeſque diſcutit. Furunculos cum muria illitum ad ſuppurationem ducit. Vomitum flavæ bilis citat, eandemque per inferna ſeducit. Tradunt nonnulli Naſturtium vim vigoremque animi ſuſcitare, ac proinde eos qui ipſum eſitaverint ingenio ac mente promptiores fieri. Lege Plinium libro 19. capit. 8. Eraſmi Chiliades in Proverbio; ἔσθιε κάρδαμον. Porro & herba arefacta ſimilem ſemini vim poſſidet, humida vero & viridis propter aqueæ humiditatis admiſtionem multo ſemine inferior eſt, adeoque tunc mordacitas ejus moderata eſt, ut cum pane ea uti liceat, ſeu obſonio. Plura Dioſcorides libr. 2. capit. 14. Plinius lib. 20. capit. 13. Galen. libr. 7. capit. 8. de ſimpl. medicam. facultat. Simeon Sethi in ſyntagm. & Avicen. 2. Canon. c. 509.

Animadversio.

Nomen. NOtissima plebi herba *Nasturtium*, à narium tormento dicta, quod instar synapi acrimoniæ vehementia, os naresque vellicet. Inde quoque Græcum nomen κάρδαμον, , qui enim aliquid acrius comedunt nares rugare, seu connivendo contrahete assolent. Quæque trahunt acri vultus Nasturtia morsu, inquit Virgilius in Moreto. Hinc deductum volunt παρὰ τὸ κόρας μύειν, quod pupillas coeuntibus oculorum palpebris abscondat, unde καρδαμύττειν *connivere.* Alii malunt κάρδαμον vocatum quasi καρήδαμον hoc est κάρη δάμνον quod *caput tentet ac domet.* Cæteri denique ἀπὸ τῆς καρδίας derivant, est enim & utile cordi & animi torporem exacuens, cujus sedes ex Peripateticorum sententia fuit cor. Quod vero animum exacuat, testatur proverbium ἔσθιε κάρδαμα *ede Nasturtium* in eos dictum, qui ignavi, hebetes & stupidi existunt, quasi esu cardami vigor animi suscitetur. Gallis dicitur *Cresson Alenois*, quia perenni sobole, mediis etiam brumæ rigoribus crescit, tum quia alit & in usus cibarios venit.

Temperies. Nasturtii sativi, (quid enim alias differentias recenseam?) temperamentum admodum calidum est, & siccum; proinde nonnulli ipsum quarto gradu reponunt, alii tertio, quod verisimilius est, alias commode edi non posset, etiam cum pane; quo cum datur pro obsonio, quod audiendum de humida ac viridi herba, quæ propter aqueæ humiditatis admistionem, acrimoniæ est

est levioris, incidentis preterea est facultatis, substantiæ stomacho adversæ, alvumque perturbantis: menses quoque ciere dicitur, & ut notatum est, ὀξύτερον τὴν διάνοιαν ἐμποιεῖν, *mentem exacuere.* Scoliastes Nicandri ejus virtutes sic exponit κάρδαμον, δριμὺ, καὶ πληκτικὸν, καὶ πυρῶδες, διὸ λειχῆνας ἀποσμήχει, λέπρας ἐκτρίβει, ἄνθρακας ῥήσσει, ἐμμήνια κατάγει, πρὸς συνουσίαν ἐπάγει, τὸ νεῦρον τῇ θερμότητι κινοῦσα; *Nasturtium*, inquit, *acre, mordax, igneum; propterea lithenas exterit, lepras abradit, anthraces rumpit, menses movet, ad coitum invitat, virile membrum calore suo excitans.* Quæ postrema verba expendi sedulo debent, quod vis illa excitandi venerem in controversiam adducatur. Plin. enim lib. 20. c 13. Nasturtium venerem inhibere scripsit, cui assentitur Florentinus Geopon. lib. 12. c. 27. cardamum συνουσίας ἐφεκτικόν vocans, hoc est veneris *compescendæ vim habens* Adde quod ab Aristophane in Θεσμοφοριάζ. Urinæ stillicidum dicitur invehere. Ait Clisthenes ad Socratem: Multum quidem tempus mingis tu, respõdet Socrates, profecto ô miser στραγγουριῶ γὰρ ἐχθὲς ἔφαγον καρδάμα, *urinæ enim stillicidium patior, heri comedi Nasturtia,* ad quem locum Scholiastes ait: ἐπισχετικὰ καὶ ἐφεκτικὰ οὔρων τὰ κάρδαμα καὶ πτυσμάτων, *Nasturtia supprimere & cohibere urinas & sputa.* Quapropter fama est Persas Nasturtio usos, quod apud ipsos turpe esset ex Xenophonte libro primo de Cyri Institut. palam mingere & mungere, & spuere, quæ signa sunt καχεξίας, quæque emendari melius non possunt quam Nasturtii esu; οὐδὲν δὲ βέλτιον ἐστιν ἴαμα πρὸς τὸ ἀπείργειν ταύτην τὴν ἀμετρίαν οὐρήσεως πτυσμάτων, καὶ ἀπομυγμάτων ἢ τὸ κάρδαμον. Denique apud eundem Comicum in nebulis, vis Nasturtio tribuitur attrahendi succum vicinarum

An excitet venerem.

ſtirpium, earumque alimentum ita ſubtrahendi, ut emarceſcant penitus & emoriantur, quod ex his Scholiaſtæ verbis deprehendes. κάρδαμα δὲ τὴν περὶ αὐτὰ φυομένον λαχάνων τὴν δύναμιν ἐπισπᾶται, καὶ πᾶν τὸ ἐν ἐκείνοις ὑγρὸν ἐπισπώμενον αἴτιον τοῦ ξηραίνεσθαι καθίστασθαι. Atqui quæ tam potenter attrahunt, quæque adeo deſiccant, veneri inepta ſunt: Erit igitur Naſturtium provocandæ veneri prorſus ineptum. Attamen Dioſcorides libro ſecundo capite quadrageſimo primo, Simeon Sethi, Nicandri ut dictum eſt Scoliaſtes, Avicenna, Serapio, & plerique alii ἀφροδισιαστικὸν pronuntiant, cum ſimile ſit facultate & erucæ & ſinapi, quod certe veritati maxime congruum eſt, cum idipſum experientia quotidiana confirmet. Quid ergo reſpondendum Plinio? Dicendum veram eſſe ſententiam Plinii ſi ſępe & frequenter aut multa copia ingeratur, ac pręſertim ſi vetus ac ſiccatum valde fuerit Naſturtium, ſuo enim tunc fervore, inſignique ſiccitate ſemen genitale abſumit & deſiccat, quemadmodum eleganter inſinuavit Macer de Naſturtio his verſibus vere Philoſophicis.

Dicunt ferventes quod habent Naſturtia vires,
Et ſiccas, hac re venerem ceu ruta coercent,
Siccando ſemen, fuerint ſi ſumpta frequenter.

Ergo ſi rarus ſit ejus uſus, ſi viridis & humens aſſumatur modica quantitate, dubio procul venerem irritabit ſuo calore, acrimonia, & flatulenta humiditate.

Vſus in cibis.

Ad uſum quod attinet in cibis, frequens ille fuit apud Perſas & Spartanos: Et quidem Perſarum pueri ad magiſtrum euntes, ferebant domo panes in cibos, Naſturtium vero pro obſonio: quo etiam victu utebantur Ephœbi, licet paulo copioſiote. Ex quo quidem id conſequebantur ut

parcius meierent, ſpuerent & mungerent, ſicut dictum eſt, ob Naſturtii caliditatem & ſiccitatem abſumentis & diſcutientis ſuperfluas corporis humiditates. Inde etiam Ammian. Marcellinus notavit Perſarum cadavera ob victus parcimoniam dureſcere ſtipitum more, nec in ſaniem liquari; noſtra vero mox cęſa tabeſcere ac putreſcere, ut mortui nullius facies poſt quatriduum agnoſcatur. Apud nos vero editur in acetariis vel condîtum ſale & aceto, vel aliis oleribus admiſtum, pręſertim lactucis, quarum frigiditatem emendat, ſic autem apparatum ſuaviſſimi eſt ſaporis, ſed exigui admodum nutrimenti. Eſſe enim κακοςομαχόν aſſeruit Dioſcorides & difficilis coctionis, quod ex ructibus colligit quos longo ab eſu intervallo ſuſcitat. Dolorem quoque capitis afferre, ſucci eſſe pravi, in cibo inſignem concitare calorem, Ætius & Ægineta prodiderũt: unde mirari ſubit cur ὀξύπεραν διάνοιαν ἐμποιεῖν circumferatur, niſi id pręſtet in pituitoſis qui craſſis viſcidiſque humoribus opletum habent & caput & ventriculum. Inter Naſturtia laudat Dioſcorides Babylonicum, Mileſium Antiphanes apud Athenęum, Nicander Medicum, per quod ejus Scholiaſtes audiri vult οὐ βαβυλώνιον, ἀλλὰ τὸ περσικόν, Plin. vero Arabicum, quod miræ ſit amplitudinis. Commendant autem Naſturtium Salernitani ad defluvium capillorum, dolores dentium & impetiginum curationem. Cum autem defluvii capillorum variæ ſint cauſæ, eam reſcindit quæ à craſſis, pituitoſis, frigidiſq; humoribus ortum ducit, eos calefaciendo, incidendo, extenuando, abſtergendo & abſumendo, quibus etiam nominibus convenit odontalgiæ, & impetiginibus. Conſule Galenum li. κατὰ

Vſus in re medica.

κατὰ τόπους καὶ κατὰ γένη, ceterosque plantatum historiographos.

De Enula Campana.

Cap. XL.

Mac. li 1. c. 20. *ENula Campana reddit præcordia sana,*
Cum succo rutæ, succus si sumitur ejus,
Affirmant ruptis quod prosit potio talis.

HIC duæ referuntur facultates herbæ, quam ἑλένιον Græci vocant, Latini Helenium & Inulam, Barbari Enulam, officinæ Enulam Campanam.

Prima, quod curet ac roboret præcordia: Quo nomine jam extra in homine intelligenda veniunt, nempè os ventriculi, membra, spiritus, & quæcunque cordi propinquiora sunt. Et hoc sane radice potissimum efficit; Ea enim calida & sicca atque odorata est, cum excrementitia humiditate: quapropter in eclegmatis cum melle temperata crassos ac lentos humores pectori pulmonique infarctos educit, tussi orthopnœæque prodest: Omnis iræ dolorisque oblivionem inducit, cor exhilarat ac roborat. Ex ea Vinum etiam conficitur, quod νεκταρειτης Græcis dicitur. Hoc contra stomachi & pectoris vitia & cordis ex humiditate & frigiditate imbecillitatem efficax est, excrementa in venis sanguini permista per menses ac urinas expellit. (Vinum Enulatum.)

Secunda, quod succus ejus cum rutæ succo permistus, herniosis, hoc est ruptis, quibus intestina in scrotum devolvuntur admodum opituletur, &

maxime quidem si herniosi ex flatuum multitudine evenerint: eos enim rutæ atque Helenii succus discutit. Radix preterea Helenii stomacho pravis succis referto utilis est in passo condita, obstructionesque jecoris atque lienis tollit. Trita potaque ad cruentas execrationes singularis est, & serpentium morsibus medetur. Ruptis ac convulsis omnibus confert. Folia ejus ex vino cocta utiliter illinuntur frigidis ac diuturnis partium affectibus, ejusmodi sunt nonnullæ coxarum passiones, ἰσχιάδας vocant; & exiguæ assiduæque articulorum quorundam præ humiditate procidentię ac luxationes. Plura Dioscorides l. 1. c. 17. Galenus l. 6. c. 114. simpl. med. facult. & Avicenna 2. Canon. cap. 240.

Animadversio.

MIrum est quod de hac planta à Salernitanis narratur, cum à Galeno inter venenata reposita sit, Scribit enim lib. de Theriaca ad Pison. cap. 10. si modo is liber Galeno adscribi dignus videatur, Dacos & Dalmatas *Helenium* telorum suorum cuspidibus aspergere, quod quidem illico ac contingit vulneratorum sanguinem, interimere potest, quamvis comestum innocuum sit, nullumque incommodum ipsis afferat. Addit insuper idem autor cervos his telis confossos si statim à venatoribus comedantur, innoxios esse, sin minus, venenatos & lethales serpente tractu temporis à vulnere per totum corpus tabo. Qui hanc Helenio nocendi potestatem tribuerit, ab illo auctore alius non est pręter Paul. Æginetam Galeni epitomatorem qui lib. 6. cap. 88. de Helen.

An Helenium Venenatum.

hæc tradit ſuperioribus conformia. φασὶ δὲ, inquit, τοὺς Δάκας καὶ τοὺς Δαλμάτας περιπλάσσειν ταῖς ἀκίσι τὸ Ἑλένειόν τε καὶ νῖνον καλούμενον, καὶ οὕτως ἡκίλησαν μὲν τῷ αἵματι τῶν τιτρωσκομένον ἀνερεῖν, ἐσθιόμενον δὲ ὑπ' αὐτῶν ἀβλαβεῖ εἶναι, καὶ μηδὲν κακὸν δρᾶν, id eſt, *ajunt Dalmatas cuſpidibus Helenium & Ninum dictum oblinere, idque ubi ſanguini vulneratorum obvenerit, hominem occidere, comeſtum vero ipſis innocuum eſſe & nihil mali efficere.* Quem locum ſic legendum credidit Delechampius, ut pro ἐλένειον καὶ νῖνον, ἐλλέβορόν τε καὶ ἀκονιτὸν ſubſtitueretur. *Cum*, inquit, *Helleboro albo adhuc Hiſpani utantur ad eam rem, propterea id vocantes ſagittariorum herbam yerva del baleſtriero.* Attamen ejuſcemodi viri ingenioſiſſimi lectio vera nullomodo eſſe poteſt, tum quia conſtans eſt lectio ἐλενίου καὶ νίνου apud Galenum & Paulum; tum etiam quod non obſervatum ſit comeſtum unquam elleborum fuiſſe, ſed per modum medicamenti magna tantum cautione aſſumptum: tum denique quia non legimus elleborum à quoquam vocatum Aconitum: at ex autore lib. de Theriaca, & ex Ægineta conſtat ἐλένιον & νῖνον ſynonyma eſſe, illud quidem græcorum proprium, iſtud vero indigenarũ; hoc eſt eorum apud quos hæc planta naſcitur.

Dele chāpii error.

Quamobrem retinendam eſſe priſcam lectionem exiſtimo, dicendumque Helenium illud de quo auctor lib. de Theriaca & Paul. Ægineta loquuntur, à vulgari herbariorum diſtinctam eſſe plantam; ac fortaſſe eandem cum illa quam Ariſtoteles, ſive quis alius lib. 1. de plantis cap. 27. vocat βελένιον, quæque ſi in Perſide naſcatur δηλητηριώδης exiſtit, ſi in Ægyptum transferatur, edulis eſt. Hanc autem eſſe Perſeam arborem multis conjecturis adducor ut credam; primo

enim veterum omnium ſententia, eſt Dioſcoridis, Plinii, Columellæ, Scholiaſtę Nicandri, Perſeam arborem venenatam eſſe in Perſide, in Ægyptum vero tranſlatam edulem eſſe ac ſalutarem: Deinde fieri potuit ut propter venenatam ejus qualitatem Perſæ tela ſua venatoria ea oblinerent quam ob cauſam βελένιον denominata eſt ἀπὸ τ̃ βέλεως à vulnere vel à ſagitta: à vulnere quidem, quia vulnera ab ea, inflicta lethalia erant; à ſagitta vero quod ejus maximus uſus ad ſagittas inficiendas pertineret, ex quo forſan duo illa Galeni & Æginetæ loca emendari poſſent, ſi pro Helenio βελενιον ſubſtitueretur, eadem cum Ariſtotele lectione. Pręterea certum eſt ex Diodoro Siculo libro primo biblioth. Perſeam primo ex Æthiopia in Preſidem tranſlatam devictis à Cambyſe Æthiopib⁹, à Perſis vero miſſam in Ægyptum quod ea perituros multos exiſtimarent, ut refert ex Rholo Democriteo Nicandri Scholiaſtes: idcirco arbos ea quod in ſignum victoriæ ab Æthiopia in Perſidem tranſlata ſit, vocari potuit non νῖνον ut legitur apud Galenum & Æginetam, ſed νῖκον, victrix herba ac triumphalis. Quod ſi conjectura noſtra de βελενίῳ pro ἐλενίῳ minus probabilis videtur, erit forſan probabilior ea quæ pro ἐλενεῖῳ ἐλεινὸν reponendum ſuadebit, quaſi ſtirpem dixerimus miſerabilem. Eſt enim primo, ut obſervatum eſt, apud Æthiopas & Perſas venenata, & cum cruciatu primum genita; dein vero pœnarum cauſa à Regibus Perſidos in Ægyptum delata, ut ejus eſu multi interirent, quod potentiſſimum eſt miſerabilis ac deteſtandæ arboris argumentum. Enimvero licet iſti de Perſea ϛοχασμοὶ aliqua probabilitate non careant, non ita tamen mihi arrident, ut propterea velim aſſerere Helenium illud Gale-

ni & Æginetæ de Perſea intelligendum : Imo vero vel helenium eſſe duco Ægyptium, cujus meminit apud Dioſcoridem Cratevas, vel vulgare noſtrum, quod ex Helenæ lacrymis Canopi Amyclęi navium gubernatoris ab hæmorroide ſerpente demorſi exitium deflentis natum & denominatum tradunt, quod frequens eſſe in illis regionibus præter cæteros ſignificat Favorinus in lexico, Helenium definiens βοτάνην τὴν ἐν Ἀλεξανδρίᾳ γινομένην, *herbam Alexandriæ naſcentem*; quæ urbs ab oſtio Nili Canopico non longè diſtat, Denominatio autem τοῦ νίνου, vel barbara eſt, quales ſolent eſſe pleræque, vel ſi ariolari licet, corrupta à voce νεῖκος, quæ rixam & jurgium ſignificat, ad quod ſolent propenſi eſſe qui Helenium ederint. Non abs re erit locum afferre ex Ptolemæi Hephæſtionis libr. 4. novæ ad variam eruditionem hiſtoriæ qui extat apud Photium biblioth. pag. 247. περὶ τῆς Ελενείου βοτάνης, ἣ ἐν Ρόδῳ φύεται; ὅτι τὸ ἀπὸ τῆς Ελένης ἐπωνομάσθη. παρὰ γὰρ τὴν δρῦν ὤφθη φυεῖσα, ἀφ' ἧς ἑαυτὴν ἀπῆγξε Ελένη, καὶ ὡς οἱ φαγόντες αὐτῆς πάντως εἰς ἔριν καθίσανται. *Narrat*, inquit, *de helenio herba, quæ in Rhodo naſcitur, ab Helena nomen hanc ſumpſiſſe, viſam enim ad eamdem naſci quercum, ex qua ſe Helena ſtrangularit, quin & eam qui ederint ad rixam omnino concitari.* Quod autem dicat Galenus mixtum ſanguini vulneratorum animalium Helenium lethale eſſe, fidem fortaſſe non excedit, cum multa intus ſumpta, ſalutaria ſint, quæ exterius admota ſanguinique affuſa cum fuerint, ſolent eſſe venena. *Venenum ſerpentis*, inquit Celſus libr. 5. capit. 27. *ut quædam etiam venatoria venena, quibus Galli præcipue utuntur, non guſtu ſed in vulnere nocent.*

Ideoque colubra ipſa tuto ediur, ictus ejus occidit, & ſi ſtupente ea (quod per quædam medicamenta circulatores faciunt) in os digitum quis indidit, neque percuſſus eſt, nulla in ea ſaliva noxia eſt. Celſo adſentitur Plinius lib. 29. capit. 4. his verbis de veneno aſpidum ſcribens, *Sed & venenum earum ſi ſanguinem attingit aut recens vulnus, ſtatim interimit, inveteratum ulcus tardius: de cætero potum quantalibet copia non nocet, non eſt tabifica vis. Itaque occiſa morſu earum animalia cibis innoxia ſunt.* Nonne tuto & impunè ſinapi & piper eduntur, quæ cuti affricta rubores veſicaſque excitant? hinc factum eſt ut nonnulli duo genera venenorum conſtituerint, alia externa foris nocentia tantum, quæ ſatis accommodato vocabulo à Gallis *Venins* vocantur; alia intro aſſumpta & devroata, quæ ab iiiſdem dicuntur *Poiſons.* Cæterum locus ille Celſi occaſionem nobis præbet ſciſcitandi quæ eſſent illa venena venatoria quibus Galli uterentur: Plinius libr. 27. capit. 11. *Limeum* eſſe herbam ait, qua ſagittas ſuas in venatu tingebant medicamento, quod venenum cervarium dicebatur: Libro vero 25. capit. 6. *album* eſſe dixerat *helleborum*: Ariſtoteles autem libr. de mirabilibus auſcultationibus, *Xenicum* cujus antipharmacum eſſet folium *κοράκιον*: verior autem eſt eorum opinio qui eos uſos *helenio*, ſeu *βελενίῳ* aſſeruerunt, nomine deducto à Bele, ſeu Beleno qui priſco Druydarum idiomate Apollinem ſignificat, cui dicatæ erant ſagittæ. Dicebatur ergo illa herba vel ſagittalis, vel Appollinaris, ſed cujus ſpeciei eſſet, nondum à Doctis definitum, mihi vero prorſus ignotum, quo fit ut omiſſa hac meditatione prolixius jam à me

instituta, ad Helenii nostratis historiam me convertam.

Quæ ergo à vulgo herbariorum Enula Campana appellata est, eam à Gręcis ἑλένιον, seu ἑλένειον dictam monuimus, nomine ab Helena illa formosa & famosa muliere deducto; vel quod ex ejus lacrymis enatam fingant ex ethymologio, vel quod juxta eam plantam strangulata sit, ex Hephęstione, vel quod ab ea plantata sit adversus serpentium venenum, ex Æliano libr. 9. capite vigesim. prim. & Eust. in 4. Odyss. Malunt tamen alii denominatam ab insula Helena in qua laudatissimum nasci helenium tradit Plinius lib. 21. capit. 10. Latini Inulam Campanam dicunt, vel quod in Campania optima produceretur, vel quod mediis in campis cresceret. Dioscorides addit à Romanis *Terminalium* dictam fuisse; forsan quod firma non minus esset radice quam Deus ipse Terminus, quem nulli deorum cedere voluisse, narrant Romanorum historiæ. Differentiæ Helenii duplices sunt: vulgare scilicet Helenium, & Aegyptium. Vulgare denuo duplex, sativum & agreste. Quibus autem notis inter se distinguantur, examinandum Botanicis relinquo, qui ex Plinio libro decimo nono ac vigesimo, capite quinto, necnon ex libro vigesimo primo capite decimo & vigesimo primo, plurimas notas iis quas Dioscorides, Theophrastus & Galenus attulerunt, dissimiles seligere poterunt.

Nomen Helenii.

Genera.

Præstat Helenii vulgaris temperamentum in medium proferre & usus in re cibaria maximos ad Salernitanorum sentenriam confirmandam explicare. Esse vero temperamenti non primo statim occursu calefacientis, siccantisque non

Tempeties.

exactè ob humorem excrementitium ſcripſit Galeuus. Radix odorata illi eſt, ſubacris, amara, tenuitate partium pollens, qua urinas, menſes, hydropicorum aquas movere circunfertur. Eam herbam per ſe ſumptam ut ſtomacho inimiciſſimam agnovit Plinius libro decimo nono capite quinto, ſed cùm dulcibus miſta eſt, ſaluberrimam. *Pluribus*, inquit, *modis auſteritate victa gratiam invenit, Namque & in pollinem tunditur arida, liquidoque dulci temperatur, & decocta poſca aut aſſervata, vel macerata pluribus modis, & tunc miſta defruto, aut ſubacta melle uviſve paſſis aut pinguibus cariotis. Alio rurſus modo cotoneis malis, vel cibis, aut prunis, aliquando pipere aut thymo variata, defectus præcipuè ſtomachi excitat, illuſtrata maximè Juliæ Auguſtæ quotidiano cibo.* Ab ea dulcedine *nectaris radix* à nonnullis cognominata eſt; quæ, ut inſuper obſervat idem Plinius libr. 21. cap. 21. *favere creditur formæ, cutem mulierum in facie reliquoque corpore nutrire incorruptam, præterea uſu ejus quandam gratiam iis veneremque conciliari.* Attribuunt & hilaritatis effectum eidem potæ in vino, *eamque quam habuerit Nepenthei illud prædicatum ab Homero, quo triſtitia omnis aboleatur.* Quibus verbis Plinius non ſignificat helenium fuiſſe pharmacum quod Helena apud Homer. 4. Odyſſ. in vinum conjecit, ſed docet ipſum, effectum eumdem habere quem habuerit illud Helenes pharmacum quod ſupra bugloſſum eſſe aſtruximus. Hos vero effectus conciliandæ formæ, augendæ gratiæ, provocandæ hilaritatis, abingendæ triſtitiæ, ſtimulandæ appetentiæ, quomodo præſtabit niſi ſana reddendo præcordia quibus valentibus humores & ſpiritus toto corpore luxuriant; Vſus.

lasciviunt, ac exultant, languenribus vero & ægris deprimuntur & exarescunt? Quod autem supra dixi radicem Helenii, amaram esse, tractum ex Oribasio, qui pro ὑπόδριμυν legisse videtur apud Dioscoridem ὑπόπικρον, cum verisimile non sit prętermissum à Dioscorid. non levem amarorem Helenii, qui ab auctoribus aliis omnibus huic radici, vel gustu judice tribuitur ex observatione Sarraceni ad cap. 27. lib. 1. Dioscoridis. Silentio præterea non involvam alium qui in vulgatis Dioscoridis codicibus serpsit errorem, cum ex eo emendato loco verum Helenii ethymon. elici possit. Legitur apud Dioscoridem nasci Helenium ἐν ἀνίκμοις τόποις, id est locis minimè uliginosis, cum legi debeat ἐνίκμοις, maximé uliginosis: Pręterquam quod enim omnibus compertum est talibus locis Helenium delectari; certum est Serapionem humentibus locis nasci Helenium, ex Dioscoride scripsisse. Necnon etiam Vincentius speculi naturalis libr. 10. cap. 66. *Montuosis*, inquit, *& umbrosis nascitur in locis, & in humidis & in hortis*. Ex quo forsan non male asseremus dictum Helenium, quod ἐν ἕλει, hoc est *in palude* nascatur. Video enim à veteribus Helenæ illius Græcæ proprium nomen Echo fuisse, quod aliorum illa vocem imitari egregie posset, sed postea Helenam appellatam, quod eam Leda ἐν ἕλει *in palude* edidisset. Cæterum Galenus libr. 8. de composit. medicam. secundum locos capit. 7. meminit alicujus antidoti ad hepaticos & arquato laborantes, quod *Nectareum* vocat ab Helenio quod recipit. Dioscorides quoque libr. 5. capit. 44. modum conficiendi *Nectarites vinum* ex Helenio tradit, quasi ea herba ob singulares effectus

Oribasii error.

Diosc. emendatus.

cum fictitio illo deorum nectare sit comparanda. Sane eam *Nectarium* illud esse volunt à Mercurio inventum & Ulyssi traditum, cujus prędulcis cremor hilaritatem facit, Hippocratis testimonio apud Hermol. Barbarum in Corollario cap. 28. sed de Helenio satis. Plura vide apud eundem Barbarum, Mathiolum, Marcellum, Cornarium comment. in libr. 8. de compos. medicam. secundum locos, Ruellium, Bisciolam horarum subsicivarum. tom. 2. lib. 1. c. 17.

De Cæpis.

Cap. XLI.

De Cæpis Medici non consentire videntur,
Fellitis non esse bonas ait ipse Galenus;
Phlegmaticis vero multum putat esse salubres.
Non modicum sanas Asclepius asserit illas,
Præsertim stomacho pulchrumque creare colorem.
Contritis cæpis loca denudata capillis
Sæpe fricans, capitis poteris reparare decorem.

Agitur hoc in loco de Cępis: Ac primo quidem dicitur, Medicis de natura earum nondum satis constare. Nam ipsorum quidam phlegmaticis ex usu esse tradunt, quidam vero minime. Galenus libro secundo de aliment. facult. cap. 71. cholericis admodum nocere, phlegmaticis vero prodesse, his attestatur verbis: Abstinendum ab assiduo vsu omnium acrium, seu cęparum, porri, & allii, & potissimum eum is qui ipsis vescitur, natura fuerit biliosus. Solis enim qui vel succum pituitosum, vel crudum & cras-

ſum ac lentum acervarint, cibi ejuſmodi ſunt accommodati. Siquidem cæpæ, ut Galeno libro ſeptimo de ſimpl. medic. facult. cap. 58. placet, in quarto calefaciunt exceſſu. Quo fit ut calidis, quales cholerici cum primis exiſtunt, vehementer officiant. Rhazæ vero libr. 3. ad Almanſorem capit. 18. ſuperfluos humores & phlegma in ſtomacho generant. Quod de illis maxime intelligendum, quæ crudæ manduntur. Earum namque eſſentia craſſarum eſt partium, & mali ſucci. Porro per fellitos, quemadmodum Cornarius noſter in cap. 7. lib. 1. Macri diſerte admodum monuit, bilioſos hoc loco accipere oportet, id eſt, τὺς χολώδεις, ſicut per phlegmaticos, pituitoſos. Deinde vero cæpas phlegmaticis multum prodeſſe traditur. Corpus enim calefaciunt, humoreſque craſſos ac glutinoſos in ipſo coacervatos concoquunt, attenuant, incidunt, ac detergunt. Quin eadem etiam ratione, ſtomacho frigidis, craſſis, ac glutinoſis humoribus gravato utiles ſunt, & ad validum colorem, veluti teſtis eſt apud Plinium lib. 20. c. 5. Aſclepiades, proficiunt. Neque enim fieri poteſt, ut vividus ac floridus ſit faciei color, ubi ventriculus crudo, pituitoſo ac pravo ſucco refertus fuerit. Tertio demum loco adſeritur, contritarum cęparum ſucco pilos ſive crines locis glabris ac denudatis reſtitui, ſi eo ſæpius perfricentur: & maxime quidem, ſi ex denſatis infarctiſque meatibus & materiæ ſub cute detentæ corruptela, glabrities evenerit. Cępæ enim caliditate ſua meatus aperiunt, materiamque pravam ſub cute detentam non ſolum digerunt ac reſolvunt, ſed meliorem etiam in locum ejus ſubſtituunt. Quapropter alopeciæ ſucco earum convenientiſſime perfricantur.

Celerius enim, ut Dioſcorides libro 2. capite 137. Galenus loco paulo ante citato, & Alexander Trallianus libro 1. cap. 2. teſtantur, quam Alcyonium pilos evocat. Unde infertur tandem capitis decorem, quem Q. Serenus capitis honorem vocat, eo reparari. Capitis porro decor, capilli ſunt. Cępæ prĕterea ſemen genitale gignunt, & Venerem ſtimulant, urinam cient, appetentiam ante alios cibos ſumptæ excitant: ſed largiore cibo capitis dolores faciunt, ſitim movent, faſtidium pariunt, ruborem faciei inducunt, ſalivam multam generant, & rationem, ut aliqui ferunt, lædunt. Succus illarum cum melle illitus, oculorum hebetudinibus, argemis nubeculis, & incipientibus ſuffuſionibus auxiliatur. Quin etiam canis morſibus idem cum aceto, ruta, & melle illitus confert: quare hi quoque duo verſus à quibuſdam his additi ſunt.

Appoſitas perhibent morſus curare caninos,
Si trita cum melle prius fuerint & aceto.

Plura de his capite de lethalium venenorum remediis.

Animadverſio.

INter bulboſas plantas & capitatas quas Gręci γέλγας, ἄγλιτας κ̧ ἀγλίδια, Latini *capitula*, *bulbos*, *nucleos & ſpicas* vocant, primum dignitatis locum obtinent *Cæpæ*, *Allia* & *Porrum*; de quibus ſequentibus capitulis diſputatio à nobis inſtituetur. Prius tamen meminiſſe debemus, quos hic bulbos vocamus, de omnibus iis plantis intelligendas eſſe, tum quæ ex multis capitulis cohæ- Quid bulbus.

rentibus coagmentatæ ſunt, tum quæ rotundæ ſuis membranis tunicantur: nec nomen illud ad quandam ſpecialem ſtirpem accommodandum eſſe, quemadmodum à veteribus præſtitum fuit: habuerunt enim Priſci illi genus plantæ quod *Bulbos* ſpecialiter vocabant, quos nobis eſſe ignotos certiſſimum eſt, quorum in cibis uſum deſcripſit Gal. lib. 2. de aliment. facultatibus c. 66. Dioſc. lib. 2. c. 565. Theoph. lib. 7. de hiſtoria plant. c. 13. & Martialis in Xeniis, qui ſtimulandæ veneri eos idoneos inſinuat.

> Cum ſit anus conjux, cum ſint tibi mortua membra,
> Nil aliud bulbis quam ſatur eſſe potes.

Bulborum vires. Verum ſicut genus illud plantę ad ullam eorum bulborum ſpeciem qui hodie in uſu ſunt, revocari nequit, ſic ejus virtus & facultas ad noſtrorum bulborum facultates aptiſſimè accommodari poteſt: ut enim bulbi veterum, ſubſtantiæ erant craſſioris & lentæ, facultatis amaræ & inſigniter auſteræ, flatulentæ, venerem & cibi appetentiam excitantis, ſucci non boni, ſed craſſioris: ita & bulborum noſtrorum major pars, quibus etiam acre plurimum ammiſtum ineſt, ſed in quo differant & conveniant, ex ſingulorum hiſtoria commodius obſervabitur.

Cæpæ nomen. Eſt ergo *Cæpa*, ſeu *Cæpa* à capitis magnitudine aut ſimilitudine, vel quod in caput creſcat, denominata Latinis, quemadmodũ Gręcis *κρόμμυον*, vel παρὰ τὸ κρομμύειν τῶν ἐσθιόντων; *quod oculos comedentium feriat ac mordicet*, ita ut lacrymas exprimat & connivere cogat ex Ariſtot. ſententia probl. 22. ſect. 20. vel παρὰ τὸ χεύω καὶ ὄμμα, *ex oculorum offenſione ac læſione* quam affert. Galli Cæpam

pam vocant, *un Oignon*, quaſi *unionem* dixeris, quo nomine appellatam fuiſſe eam cępam quæ non fruticat, neque habet ſoboles adhęrentes, ſcribit Columella lib. 12. c. 10. ſic ut *oignon* dictum ſit quaſi *union* ſonantibus n. & i. velut ign. cujus pronunciationis rudimenta etiamnum extant apud Hiſpanos quibus ſic notata littera g̃. ſonat perinde ac ign. Porro hæ omnes ethymologiæ formam ac proprietates nonnullas cęparum perbelle explicant. Nam & caput figura ſua orbiculari æmulantur, & nonnunquam magnitudine ſua caput exequant, quod in pleriſque accidit, quæ in ægro Aurel. *afferta unionaria* dicto & in Belgio ad D. Altomari oriuntur: deinde quod unæ & ſingulæ non plures ſuccreſcant, *uniones* appellatæ ſunt, quod intelligendum de *capitatis*, quæ deponuntur, non de *ſectilibus* quæ ſeruntur, prȩterea certiſſimum eſt cępas lacrymas excitare, cujus rei rationem protulit Ariſtot. loco adducto. Quȩrit enim cur cępe & objecta oculis & comeſta lacrymas moveat, cum origanum aut naſturtium quod cępe ipſa acrius eſt id non efficiat: reſpondet ergo ea lacrymas excitare quæ mordicant, ſimul humida exiſtunt, ac etiam lenta; ejuſcemodi enim ſubeuntia ac irreptantia ſuum ob lentorem atque tenuitatem dolorem movent, ac proinde humorem tabificant. Talis vero eſt cępa ut in ſe humidum vaporoſum contineat, deinde calidum ſubtile ac mordicans; & demum viſcoſum nonnihil, quod non invenire eſt in Naſturtio licet cæpa ipſa acrius exiſtat. Volo tamen te obſervare Ariſtot. hoc loco de iis tantum loqui quæ contactu potentiali, non actuali ac corporali & ut loquuntur Grȩci quæ δυνάμει non ἐνεργείᾳ lacrymas movent. Niſi enim ita intel-

Proprietates.

Cur lacrymas eliciat.

ligeretur, ignorantiæ argui poſſet, cum certiſſimum ſit; inditum atque admotum oculis Naſturtium lacrymas excitare; quod illi cõmune eſt cum aliis omnibus quæ tertio ordine calefaciunt & deſiccant; imo vero quo potentius aliquid calefacit & deſiccat, eo citius oculis impoſitum lacrymas movet: eſt enim illud ſubſtantiæ mordacis ac lancinantis, ex quo primùm calor, mox dolor, dein humoris expreſſio excitatur. At ejuſcemodi calida & ſicca dumtaxat, ſi non immitterentur oculis ſed exhiberentur tantùm & objicerentur, id non efficerent: tum quia deſtituta viſcoſo humore adhȩrere non poſſunt oculis ad actionem ſuam promovendam: requitunt ergo illa contactum corporalem ſeu inhȩrentiam actualem quæ viſcoſitatis rationem expleat: quod quidem non neceſſarium eſt in cȩpa quæ quod humida ſit vaporem, de ſe dimittit in aërem, quod viſcida & tenax, aërem vapore ſuo imbutum & ad oculos delatum ſic agglutinat oculis & affigit, ut otium habeat calefaciendi, mordendi, pungendi & prȩmendo exprimendi liquorem oculorum. Denique proprietas cȩpæ ethymo ſignificata, eſt oculorum lȩſio atque offenſio, qui tamen effectus abſque controverſia non eſt; cum graviſſimos habeamus auctores qui oculis cȩpam prodeſſe dixerunt. Inter quos primus eſt Hippocrat. qui l. 2. de diȩt. κρόμμυον τῇ ὄψει ἀγαθὸν, *cæpam oculis commodam* pronunciavit. Ab eo Dioſcorides lib. 2. c. 181. Galenus 7. de ſimpl. Plin. l. 20. c. 5. eam caligini mederi dixerunt. Unus Scotion apud Conſtant l. 12. de re ruſt. c. 1. ἀμβλυωπίαν ποιεῖ τὸ κρόμμυον aſſeruit; hoc eſt *caliginem afferre*, non vero ut male vertit Cornarius *ad uſum obtrſum facere*. Eſt enim cȩpa re vera oculis inimica & capiti infeſta ob vapores ac fumos quos ſuſci-

An oculis noceat.

Cornarii error.

tat & ad caput emittit. Eſt præterea pravi ſucci, craſſioris ac flatulenti, ut idcirco mirum non ſit ſi ejus eſu largiore offendantur oculi & caput. Eſu dixi, quia non aſſumpta ſed admota oculis eos juvare poteſt: quemadmodum Hippocrat. Galenus & alii obſervarunt. Sic enim cum Sotione eos conciliari poſſe exiſtimo, ſi de illius eſu Sotio, ſi de applicatione alii audiantur. Plin. certe clariſſimis verbis rem complexus eſt ſcribens, *olfactu ipſo & delacrimatione caligini mederi cæpam magis vero ſucci inunctione*, quod & Dioſcor. & Galenus annotarunt. Quod vero Sotio de eſu cęparum intelligatur, patet ex ejus verbis quæ ex noſtra emendatione ſic legi debent: ἀμβλυωπίαν δὲ ποιεῖ τὸ κρόμμυον διδόμενον, ὀπτὸν δὲ βῆχα θεραπεύειν δυνάται, id eſt, *cæpa vero exhibita caliginem oculorum parit, aſſata tamen tuſsim curare poteſt*, quo loco διδόμενον opponitur διαχριομένῳ de quo ante egerat ſicut apud nos *aſſumptum admoto*, ſed de his abude.

Auctor geopō. correctus.

Differentias cęparum qui voluerit omnes exequi, longa diſputatione indigeat; cum aliæ à calore, à magnitudine aliæ, aliæ ab acrimonia, teneritudine, ſatione, mangonio, aliæ à figura, ſolo, regioneve repetantur. Nobis non tantum otii ſuppetit, nec video quid inde luminis huic capiti accedat, ſi omnia cęparum genera veteribus nota recenſeam. Contenti ſimus ſola earum enumeratione quarum uſus eſt hodiernus. Has in triplici præſertim obſervo eſſe differentia: aliæ enim majores ſunt ſolo bulbo commendatæ, quæ ſimpliciter uniones vocantur: aliæ minores ſunt una radice multiplices, quas *Aſcalonias*, ſive *Aſcalonitides*, *Megarenſes*, *Paleſtinas*, ſeu *Setaneos bulbos*, cum Latinis vocare poſſumus, cum Gallis *des*

Genera cęparū.

Eschalottes , servatis prisci nominis Aschalonias vestigiis. Tertiæ *sectiles* dicuntur quod sæpius resecentur, Gręcis γήθυα Gallis, *Ceboules*, *Siboules*, *cives* , *&* *civons* , quarum folia una cum bulbis expetuntur frequenter in acetariis.

Tempe-ramen-tum. Cæterum temperies in quarto ordine est excalefacientium; siccitatis autem est non exquisitæ, tum quia nonnulla humiditate turgent, tum quia flatulentæ existunt, crassarum insuper sunt partium, crudarum & lentarum, quibus tamen facultas inest tenuandi, incidendi, ac venerem exstimulandi. Acres vero omnes cępæ sunt, quamvis aliæ aliis minus. Magnæ seu capitatæ, acriores ascaloniis, hæ sectilibus, crudæ coctis, recentibus ac virentibus siccæ, albæ fulvis, fulvæ rubentibus præsertim in Hetruria, ut observavit Mathiolus adversus Dioscoridem qui flavas candidis acriores adstruxit.

Vsus in cibis. Mira cęparum commendatio & gloria; cum Ægyptiis quondam nefas fuerit portum & cępe dentibus attingere.

> Porrum & cæpe nefas violare ac frangere morsu,
> O sanctas gentes quibus hæc nascantis in hortis
> Numina! *ait Iuvenalis satyr.* 15.

Ab illo enim falo cultu quo pro Deo cępam prosecuti sunt Pelusiotæ Luciano in Jove Tragœdo & Plinio lib. 19. cap. 6. testibus, ea sacerdotibus Ægyptiis superstitio fuit, ut crederent à cępa abstinendum, quia ejus esus neque castimoniam exercentibus commodus erat, neque dies festos celebrantibus: Illis quidem quod sitim crearet, his quod lacrymas eliceret, ac pręterea etiam quod sola hęc ex plantis Luna decrescente vigere & augescere soleret, ex Plutarcho opusculo de

Iſidę & Oſiride, & ex Cęlio Calcagnino de rebus Ægyptiacis. Contra, quod Ægyptii ſenſerint mandi copioſiſſime cępam, viſumeſt Sotioni apud Conſtant. loco citato, cum iis qui ſingulis diebus cæpas tenuiores ſelectas jejuni cum melle comederint, integram valetudinem polliceatur. Et profecto Dioſc. l. 2. cępas appetentiam cibi excitare dixit, alvo commodas eſſe, & expurgare, ſed excitare ſitim atque nauſeam parere. Quibus verbis induci aliquis poſſet ad ſciſcitandum quomodo appetentiam cibi excitare valeant, cum nauſeam parere ſoleant. Cui reſponſum nolim cum Ruellio atque Hermalao Barbaro, ὄρεξιν illam ſeu appetentiam, non de cibi ſed de veneris cupiditate audiendam. Hactenus enim nemo eſt qui ὄρεξιν ad venerea traduxerit, ſed ad ciborum appetentiam quod apprime cognovit Poëta Latinus eo uſus vocabulo in hunc ſenſum: *rabidam*, inquit, *facturus orexin*. Satius itaque eſt cum Cornario reſpondere prius illud de moderato, poſterius de nimio cęparum eſu accipiendum. Tam enim certum eſt, gulæ ſtupidæ irritamentum eſſe cępam parce ſumptam, quam veriſſimum eandem largius ingeſtam ἀσώδη eſſe, hoc eſt *faſtidium ac nauſeam facere*. Porro cum ἀσώδεις ægri dupliciter fiant. Primo ſcilicet cum vires à corpore ita gravantur, ut nullam decubitus formam facile ferat æger, ſed anxie ſe jactet & commoveat; ſecundo cum os ventricali à vitioſis humoribus ita commordetur, ut nauſea & faſtidium ciborum ſequatur, de priori illa anxietate non eſt accipiendus ille cæparum effectus ſed de poſteriori, qui proculdubio ſequitur vel acrimoniam ceparum vellicantium os ventriculi, vel earundem copiam ventriculum ipſum gravantium, vel denique halitum & flatum qui ab

Anxietas.

eiſdem excitatur, & ori ipſi offertur non ſine tędio ut optime prodidit Plin. lib. 19. cap. 6. Hinc Suidas vocabulum κρομμυοξυρεγμίας ἀντὶ τῆς ἀπεψίας, pro cruditate poſitum obſervat ex eo, quod acer, fœtidus & ingratus ſit ructus eorum qui cępas comederunt: quin γύλιος, hoc eſt *pera miliiaris* δυσώδης dicta fuit, hoc eſt *maleolens* propter geſtationem cęparum in ea repoſitarum: cepas enim ad bellum ferre ſolebant milites, ac inter cibos caſtrenſes enumeratæ ſunt à Socrate in Xenophontis ſympoſito, utpote quæ bellatorum vires exacuerent. Imo vero à fœtore cæparum proverbium fluxit, κρόμμυον ὄζειν *cepam olere*, ad eos detortum, qui ſordidi, illoti, & illiberales exiſtunt. Probulus apud Ariſtophanem in Liſiſtrata vetulæ cuidam dicit, *volo teo vetula oſculari*, κρόμμυον τ' ἄρ' οὐ κῆδη *cepam enim non edis*, ac proinde malum odorem ore non ſpiras. Quocirca non abſurdum eſſet ad ſententiam Diſcoridis illuſtrandam, loco ἀσώδη, δυσώδη ſubſtituere; clara enim ſententia & à contradictione penitus aliena. Ut ut ſit tamen, certum eſt & delitiis habitam cępam, & ſalubritati non ineptam. Docuit Aſclepiades ſalubrem adeo ut de ea dictum ſit σωὸς σωθήσῃ κρόμμυον λαβών; *ſanus eris ſi cæpe tantùm ſumpſeris*. Quędam autem gentes cępis delectantur: Vaſcones, Arverni, Belgæ, Angli, totaque Ruſticorum natio earum condimento mire capiuntur. Quidam etiam gallinaceos pullos, perdiceſque ex embammate cępato mandunt: alii crudis delectantur; multi ſub cineribus coctas ex oleo acetove eſitant, frigunt plerique, decoquunt nonnulli, terunt, exprimunt, torrent, minutim cędunt, miſcent, miris denique modis conficiunt. Adjiciuntur ſalutariter leguminibus, piſcibus craſ-

Dioſcorid. coricutus.

ſis, flatulentiſque eduliis, diſcutiunt enim flatus & craſſum crudumque ſuccum qui ab his gignitur diſſipant. Sed modus adſit oportet & delectus.

Nec majori copia ingerantur, nec ſine coctione. Interdicantur vero bilioſis naturis, ventriculo calidiori, imbecilloque cerebro prędiris. Ab illis ſtudioſi litterarum abſtineant; quum ἀυτοῦ τοῦ λογιστικοῦ βλαπτικοὶ, hoc eſt mentis & rationis perturbatrices prohibeantur. Traditum à Mniſitheo Medico apud Plut. 26. quæſt. cauſarum naturalium, eum qui ab initio inflammationis pulmonum cępas concupierat ex morbo ſervatum, qui vero ficus optarat, interiiſſe, pręterea quod appetitus ipſe temperamenta, temperamenta vero affectiones ſequantur. Notum Biantis apophtegma apud Suidam, qui Alyattæ Regi per nuntium miſſum denuncianti, ut quamprimum ad ſe veniret, reſpondit ad hunc modum ἐγὼ Ἀλυάττῃ κελεύω κρόμμυα ἐσθίειν, quibus verbis ruſticitatem homini exprobrabat, cęparum vero inutilem uſum pręter lacrymas excitandi virtutem deſignabat, in quo tamen erraſſe Biantem ex dictis notum. Multa alia de cępis habent Ariſtot. ſectione 20. problem. Mizaldus l. 2. de ſecret. hortorum & campo. 2. Alexi Kept. Petrus Hiſpanus com. in Iſaacum. Cæl. Rhodiginus & Botanici omnes; ex quibus multa adduci poſſunt ad probandos omnes effectus qui in hoc capitulo ex Macro Poëta tranſcripta enumerantur: nobis quæ ad rem alimentariam pertinerent ſufficit perſtrinxiſſe.

De Porro.

Cap. XLII.

Mac. l. 1. c. c. *Reddit fœcundas manſum perſæpe puellas,*
Manantemque poteſt naris retinere cruorem,
Ungas ſi nares intus medicamine tali.

DUæ hoc in loco porri referuntur proprietates: ac prior quidem, quod imprægnandi facilitatem utentibus mulieribus pariat atque ne abortiant gravidæ prohibeat. Quod ſane magni etiam Hippocratis autoritate Plin. lib. 20. c. 6. in hunc modum ſcribens confirmat. Hippocrates de morbis mulier lib. 1. & 2. & alibi ſępius, ſine alia miſtura dari jubet, vulvaſque contractas aperire putat, fœcunditatem etiam fœminarum hoc cibo augeri. Idque non in cibo tantum ſive potu, ſed illitum quoque & foris admotum pręſtat. Ponitur enim in aceto & marina aqua, ejus coma, decoctoque illo inſidentium fœminarum pręcluſi duratique loci utiliter foventur, folia quoque porri muliebres locos, qui nimio humore madeſcentes fœtum haud continere valent, egregie purgant. Item ex abortu profluvia ſiſtit, poto ſucco cum lacte mulierum.

Alter, aquod ſanguinem è naribus erumpentem ſiſtit, & maxime quidem ſuccus ejus cum aceto, addito thure aut ejuſdem manna, vel galla aut mentha. Idem quoque ſanguinem rejicientibus cum gallæ aut thuris farina vel acacia auxilio eſt. Quin etiam potæ ſeminis drahmæ duæ cum paribus myrthi baccis, veteres ſanguinis ex pectore

rejectiones sanant. Acrimoniam enim quandam habet porrum, & adstringendi aliquam vim, sed semen acrius est. Plura infra cap. de antidotis venenorum.

Animadversio.

AFfine cępis est *Porrum*, adeout demptis tunicarum involucris capitulum ejus interius *Cor* vocatum cæpam perbelle referat, foliis, aliàs floribus, caule & semine non multum dissimile. A calore Gręci nomen illi dederunt πράσον quasi πράσιον, sive πράσινον hoc est *viride* vocantes, Latini vero vel quod *porrò eat*, & longè lateque propagetur, vel quod callosam ossium capitis ferruminatorū concretionē æmuletur, denominarunt porrū. Dicitur & à Jurisconsulto Scęvola l. 58. ff. de usufruct. *porrina* eodem Ethymo. Genera ejus nonnullis duo: *capitatum*, & *sectivum*, aliis quatuor additis, ampeloprasso, seu sylvestri, & primario seu exili, quod Itali purisellum hoc est intactum nominant. Ut cępa, sic porrum acri virtute donatum est; proinde corpus calefacit, attenuat, crassos in eo humores incidit: est vero calidum & siccum gradu tertio, flatulentum, κακοςόμαχον, difficilis digestionis, succi pravi, κεφαλαλγὶς, menti & oculis tenebras offundens. Non possum idcirco probare ejus usum in cibis frequentem, licet nonnulli eo usos saluberrimè se profiteantur. Thadęus Florentinus magni nominis Medicus ante cibum cum sale ipsum pręsumebat expurgando à crassis viscosisque humoribus stomacho, provocandæ appetentiæ, alvoque solvendæ. Illi quoque auctoritatem dedit Nero mandens ipsum ex oleo statis

Nomē. Genera. Temperies.

mensium diebus ad conciliandam vocis pręstantiam, dum pro ea certaret cum Phonasco, per quod tempus nihil aliud ac ne panem quidem sumebat, ut prodidit Plinius lib. 19. cap. 6. Sic & perdices narrat Aristoteles porro vesci, canoræ vocis gratia. Locus Aristotelis habetur problem. 39. sect. 11. ubi quęrit cur porrum conferat. πρὸς εὐφωνίαν *ad bonam claramque vocem* etiam in perdicibus: Duasque subjungit ejus rei rationes; vim leniendi & expurgandi instrumenta vocalia: quæ medendi ratio ipsi Galeno probatur lib. 6. κατὰ τόπους cap. 1. quo loco Phonascos docet cum contendendo oblæserint vocem, frequenti aquæ tepentis balneo uti ad leniendas & humectandas partes resiccatas atque exasperatas. Sed cum inde humiditas multa relinquatur ob quam impossibile est claram vocem ab eis proferri; tum reliquum est *ut transeant* (ait Gal.) *ad omnia ex melle cocta, & ad fabam fressam elixatam, & ptisanam ac brassicam & porrum probe coctum*, quæ omnia detergendi atque expurgandi facultatem possident. Cum autem Galenus lib. 2. de alimentorum facult. cap. 71. cæpam, allium & porrum cruda, nullum corpori alimentum dare, cocta bis terve omnino paucissimum tradiderit: cum Dioscorides & Simeon Sethi κακόχυμον καὶ κακοστόμαχον, porrum vocaverint: Cùm Sotio apud Constant. lib. 12. cap. 29. comestum porrum visum offuscare & stomacho iniquum esse scripserit; mirari subit quomodo idem Sotio sui oblitus in fine illius capitis porrum non minus nutrire quam carnes, his verbis asseruerit: τοῖς πράσοις τακεροῖς πάνυ χρῆσθαι προσταλήκει, τρέφει γὰρ οὐχ ἧττον κρεῶν: *porris*, inquit, *valde flaccidis & vietis utendum est, non minus enim quam carnes nutriunt*, quo quæso quid

eſſe abſurdius poteſt? quidà mente omniũ medicorũ alienius? quid verbis Sotionis paulo ante adductis repugnans magis? quid denique ipſi veritati pugnãtius poteſt excogitari? Cum vero tam ſupini erroris Sotionem accuſare non poſſim, qui in cæteris porri facultatibus explicandis diligentiſſimũ & doctiſſimum ſeſe oſtenderit, mihi venit in mentẽ corrupti Græci Codicis, & loci illius depravati. Quamobrem duplici conjectura ad eum locum reſtituendum uſus ſum, quarum prior mihi non facit ſatis, alteram veriſſimam eſſe quovis pignore contenderem. Imprimis ergo loco ταχηροῖς, ταριχοῖς vel ταριχηροῖς ſubſtitui poteſt; quæ verba corpus aliquod ſale vel muria conditum deſignant. Certum autem eſt ex Gal. loco citato cæpas & porra aceto condita in totum annum reponi, fierique hoc modo in cibo prę̨ſtantiora ac minus habere vitioſi ſucci: ex quo ſententia hęc ex verbis Sotionis intelligitur bonum eſſe uti porris conditis, quod minus non nutriant quam carnes, ipſorum ſcilicet porrorũ recentes ac vireſcentes. Sed verus erit ſenſus ſi κρεῶν commutes in καινῶν, erit enim & perfecta ſententia & veritati apprimè conſona: *Convenit*, inquit, *uti porris vietis ac flaccidis, cum non minus nutriant quam recẽtia ac viridia*, opponitur enim καινὸς vetuſtati & illud γὰρ oſtendit poſteriora priorum eſſe conſequentis. Licet vero porrum alimenti ſit vitioſi, mandi tamen ſolet à ruſticis crudum coctumve. Editur enim ex ſale pani affrictum ad emolliendam atri panis ingratitudinem. Suavius ſalubriuſque evadit decoctum cum carnibus, ſicut gallinarum, caponum, vervecum, adjecto croco Bilioſis tamen, & calidioribus naturis, quibuſque infirma ſunt capita, perpetuo vitandum, cum bilem porraceam in ventricu-

Auctor. rei ruſt. emendatus.

lo generet, graviaque ac tumultuosa faciat insomnia. Venerem ipsum stimulare atque accendere, omnium est consensus ac naturæ ipsius decretum, quæ porrum adeo scroto simile effecit ut proverbio abierit; πράσου φύλλῳ τὸ τῶν ἐρώτων δέδεται βαλάντιον, *marsupium amorum seu cupidinum vinctum esse porri folio*, quod de iis dicitur qui luxuriose vivunt venereisque voluptatibus totos se dedunt. Commendatur etiam à Salernitanis & à Macro ad fœcunditatem mulieribus conciliandam; quod prȩstare solet sua detersione: cum enim sterilitas ut plurimum in mulieribus accidat ex mucosis, viscosisq; humoribus uterum obsidentibus; quorum vitio fit ut semen maris nec retineatur nec ad actionem promoveatur: sua acrimonia & detergendi virtute porrum ita expurgat illuviem illam, ut purus restitet uterus; & ad retinendum amplexandumque semen validissimus. De medicamentis sanguinem cohibentibus, eorumque variis differentiis consulendi Therapeutici.

De Vrtica.

CAP. XLIII.

AEgris dat somnum, vomitum quoque tollit, & usum.
Illius semen colicis cum melle medetur.
Mac. lib. 2. cap. 2. *Et tussim veterem curat, si sæpe bibatur.*
Frigus pulmonis pellit, ventrisque tumorem;
Omnibus & morbis ea subvenit articulorum.

Somnus. HIc septem recensentur facultates Urticæ. Ac prima quidem, quod somnum ægrotantibus

accerſat. Craſſos namque & pituitoſos humores, quibus natura gravata ſommo deſtituebatur, extenuat, incidit, & privatim expurgat.

Secunda, quod vomitum, ſimulque uſum ejus tollat. Lentam enim & frigidam materiam, qua ſtomachum imbuente, nauſea ac vomitus pluri-mum ſuboriri ſolent, incidit, exſiccat & diſſolvit. Vomitus.

Tertia, quod Colicis medeatur doloribus: nam prȩterquam quod craſſum pituitoſumque humorem incidit & extenuat, craſſos quoque & flatulentos ſpiritus, qui exitum non habentes colicos excitant cruciatus, diſcutit & expellit. Colico.

Quarta, quod veterem curet tuſſim. Craſſos enim viſcoſoſque humores è pectore pulmoneque educit: qua ratione orthopnœæ quoq; & lateris doloribus prodeſt, & maxime quidem ſemen ejus cum melle delinctum, quemadmodum 2. canon. cap. 725. in eum prope modum ſcribens Avicenna atreſtatur: Quando cum ptiſana ſive aqua hordei decocta bibitur, vitia pectoris extrahit, & folia ejus cum aqua hordei decocta thoracem à lentis craſſiſque humoribus expurgat: ſed ſemen cum melle delinctum ad omnia efficacius eſt. Tuſſis.

Quinta, quod frigora pulmonis pellat: humores namque frigidos ac pituitoſos caliditate ſua incidens, ſimul & extenuans, ex pectore pulmoneque educit.

Sexta, quod ventris tumorem diſcutiat atque ſedet: Craſſos enim ac flatulentos ſpiritus, quibus venter diſtentus in tumorem attollebatur, diſſipat atque reſolvit.

Septima, quod omnibus articulorum doloribus, arthritidi nimirum, iſchiadi, & podagræ ſubveniat: præcipue quidem, ſi provenerint à lenta, craſſa ac frigida materia, eam enim urtica Podagræ.

calefacit, incidit & extenuat. Ad hæc urtica flatuoſum etiam quiddam obtinet, quo & Venerem extimulat, & maxime ubi cum paſſo aut muſto ſemen ejus bibitur. Eodem modo potum, & vulvæ ora patefacit, urinam ciet, renumque doloribus medetur, Ventrem modice ſubducit, ipſa duntaxat abſterſione ac veluti titillatione, non purgatione, crudum ac pituitoſum humorem educens. Ducit fœminis præterea menſes foliorum urticæ decoctum, & addita exigua myrtha potum. Cavendum tamen ne linguam œſophagumque lædat, nimium enim exurit: quod commode quidem fieri poterit, ſi poſt ſumptionem ejus, parum olei roſacei abſorbeatur. Eſt autem urtica cum ſemine ſuo calida in principio tertii, ſicca vero in ſecundo, licet ſemen minore paulo, quam herba ipſa, ſiccitate participet. Plura Dioſcorides libro quarto capite ſeptuageſimo nono. Plinius lib. 11. c. 13. Galenus lib. 6. de ſimpl. med. facult. c. 13. Paulus lib. 7. Rhazes lib. 3. ad Almanſorem, c. 28. & Avicenna loco citato.

Animadverſio.

Ex omnibus plantis *urtica* notiſſima eſt cum non modo interdiu, ſed etiam noctu in tenebris ſolo tactu ab omnibus faciliime cognoſcatur. Ejus enim lanugo ſine ullis quod mireris, ſpinarum aculeis noxia, & tactu tantum levi pruritum puſtulaſque aduſto ſimiles excitat. Eam latini ab *urendi* effectu urticam denominarunt, Græci non diſſimili ratione modo *κνίδην* modo *ἀκαλύφην*; *κνίδη* enim *ἀπὸ τοῦ κνίζειν* quod *pungere*

ac vellicare est deductum : ἀκαλύφη vero κατ' εὐφημισμὸν τῆς ἀντιφράσεως, ut loquitur Athenæus libro tertio hoc est *bono omine per antiphrasim.* dicta est, ut pote quę tactu, nec suavis, nec mollis, sed injucunda & aspera sit, vel quod *injucundo sit tactu* ὅτι ὁ καλὸν αὐτῆς ἅπτεσθαι, vel denique quod ἀπολλῦσα τὴν ἁφὴν, quod *tactus sensum corrumpat.* Suidas tamen hanc ait esse inter τὴν κνίδην καὶ τὴν ἀκαλύφην differentiam; ut κνίδη de urtica dicatur, quamdiu tenera est, ac ut ita dicam infans & virgo ; cum vero habet *matres*, ipsas seminis sphęras, ἀκαλύφης nomen sumit : & ex hac observatione occasionem sumit explicandi locum difficillimum qui habetur apud Aristophanem in Lysistrata in choro mulierum quem perstrinxit Athenæus, & perperam exposuit Dalechampius: tu apud Suidam quære in voce τήθη & apud Eustath. in Odyss. pag. 1485.

Siccam & calidam urticam omnes quidem assentiuntur, sed quo gradu non consentiunt. Alii eum, ut Avicenna, in principio ordinis tertii calefacientium, in secundo desiccantium constituunt, alii in secundo ordine intenso calidorum, & in medio secundi exsiccantium, alii denique in tertio ordine tam desiccantium quam excalefacientium eam collocant ; quod veritati consentaneum videtur, cum manifesto & mordicet & urat. Mirari tamen subit Galenum, quod lib. 6. simpl. scribat urticam, *non tantum habere caliditatem uti jam mordicet* ; nec inter *vehementer calefacientia* reponendam vel hoc argumento tum quod crassos viscososque humores ex pectore pulmoneque educat, tum quod in partibus quas contigerit, pruritum excitet. An dicen- Vrentia medicamenta.

dum in urtica considerari superficiem lanuginosam, ac prȩterea interiorem substantiam; ac ratione quidem illius substantiæ non urere, ratione vero lanuginis mordicare? Ex quo Averroes quinto collectionum errare ait eos qui urticam igneam esse ob suæ punctionis acumen credunt, quoniam pars illa ignea superficiaria sit, quæ per frictionem & prȩsertim per lotionem removeatur. At asserendum potius duco ex Galeno libr. 5. simpl. c. 15. urentium medicamentorum duo esse genera, alterum quidem non vehementer calidum, & tenuis substantiæ: alterum vehementer calidum, & substantiæ crassæ. Illud carnem eliquat levi cum morsu & dolore, sed crustam non efficit: hoc vero erodit, exedit, excruciat: atque ex hoc postremo genere non est urtica, sed ex priori, quia ut observat Galenus *tenuium est partium*, quarum proprium est ut facile penetrent; quod autem facile penetrat, id non præstat violenter, quo fit ut minor dolor adsit, & levior naturæ alteratio.

Vsus in cibis. Condidit laudes urticæ Phanias physicus, utilissimam cibis coctam inveteratamque professus. Incipiens quidem ipsa nasci Vere, non ingrato, multis etiam religioso in cibo veteribus fuit ad pellendos totius anni morbos. Nostris quoque sæculis tenera adhuc ac pullulans in acetariis adhibetur, & cum aliis herbis quadragesimali tempore frixa editur. Radix cocta cum carnibus eas teneriores facere creditur, quo fit ut venatores, aucupes, piscatores pisces, quadrupedes, & aves recens captas urticæ foliis involvant, ut minus & tardius corrumpantur. Sunt qui ex jure pinguium carnium coctam urticam

ticam ſumant ad ſubducendam alvum. Tanti eam fecit Hieronymus Tragus, vir in deſctibendis plantis diligentiſſimus ut ab ea herbarium ſuum auſpicatus ſit, ſeu quod uſum & in cibis & in medicamentis maximum eam præſtare plantam crederet, ſeu quod eam pro ſigillo à majoribus ſuis accepiſſet ex obſervatione Melchioris Adami in ejus vita. Attamen pauci eſſe nutrimenti & omnino exigui, prodidit Ægineta. Diphilus Siphnius alvo ducendæ commodam duxit, non tam purgando, quam abſtergendo, actitillando: Juvare quoque ſtomachum voluit, & lotium provocare. Inter nutrientes herbas nominavit Horatius epiſtol. libro primo, cui etiam ſtimulandæ veneris facultas inſit, hinc *ſi quadrupes fœtum non admittat, urtica naturam fricandam monſtrat.* Mirum autem eſt urticam extima ſuperficie calefacere & urere, interno ſucco febriles cordis æſtus mulcere: Cumque levi tactu pruritum excitet, oleo ſuo quod in Ægypto extrahitur, remedie eſt. Præterea urtica cum eſſe invitius nil poſſit, & ipſo appulſu puſtulas externo in corpore attollat; mandi tamen ſolet innoxie & ſine pruritu ventriculo admitti. Eſt quippe nonnullorum ea indoles ut exterius admota lędant, interius aſſumpta nequaquam, & vice verſa alia quæ ingeſta ulcerant, appoſita non lædant. Prioris generis eſt ſynapi, urtica, allium, cæpe: poſterioris ceruſſa & centaurea. An illorum cauſam dicemus eſſe quod medicamenti agere proprium ſit, alimenti vero pati: quæ vero introſumuntur per modum alimenti ſe habere quod multis alterationibus à ſua natura recedant, & ad naturam corporis aſſumentis pro- Nota.

pius accedant quæ autem admoventur, medicamenti rationem induere? An ſtatuendum copia pituitoſi humoris in ſtomacho reſtagnantis reprimi & refringi eorum medicamentorum acrimoniam, quod in cute non contingit? an potius dicendum recipi illa in ventriculi cavis admiſcerique aliis alimentis, ſed ventriculi ſubſtantiam non attingere, ſicut admota cutim tangunt? at omnis actio per contactum. Denique aſſerendum-ne eſt aſſumpta diu non morari in uno loco; nec firmiter adhęreſcere ventriculo, ſicut admota exterius diu firmiterque affixa cuti hærent: omne autem agens requirere tempus debitum ad ſuam operationem? Quod ad ceruſſam & centauream attinet, exterius admota leniunt, introſumpta ulcerant, quia cum ſint craſſarum omnino partium, valido calore indigent ut attenuentur, & ad actum promoveantur: talis autem calor non exiſtit in cute; quin ibi debilior eſt, ſed reperitur in ventriculo, ubi potentius micat. Vide Petrum Hiſpanum comment. in diætas particulares Iſaaci, Pet. Aponenſem comment. ad problema 22. ſect. 20. Fabium Columnam minus cognitarum ſtirpium parte altera capit. 19. & animadverſionem noſtram de Helenio cui iſta luminis ad inſtar eſſe poterunt. Cætera repetantur ex comm.

De Silere Montano.

Cap. XLIV.

„ *Siler Montanum non ſit tibi ſumere vanum,*

„ *Dat lumen clarum, quamvis gustu sit amarum.*
„ *Lumbricosque necat, digestivamque refortat.*

Animadversio.

QUamvis major Herbariorum pars *Siler* Montanum idem cum Seseli Massiliensi faciat, malo tamen hic cum Dodonæo longe diversum à Seseli credere, & idem planè cum Ligustico constituere: quod dotes hic descriptæ magis propriæ sint *Ligustici* quam *Seseleos*; quam herbam non lego in ciborum usum advocatam fuisse, sicut Ligusticum fuit. Est vero λιγυστικὸν, seu ut placet Galeno λιβυστικὸν, à Liguria ubi nascitur plurimumque crescit, denominatum, in Apennino scilicet Alpibus contermino. Incolarum nonnulli πανάκειαν seu πάνακες vocant, quod & radice & caule Panaci Heraclio dissimile non sit, iisdem vero facultatibus præditum. Primò unius generis fuit: nimirum sylvestre, postea autem seri in hortis cœpit, & studiose coli, ne ex India longinquisque locis repetendum esset, quod sapore piperis obsonia & pulmentaria eorum temporum commendaret. Ejus enim semine pro pipere ubique usa est antiqua & rustica plebs, sed in sylvestri vis major, in sativo gustus suavior. Temperie aiunt esse calida & sicca ordine tertio, sapore acri, odore aromatico. Usus in cibis ad oxypora sic dicta quod aceto condita ad intinctus servarentur, quemadmodum scribit Columella ultimo cap. lib. ultimi. Radice semen est efficacius utpote siccius, calidius atque acrius. Adulteratum

Nomen. Temperies. Usus.

quondam fuisse semine aliquo simili quod amaritudine in gustu deprehenderetur, prodidit Dioscorides. Quod etiamnum hodie fieri à Liguribus fœniculi admistione, narrat Brassavolus in examine simplicium medicamentorum, ubi quoque hodie pro pipere in condimenta venire advertit, seseque conditum ferculum libistico satis gratum Gennæ comedisse, ut vero ori gratum est, sic stomacho amicum concoctionem adjuvando, tumores & ejus inflationes discutiendo, vermes enecando. Ex eo vero quod urinas moveat, & serosam sanguinis illuviem repurget, tum etiam ob ejus fragrantiam, spiritibus reficiendis reparandisque opportunam, oculis gratissimum perhibetur.

Vulgus Herbariorum hodierna die pro sileri montano sesele Massiliense usurpant ut & officinæ nostræ. Est enim *Siler* nomine affine vocabulo *Sil* sive *Sile* quod alio nomine Sesele appellatur. Herba cujus radice, vel semine olim vina condiebantur, quæ antemeridiano tempore loco jentaculi hauriebant. Unde *Silatum* veteres dixere, pro eo quod nunc vocamus jentaculum.

De Spinachiis.

CAP. XLV.

» *DE cholera læso spinachia convenit ori,*
» *Et stomachis calidis hujus valet esus amari.*

Animadversio.

EX oleribus hoc unum frigidum à Salernitanis perstringitur, quod illi Mauritanorum doctrinam sectantes, calidorum usum magis quam frigidorum probarent. Deinde vero ita passim ab omnibus cognosci & usurpari lactucam, portulacam, cichorium, atriplicem, oxalydem pro comperto habebant, ut superfluum ducerent vulgaria illa annotare atque describere. Sed & fortasse Villanovanus ea ipsa prætermisit quod alias de iis egisset, nec commendando operi multum ea profutura judicaret. Est autem *Spinacia*, *Spinachia*, *&* *Spinaceum olus*, herba veteribus incognita, sic dicta ab insigni seminis spiculorum nota, quod tam glabræ aut mollis herbæ semen in spinas occalescat: vel potius quod spiculatis velut sit foliis ob varias eorum incisuras atque dearticulationes. Græci recentes σπινάκιον vocant, seu potius σπανάχιον, vel à raritate quod raro ea herba Medici utantur, vel ab *Hispania*, forte quod inde primum duxerit originem, ad cæteras tandem nationes translatum, ex quo factum est, ut Mauritani & Arabes ipsum Hispanach, id est, Hispanicum olus appellarint. σπινακίου meminit auctor Anonymus de vulpe & lupo his verbis: Nomen.

Καὶ φόρτωνέ με λάχανα, σέλινα, καὶ αὐτίδια
Σπινάκια, καὶ μαρούλια, ῥάπανα, καὶ κρεμμύδια.

Onera me, inquit, *oleribus*, *apio*, *autidio*, *Spinacio*, *marulio*, *raphano*, *&* *capa*, quæ omnia partim vulgaris sunt notitiæ, partim obscuræ:

nec enim proprie quid ſit autidium, & marulium ſatis perſpectum: & autidium quidem plane ignoro niſi fungum quis interpretari velit, quaſi αὐτίκιον ab αὔτικα extemplo, è veſtigio, continuo ſignificans, quod fungorum proprium eſt, qui una nocte confeſtim erumpunt: μαρούλιον autem ſeu ut vult Meurſius in gloſſario Græco barbaro μαϊούλιον, *edulii genus eſt tota quidem æſtate, ſed menſe potiſſimum Maio confici ſolitum*, cujus meminit Ethymologi auctor, Suidas, Heſychius & auctor Geoponicorum libro duodecimo capite primo, ſed Ethymologicus, Suidas & Heſychius μαϊούλιον vocant, auctor Geoponic. μαρούλιν; Simeon Sethi in ſyntagmate μαρούλλιον quod idem eſſe cum θειδακίνη ſive lactuca innuit. Spinaciorum duo genera ſunt: ſati-

Genera. vum & ſylveſtre. Sativi item duo: mas & fœmina: ille ſemen fert, hæc floret quidem, ſed ſeminis infœcunda ſterileſcit. Humidum hoc

Temperies olus planè ac frigidum ordine fere ſecundo, humidius tamen & aquoſius paulo quam frigidius, ſapore omni expers eſt, cito deſcendit & alvum emollit, à qua emolliendi vi à nonnullis *Seutlomalache* quaſi *malvaceam betam* dicas, denominata fuit; ab aliis *ſeutlolapathum* quod mediæ ſit inter betam & rumicem naturæ. Iſaac in diætis particularibus ventrem humectare eam herbam, ſtomachoque meliorem quam atriplices ſcripſit; quia ſcilicet minus humida eſt, & minus unctuoſa: at humiditate, unctuoſitateque nimia ſtomachus languet ac laxatur, ſiccitate roboratur. Quia tamen multum humida eſt, idcirco flatus colligit, & vomitiones concitat, niſi excrementitius humor abjiciatur. Quod ut fiat citra aquam coqui de-

bet cum ſponte magnam vim humoris inter coquendum ex ſe effundat. Proinde dicitur jus alienum aſpernari proprio contenta; qui coquit cum aqua nativum & genitalem illius ſuccum corrumpit, ac temere inebriat. Jejuniis quadrageſimalibus frequens ejus uſus eſſe ſolet, vel frixa cum butyro aut oleo, ſale & omphacio, ac etiam piperis momento, vel in olla cum pineis, uvis corinthiacis, butyro ac ſale cocta. Editur quoque in acetariis cruda, enata recens, prius ſcilicet quam latiora ei ſubnata fuerint folia. De cætero alimenti eſt exigui, flatulenti ac nauſeabundi, niſi aromate aliquo condiatur. Quod autem dicitur convenire *ori læſo de cholera*, tractum ex Iſaaco qui eam gulæ à ſanguine ac flava bile dolenti mederi admonuit, quem uſum agnoſcit quoque Mathiolus, coctam eam lenire exaſperatas fauces aſſerens, cujus quoque rei gratia ejus bibitur juſculum conditum oleo amygdalino dulci aut butyro. Sunt qui aquam ex hac planta vitreis organis eliciunt, & ad ciendos ſudores plurimùm valere prædicant. Vſus.

De Salice

Cap. XLVI.

Auribus infuſus vermes ſuccus necat ejus; Macer lib. 2. c. 16. & 36.
Cortex verrucas in aceto cocta reſoluit.
Hujus flos ſumptus in aqua frigeſcere cogit
Inſtinctus veneris cunctos, acres, ſtimulantes.
Et ſic deſiccat ut nulla creatio fiat.

Tria hoc loco de Salice traduntur. *Primum* quod ſuccus ejus auribus inſtillatus vermes Idem l. 4. c. 11.

interficiat, & maxime quidem si is sit ex foliis & cortice expressus. Amarum enim quiddam in se habet & acerbum. Idem quoque cum rosaceo in calice punici calefactus, aurium doloribus & saniei medetur.

Secundum, quod cortex ejus in aceto decoctus verrucas pellat. Hanc rem Dioscorides libro primo capite 115. sic tradidit. Corticis cinis admisso aceto maceratus, illitu clavos & callos tollit. Est enim vis ejus admodum desiccatoria, sed ita tamen ut morsu abstineat: habet vero etiam quandam adstrictionem. Avicenna capite 541. secund. Canon. eumdem effectum portulacæ quoque tribuit: Ex ea, inquiens, fricantur verrucæ & eradicat eas non qualitate, sed naturali quadam facultate.

Tertium, quod flos salicis conceptus prohibeat; & hoc certe ob vim desiccatoriam & astrictionem. Hoc ipsum autem ἀσυλληψίαν ἐργάζεσθαι Dioscorides dixit, hoc est, facere ut mulier non concipiat. Non autem solum mulierum conceptus prohibet salicis semen, sive fructus, sive flos velut hic appellatur, sed etiam instinctus Veneris omnes hebetat ac resiccat, etiam in viris, ut generare nequeant. Atque hoc ipsum Democritus quoque apud Constantinum Cęsarem lib. 11. c. 14. tradit his verbis: Qui fructus salicis appellatur, pabulo pecorum admixtus, ipsa pinguefacit. Tritus autem & in potu acceptus ab homine, steriles facit: ex quo & Homerus ὀδυσ. κ. ait.

Μακεραί τ' αἴγειροί τ' καὶ ἰτέαι ὠλεσίκαρποι.

Id est:

Et grandes populi, & salices fructum perimentes.

Verum Theophrastus libr. 3. c. 2. de historia plantarum, & Plinius lib. 16. c. 16. vocem ὀλεσίκαρπος non sic accipiunt dictam ab Homero, ut significet fructuum ac seminum humanorum perditionem, sed ipsius arboris. Plinii verba hæc sunt. Ocyssime autem salix amittit semen, antequam omnino maturitatem sentiat, ob id dicta ab Homero frugiperda, secutaque ætas scelere suo interpretata est sententiam, quando semen salicis mulieri sterilitatis medicamentum esse constat. Hæc fere Janus Cornarius in capit. 11. lib. 4. Macri. Didymus antiquissimus Homeri interpres ita ex Theophrasto de salice refert: ὁ καρπὸς τῆς ἰτέας πινόμενος ἀφανίζει τὴν γονὴν τῶν ἀνθρώπων. Id est: Fructus salicis potus genituras hominum demolitur. Plura de salice Galenus libro 9. de simpl. med. facult. cap. 155. & Avicenna 2. Canon. c. 326. & 686.

Animadversio.

PRopter affinitatem temperamenti superiori oleri subjungimus salicem, arbusculam quam Græci ἰτέα vocant παρὰ τὸ ἰέναι; eadem ratione qua Latini *Salicem* appellant, quod nimirum ea celeritate crescat ut Salire videatur, quamvis nonnulli malint Latinam *Salicem* à Sale deducere, quod sit gustu non solum amara, sed aliquatenus salsa, quod tamen nusquam probaretur Cardano qui libr. 8. de subtilitate nullam plantam salsam esse adstruxit, contra quod sensit Theophrast. lib. 6. de causis plantarum c. 14. &

Genera. Scaliger exercitatione in Cardan. 104. art. 18. exemplo *Salicorni*, *Salsolæ* seu *Sodæ*, quam Arabes *Sal Chali* vocant. Salicis differentiæ multiplices, partim à colore partim ab usu desumptæ. Ex corticis colore prima species nominatur alba, quæ arborescens est & *perticalis*; secunda platyphyllos sive leucophlœos, hoc est, *latifolia candido cortice*: tertia purpurea & μελανόφλοιος, hoc est *cortice nigro* amicta: quarta Phœnicea seu Phœnicophœos, cujus cortex *palmularum colorem* refert; quinta omnium brevissima, *helice*: sexta Elæagnus *cortice luteo*: septima Amerina quæ duorum est geneum: *rubens* quam Galli *franc-osier* vocant, & nigrans quam οἴσον, dicunt, unde Galli vocabulum suum *osier* deduxerunt: octavà denique est *marina*. Hîc autem loquitur partim de

Temperies. *perticali*, partim de *Amerina*, quarum folia refrigerandi facultatem obtinent, & cum nonnulla adstrictione citra morsum desiccandi. Cortices similem facultatem habent, succus flore erumpente collectus, extergentis est virtutis tenuiumque partium, cujus colligendi modum docet Dioscorid. lib. 1. cap. 117. & Plinius lib. 24. cap. 9.

Porro nullus salicis usus extitit in cibis, cum ne quidem arborum aliarum folia condiendis jusculis aut alterandis expetantur. Major commendatio in aspergendo ejus foliis pavimento æstate media, aut per febres acutissimas, vel in parando pedum tibiarumque lavacro ad corporis refrigerium & somni conciliationem. Coronarum ex Amerina salice mentio est apud Athenęum lib. 15. Deipnos. quâ redimitum totos decem menses Megisthen refert ex Anacreonte; sive quod ad manum & in propinquo esset copiosa salix, sive propter aucto-

ritatem Samiorum qui ut fugientem Junonis imaginem retinerent, factis ex ſalice Amerina vinculis dicũtur circumvolviſſe. De ea corona narratur Hepheſtion libellum compoſuiſſe, multaque pręclara de ea annotaſſe Menodotus Samius opere de iis quæ pręclara Sami viſuntur. Ab hoc uſu factum puto ut Apollonius Rhodius lib. 4. ſalicem appellaverit *ſacrum ſtipitem* ἱερὸν στύπος, Tenarus apud Athen. ἀγροικὸν στεφάνωμα *ruſticorum coronamentum*, Nicętus ἀρχαῖον Καρῶν στέφος. Quam autem ob cauſam coronæ ejuſcemodi adinventæ fuerint, videndum apud Paſchaſium lib. 1. de coron. cap. 14.

Porro cum ſatis copiosè ſalicis facultates in commentario commemoratæ ſint, non eſt quod pluribus exponantur. Queramus utrum ſalix ſterilis ſit ſemenque ferat, nam hoc à veteribus in diſputationem vocatum fuiſſe animadverto. Theophraſtus modo ſterilem modo fœcundam conſtituit. Sterilem facit καὶ ἄκαρπον l. 3. de hiſt. plant. cap. 6. fœcundam vero καὶ καρπὸν ἔχοντα eodem lib. cap. 1. 2. & 13. verum Bapt. Porta contra antiquorum opinionem plantas omnes ac proinde ſalicem ſemine donatas eſſe luculenter demonſtravit lib. phytognom. cap. 2. addiditque ſalicem ad maturitatem ſolitam eſſe proferre ſemen in Creta inſula ipſo deſcenſu Jovis *ſpeluncæ torvum, ligneum, magnitudine ciceris.* Alibi tamen certum eſt ociſſimè amittere ſemen ante quam omnino maturitatem ſentiat, qua de cauſa Homero dicta eſt ὠλεσίκαρπος, *frugiperda*, & *ſeminiperda*, Theophraſto ἀτελὴς, & *imperfecta*, non quidem ratione generationis, ſed uſus; ita enim perficitur ejus fructus, ut cibus homini eſſe non poſſit; generationi autem idoneus eſſe poſſit, ut probat idem

An Salix ſterilis.

Theophraſt. lib. 3. de hiſt. plant. cap. 1.

Notabis autem apud Dioſcorid. in nothis plantarum appellationibus, *viticem* ſeu agnum caſtum vocari *ſalicem amerinam*, quam ſervandæ caſtitati commodam tradit, ob idque ea pro ſtrato uſas eſſe mulieres in Theſmophoriis caſtitatem cuſtodientes. Quo tamen ſit illa temperamento, vix conſtat; cum Dioſcorides calidam dicat, Galenus frigidam: Hanc controverſiam habes expoſitam à Cornario emblemate 114. in Dioſcoridem, & à Sarraceno ſcholiis ad caput 15. lib. 1. Dioſcoridis.

De Floribus ac primum de Viola purpurea.

Cap. XLVII.

Crapula diſcutitur, capitis dolor, atque gravedo,
Purpuream violam dicunt curare caducos.

HIc tres referuntur effectus nigræ purpureæve Violæ. Primus, quod crapulam ſive ebrietatem diſpellat ac ſedet. Cujus ſane rei duæ afferri ſolent rationes. Una quidem, quod temperatum, ſuavem & cerebrum confortantem ſpiret odorem: cerebrum vero roboratum, ac validum ebrietas non tam facile, quam imbecillum tentet. Altera, quod cerebrum refrigeret, & fumis validis recipiendis ineptum reddat, adeoque vini vaporem infringat, & ſic ebrietatem diſſolvat. Secunda, quod κεφαλαλγίαν, id eſt, capitis dolorem diſcutiat: & hoc quidem, ſi à cauſa calida, nempe à flava bile, ortum habuerit, hanc enim purgat,

& ab ea calorem extinguit. Horum effectuum meminit Plinius lib. 21. cap. 19. ubi de violæ viribus disserit, his verbis: Violæ purpureæ crapulam & gravedines capitis impositis coronis olfactuve discutiunt, Meminit etiam Simeon Sethi in Syntagmate: Violæ, inquiens, dolores capitis, qui fiunt à flava bile, sopiunt, potæ & odoratæ. Tertius, quod curet caducos, id est, comitiali morbo correptos, à symptomate, accidenti ac casu. Hoc habetur apud Dioscoridem lib. 4. cap. 105. Cęterum is non simpliciter hoc de purpurea Viola tradit, sed de parte ea, quæ in flore purpurea existit, vel purpurascit. Sic enim scribit: φασὶ δὲ τὸ πορφυρίζον τῦ ἄνθυς μεθ' ὕδατος ποθὲν, συνάγχικοῖς βοηθεῖν, καὶ ἐπιληψίας ταῖς ἐπὶ παίδων: id est: Dicunt id, quod in flore purpureum est, cum aqua potum, anginis & comitialibus puerorum morbis auxiliari. Videtur itaque accipiendum esse de altero flore, qui in medio Violæ instar capillamentorum inest. Sunt enim quidam flores, dicit Theophastus lib. 1. cap. 21. de historia plantarum διανθεῖς, id est, duplicis floris, qui alterum florem in medio habent, velut rosa & lilium, & viola nigra. Lege doctissimas Jani Cornarii annotationes in cap. 29. libri primi Macri. Quinetiam Plinius loco jam citato id ipsum sic tradidit: Id quod purpureum est ex iis, comitialibus medetur, maxime pueris, in aqua potum. Ejusque rei hæc adsignari potest ratio, quod cerebrum violæ fragrantia roboret, ita ut à pravis nocumentis minimum lędatur, & sic in epilepsiam non facile incidat. De violis plura Galenus libro sexto capite centesimo quinquagesimo de simpl. medic. facult. Rhases lib. 3. ad Almansor. 21. Avicenna 2. Cano. cap. 726. &

Mesues lib. 2. sect. 1. cap. 11. de simpl. pug.

Animadversio.

De floribus.

CRatissima florum amœnitas est, cum nusquam natura se æque atque in eorum inenarrabili varietate jactet. *Nulli potest*, inquit Plinius capite primo, libro vigesimo primo *facilius esse loqui, quam rerum naturæ pingere, lascivienti præsertim & in magno gaudio fertilitatis tam varie ludenti*, Tantus vero honor fuit floribus, ut cum præstantissimum aliquid explicare volumus, sui *florem generis* appellemus: ex quo fonte Plinius *purpuræ florem*, Rigaltius ad Artemidorum ex Plinio *Ignis florem*, Plautus *florem Bacchi*, Cicero *florem pigmentorum* dixit. Quod autem in cœlis sunt *sydera*, idipsum in hortis sunt *flores*, quos ideo Columella lib. 1. c. 1. *hortenses terrestresque stellas* vocat. Chęremon apud Athen. libr. 13. modo *ἔαρος*, modo *λειμώνων τέκνα* hoc est *veris & pratorum filios*, Æschylus *terra natos*, *γαίας τέκνα*, alii *ἐνιαυτοῦ παῖδας filios anni*, Plinius *plantarum gaudia & partus*, Apuleius *primum naturæ fœtum qui est proprius Gratiæ ridentis, fruteti germinantis, vitis gemmantis, segetis viridantis.* Hortos commendat nobilissimamque anni tempestatem atque temperatissimam, florum varietas, quæ tanta est, & diversa, tam florida & picta, tam odora & fragrans, tam suavis & jucunda, ut illic natura suam explicare majestatem omnino videatur. Major potiorque futura erat florum gloria nisi suis morerentur horis, & in ipso ortu expirarent. Inventi tamen homines sunt qui tam brevem voluptatem, tam momentaneum Veris

honorem immenſo pretio æſtimarunt. Priſcis ſæculis multus honos roſis, violis, liliis, narciſſis, hyacinthis, croco, meliloto, amarco, qui noſtris temporibus vileſcunt, & præ Tulipis hæmærocallidibus, coronis imperialibus, fritilariis, martagonis, anemonis deſpiciuntur, quorum quidem nec veteres novere gratiam, nec nos fragrantiam, vireſque agnoſcimus Licet autem *Tulipæ* uno brevique tempore floreant, licet uno flore ac pediculo emicent, licet ipſo odore ſint graves; tanti tamen una colorum diverſitas, pictuṙaque foliorum tenuibus deſcripta filamentis penditur, ut qui unam *Tulipam* quingentis & ſexcentis, imo vero mille libris emere velit reperiatur licitator. Has Natura delitias homini quidem paravit ad *voluptatem*, ſed ad *utilitatem* magis. Quondam flores coronarum fuere ornamenta, quarum tam multiplex varietas fuit, tam diverſa componendi ratio, uſus tam varius, ut materiæ fuerint multorum voluminum quæ de coronis tractarent. Vix ullum fuit olim ſine floribus convivium, his pavimenta inſtrata, lectuli compoſiti, farcta pulvinaria, oppleta reticula, conflata ſerta, fercula aſperſa; nullæ ſine illis nuptiæ, nulla ſacrificia: nulla funera, nulli ludi, nulli triumphi, nullæ publicæ lætitiæ. Hęc autem quam inania ſunt oblectamenta, ſi ab utilitate & ſalubritate quam hominibus tribuunt ſejungantur? Equidem breve nobis allaturi erant flores gaudium, ni Medicina ſalutis & vitæ præſidia in illis deprehendiſſet & ad varias remediorum miſturas ſalutareſque compoſitiones eos convertiſſet. Jam nulla ſine floribus antidotus, nulla potio, nullum conditum, olea, emplaſtra, unguenta, cataplaſmata, fomenta floribus non vacant,

Florum uſus.

adeout jam magnum afferant Medicinæ adjumentum: Tranſeunt quoque ipſi in cibum & condiendis juſculis accommodantur, ut non ſolum ad reſtituendam, ſed etiam ad conſervandam ſanitatem dicantur nati. Quod in ſequentibus obſervabimus quorum gratia hæc univerſim de floribus præfari licuit.

Inter flores autem imprimis occurrit viola prænuntia, & præmonſtratrix omnium pulchritudinum veris. ἴον dictam volunt à Græcis, vel παρὰ τὸ ἴεναι ταχὺ, ex eo quod ſtatim ſurgit aut apparet, vel ab Ioniis quibuſdam Nymphis, quæ ut refert Nicander in Georg. florem eum Jovi primum dedere muneri, vel denique ab Io puella qua cum Jupiter concubuit, quamque mutavit in juvencam ne à Junone deprehenderetur. Fortunam vero puellæ flos ipſe coloribus ſuis oſtendit, ἐρυθραίνεται μὲν γὰρ, ὥσπερ παρθένος, πορφύρεται δὲ οἷα βοῦς, καὶ λευκαίνεται, δηλοῦν τὴν εἰς ἀστέρα τῆς κόρης μεταβολήν: *rubeſcit enim ut virgo, purpuraſcit ut bucula, albeſcit in argumentum quod puella fuerit in aſtra converſa*, ex Leontio c. 23. l. 11. de re ruſt. Latini violam ὑποκοριστικῶς (ait Scalig.) ab ἴον deducunt, ſeu ut vult Perottus à *violendo* ſeu quod nec *violata*, nec *violanda* ſit. Alii violã quaſi *vitulam* dictam volunt, propterea quod hunc florem Poëtæ fabulentur in pabulum Iũs puellæ in juvencam converſæ, à terra effuſum. Violarum multiplices exiſtunt differentiæ, quarum aliæ à colore, aliæ à floribus, à magnitudine aliæ, & cultu, deſumuntur. Color in violis vel unus vel varius. Unius coloris triplex viola, *Alba* quam leucoion vocant cui vita longiſſima trimatu eſt, *lutea* & aſpectu ſimilis auro, *purpurea* ſeu nigra. A vario colore nomen ſumpſit viola bicolor aruenſis, flammea minor dicta, & viola tricolor ſeu ſepticolor

color, quam nonnulli *florem Trinitatis* appellant. A flore alia denominata eſt ſimplex, alia multiplex, cujus flos numeroſis foliolis ac pene infinitis conſtat. Eſt & viola arboreſcens, ſeu fruticoſa, eſt ſativa, ſylveſtris, hortenſis, arvenſis, de quibus nobis agendum non eſt cum ſolius purpureæ Salernitani meminerint. Interim obſervandum ex multiplici violarum differentia à coloribus ſumpta, loca nonnulla auctorum claſſicorum illuſtrari poſſe, quæ vel obſcura vel inter ſe pugnantia, videri poſſunt. Sic Virgilius Pallentes violas vocat, ecl. 2. at eclog. 10. nigras; Horatius auriginoſum colorem, qui proprius eſt amatorum, tinctum viola ſcribit;

Nec tinctus viola pallor amantium,

lib. 3. carm. ode 10. Oppianus autem ἁλιευτ. lib. 10. νεφέλην ἰοειδέα, ſumit pro nube fœta imbri; quaſi dicas violæ ſimilem, per colorem ſcilicet qui ita purpuraſcit ut nigredini ſit affinis. Lucianus in imaginibus *violaceas* Veneri palpebras aſſignat quas ſcimus nigras fuiſſe. Pindarus & Theognis Muſas appellant ἰοπλοκάμους, *violaceo capillitio*, quod nemo nigrum fuiſſe dixerit, utpote à pulchritudine alienum. Niſi forſan violæ nomen ad omnia venuſta, ac formoſa ſignificanda traductum quis velit; quod luculenter demonſtrat Carolus Paſchalius coronarum libro tertio capite quarto.

Redeo ad violam purpuream quam Theophraſt. ἴον μέλαν καὶ μελάνιον; Dioſcorides ἴον πορφυροῦν, Claudianus fuſcam, Virgilius nigram, alii amethyſtinam ſive jantinam, cæteri Martiam violam vocant, quod menſe Martio ineunte Vere floreſcat. Inter nothas ejus appellationes δασυπόδιον numeratur, vel à lepore dictum qui eo flore &

herba delectatur, vel à multitudine foliorum quibus flos coalescit : πριαπήϊον quoque, vel à figura floris, vel quod Priapi statuæ pro custodia hortorum positæ eo flore coronarentur ; Κυβλέιον præterea à Cybele Dea ; cui violæ primo vere erumpentes pro primitiis offerebantur, denique *Muraria*, quod apud mutos & sepes hortorum nascatur.

Temperies. Temperies violarum ex Oribasio & Mesvæo frigida & humida est primo gradu, ex Simeone Sethi ordine primo frigida, humida secundo ; ex Brassavolo denique frigida in prima parte secundi gradus, in tertia vero ejusdem gradus humida. Quamvis autem oleum violaceum frigidius videri possit rosaceo, attamen magis refrigerat rosaceum, quod in eo tenues quædam sint partes quæ illud penetrare faciunt, ex quo fit ut violaceum superficie tenus refrigeret rosaceum etiam in profundo; ex observat. ejusdem Brassavol. comm. in lib. Hippocrat. de vict. acut. Galenus 6. de simpl. aqueam substantiam violis tribuit, Mesvæus vim quandam narcoticam dolores calidos sedandi & inflammationes omnes extinguendi, quam ob causam reprehensus fuit à Manardo Mesvæus, quasi narcotica viola esse non possit, cum primo tantum ordine ab illo frigida statuatur. Sed Mesvæi defensio suscepta est à Brassavola in examine simplic. quam legere potes. Præterea à Mesvæo vis purgandi violæ tributa fuit, ubi scilicet humiditate siccando resoluta, calidicas prius obruta emicat, & ab ea sapor amarus, fitque trahendo purgatrix. Sed pace tanti viri dixerim in resiccatis violis, nec calorem nec amarorem, nec purgandi facultatem deprehendimus : Imo vero si quæ ejus purgandi vis, maxime ab ejus humidi-

Viola an Narcotica.

tate eſt, quæ leniendo ac lubricando alvum laxat. Dum ergo recens eſt parari ſolet ſyrupus ex multis infuſionibus qui blandè alvum puerorum ſubducit: hoc tamen vitio laborat quod pondere ſuo ac nimia humiditate ventriculo noxius ſit, præterea niſi diu multumque coquatur brevi corrumpitur tempore, & aceſcit. Nec audiendus eſt Amatus Luſitanus enarrat 213. in Dioſcoridem, & alii, qui arbitrantur ſolutivum hunc ſyrupum non minorum eſſe virium, quam ſyrupus roſatum ſolutivus: longe enim multo imbecillior eſt cum ſyrupus roſarum etiam poſt duos annos purget, recens autem ad inſtar ſcammoniatorum alvum turbet, quapropter à recenti eo abſtinendum eſt, niſi ubi vehementer purgare volumus. At ſyrupus violarum ſolutivus recens tantum blandè expugat, inveteratus modicarum eſt virium. Longe vero potentius ſemen violæ album rotundum, milii æmulum, quam flos: alvum enim movet intritum & ex vino albo potum inſtar rhei bilem flavam è ventriculo exturbat. Licet autem uſus ſacchari & Julepi roſacei, quæ Simeon Sethi ἰοσάκχαρ, καὶ ἰοζούλαπον vocat, πρὸς τὰς τοῦ θώρακός τε καὶ πνεύμονος ἀῤῥωστίας, hoc eſt ad pulmonis & pectoris vitia, præſertimque pleuritidem commendetur: attamen Aloyſius Mundella epiſt. 32. non adeo tutum agnoſcit, *non quidem*, ut ait, *propter adſtringendi ullam vim, ſed propter obſtructionem quæ ex violarum temperamento frigido oritur, quo excreatus impeditur ac retardatur.*

Error Amati.

Si quis autem interroget an facultas violis inſit nutriendi, dicam vel nullam vel exiguam illis adeſſe: ac ſanè non obſervo in eum uſum uſurpatas fuiſſe à veteribus: apud nos verè non-

Vſus in cibis.

nulli folia herbæ violariæ alvi ducendæ causa coquunt in juſculis, manduntque: nonnulli flores ipſos acetariis interponunt, non tam ob alimoniam, quam odoris fragrantiam qui mitiſſimus eſt ac ſuaviſſimus. Rem autem medicam admodum locupletant, cum in officinis mel, ſaccharum, tragemata, conſervæ, condita, ſyrupus, aqua, oleum, pulveres, acetum, è violis præparentur. Sunt enim maximi uſus ad inflammationes omnes compeſcendas, incendium febrile extinguendum, dolores capitis ſopiendos, ſomnum inducendum, ſitim ſedendam, & ad ea quorum poſt Macrum Salernitani, & eorum commentatores in hoc capite meminerunt. Plura vide apud Mizaldum in Horto area 4. Braſſavol. in exam. ſimplic. Paſchalium libr. 3. coronarum, & Guill. Stuckium libr. 3. antiquit. convivial. cap. 16. ubi violacearum coronarum ex Plutarcho meminit, Platone, & Ariſtophane, quæ huc commodiſſime transferri poſſint, niſi brevitati conſulendum ducerem.

De Sambuci Floribus.

Cap. XLVIII.

„ *Sambuci flores, ſambuco ſunt meliores.*
„ *Nam Sambucus olet, flos redolere ſolet.*

Animadverſio.

Sambuci meminerunt Salernitani poſt Macrum cap. 3. libr. 3. quam plantam Græci ἀκτῆν

vocant, ex eo quod soleat in oris & sepimentis hortorum succrescere, est enim ἀκτὴ *ora & littus*. Latini Sambucum dicunt à *Sambuca* musico instrumento, quod alii pectida vocant, alii Magadin. Sambuci duo genera, alterum in arborem assurgens, humilius alterum. Illud triplici differentia continetur: est enim, vel *vulgare*, vel *sylvestre*, seu Montanum, vel *aquaticum* sive palustre. Aquaticum Sambucum nonnulli ex Theophrasto θεαύπαλον appellant, Galli *obier*; sylvestris πυῤῥὸς Theophrasti esse creditur: à Trago *Cervina* sambucus dicta quod à Cervis summopere expetatur: vulgaris ἀκτῆς nomen sibi vendicat, quemadmodum humilis sambucus χαμαιακτῆς, Latini *Ebulum* nominant. Nec vero Medici consentiunt in ejus temperamento assignando, Dioscorides enim, ut apud Marcellum legitur, ebulum & sambucum facultatem habere ξηραντικὴν, ψυκτικὴν καὶ ὑδραγωγὸν scribit, exsiccantem nimirum, refrigerantem, & aquas alvo detrahentem. Addit præterea folia recentia inflammationes mitigare, quamvis nonnulli pro φλεγμονὰς, φρένας legant; sic ut sensus sit sambucum lenire ac mitigare præcordia, vi sua scilicet cathartica & expurgatoria. Dioscoridi subscribit Actuarius, qui libr. 5. meth. med. capit. 8. sambucum & ebulum refrigerandi aquamque educendi vi prædita esse cæterum stomacho adversari prodidit. A cujus mente non recedit Plinius lib. 24. cap. 8. scribens *sambucum refrigerare inflammationem, maxime recentis ambusti*. Hanc vim illi inesse credidit etiam Fabius Columna parte altera minus cognitatum stirpium, observat enim cap. 19. bulbum ranunculi Leptophylli à se gustatum tantam acrimoniam palato attulisse, ut gravioris mali periculum fuisset, *nisi*,

Genera.

Temperies controversa.

inquit, *foliorum esu sæpius iterato Sambuci, & ebuli usus esset, sic vim acrimoniæ extinguens.* Quibus verbis significat vim refrigerandi sambuco & ebulo inesse. Accedit ad hoc auctoritas Oribasii qui lib. 7. medic. collect. notat *utramque actam pituitosos humores & hydropicos per inferiores partes expurgare. earumque facultates non esse calidas, quales plerisque aliis purgantibus insunt, sed frigidiores.* Huic sententiæ è directo pugnat Arabum & recentiorum auctoritas, ratio & experientia; Avicenna enim secundo Canone cap. 619. & Serapio cap. 84. sambucum & ebulum ad tertium usque gradum calefacere & exsiccare produnt, quibus consentit Villanovanus libello de aquis laxativis cap. 3. observans *earum plantarum decoctum purgare vehementer phlegma & aquas, sed non exhibendum æstate esse, quod nimis calidum sit.* Sapor acris quo præditæ sunt hæ stirpes, calidas probat: acrimonia enim à calore, nullusque est qui ex applicatione ebuli & sambuci ad corpus, caliditatem non percipiat, ut inde colligi possit eas calefaciendi virtute donatas. Quæ posterior Arabum doctrina anteponenda est Græcorum opinioni, qui falso frigidam sambucum sunt arbitrati: qua ratione innixi, non satis animadverto.

Sambuci cortices, folia, prima germina, fructus & semen, gummi, flores omnia in usum veniunt medicum: soli flores rem augent cibariam. Interior mediusque cortex, aquas & pituitam expurgat, modo per superiora, modo per inferiora: per superiora quidem si cortex ille versus superiora trahatur, per inferiora vero, si trahatur versus inferiora ex observatione Villanovani, meo quidem judicio vana & ridicula. Foliorum

Usus

facultates recenſet Dioſcorides. Prima germina cocta & aſparagi modo aſſumpta ventrem commovent. Semen in pulverem redactũ & drachmę pondere exhibitum alvum ciet,& humores aquoſos detrahit, ſed quam cæteres mitius. Gummi adſtringendi & reſiccandi vim obtinet. Flores autem frixis in ſartagine ovis aſperguntur non ingrato ſapore. *Quinetiam conſuetudo invaluit addere eos flores cadis in quibus reponitur acetum, quo retundi vim illam omnium domitricem aliqua ex parte putant. Sambucatum dicunt, quemadmodum piperatum, cui additur piper* ex Bruyerino lib. 8. c. 46. Cum autem odoris ſuavitas floribus Sambuci inſit, foliis vero fœtor quidam teter, mirum non eſt ſi Salernitanis magis probentur flores quàm folia. Amica enim ſpiritibus, cerebro,& cordi ſuavitas odoris, graveolentia vero inimica & hoſtilis. Spiritus quippe ut puriſſimi, ſic rebus puriſſimis, ac defœcatiſſimis delectantur, impuras averſantur & incoctas, at εὐωδία ex coctione, puritate & elaboratione partium, κακωδία ex impuritate & cruditate. Tantus autem eſt Sambuci odor ut frequenter naribus receptus ruborem totius faciei excitet, *ſodam*, hoc eſt capitis dolorem inducat, & jam factum atque à pituita inductum ſedet, ac denique hæmorrhagiam per nares provocet

Multa de ſambuci ligno adducta à Plinio & Theophraſto prætermitto; ſileoque ſanguineas ejus baccas tingendis olim deorum ſimulachris uſurpatas, omina olim deſumpta & pręſagia futuræ vindemiæ, agrorum fertilitatis, rerumque ſimilium de quibus agit Marcell. Virgil. ad cap. 168. lib. 4. Dioſcorid. Notabis porro cum Avicen. Sambucum albam calidiorem citrina, &

citrinam purpurea: quodque ad flores attinet, ad venenatos morſus valere, quod ſint umbellati, referantque apicem Pavonis & cornua nonnullarum ſerpentum, ut ceraſtæ & baſilici. quemadmodum obſervat Porta in Phytogno.

De Croco.

Cap. XLIX.

Confortare crocus narratur lætificando.
Et partes laxas firmare, hepar reparando.

Hic agitur de proprietatibus quibuſdam Croci. Ac primo quidem corpus roborare dicitur, eique lętabundam quandam conciliare alacritatem jucunditatemve, pręcipue ſi quis eo modice utatur. Immoderatius enim ſumptus, pondere nimirum trium drachmarum, lethalis eſt.

Deinde vero membra defecta, id eſt, debilia ac proſtrata reficere, inque vigorem ſuum reſtituere traditur. Superat enim in eo calefaciens & qualitas & facultas, ut tota ejus eſſentia ſecundi ſit ordinis excalefacientium, & primi exſiccantium: proinde concoquendi, maturandi, emolliendi aperiendi, & diſcutiendi vim quandam habet, adjuvante ſcilicet paucula quadam adſtrictione. Cor non parum exhilarat, ipſumque adeo ac ſimul etiam hepar atq; alias corporis partes, ob inſidentem nimirum adſtrictionem ita corroborat, ut non facile diſſolvi queant, obſtructioneſque tollit. Quinetiam ſtomachum moderato calore ſuo firmat, ejuſque tum coquendi, tum diſtribuendi facultatem adjuvat. Immodice tamen illo

utendum non eſt : quippe qui ita nauſeam facile moveat, & cibi inappetentiam, Græci ἀνορεξίαν vocant, efficiat: ſi quidem aciditatem in ventriculo extinguit, quæ pręſertim appetentiam excitat. Siccando mediocriter diſpoſitionibus pectoris phthiſicis auxiliatur, putredines corrigit, anhelitum facilem reddit, ejuſque inſtrumenta corroborat. Nam ſi uſus ipſius mediocris fuerit, facilem reſpirationem & amabilem coloris bonitatem facit, ſin vero citra modum, pallorem inducit, cerebrum infeſtat, capitis dolorem commovet, ſenſus obtenebrat, & oculos hebetat. Vino impoſitus vehemenrer inebriat, adeoque exhilarat, ut inſaniam maxime alactem & lætabundam pariat. Si quis vero ex paſſo biberit, crapulam non ſentiet, Additur in potiones, quæ intetaneorum cauſa temperantur, Pituitoſa vitia & lethargica ſanat, Somnum conciliat, Venerem ſtimulat, menſes & urinam ciet; Mulieribus difficulter parientibus in potum duarum drachmarum pondere exhibitus, partum accelerat. Illitus cum humano lacte viſum abſtergit, & oculorum fluxiones cohibet. Aurium remediis utiliſſimus eſt. Vergentes ad ignem ſacrum inflammationes inunctus lenit. Vulvæ ſediſque cataptaſmatibus utiliter inditur. Plura Dioſcorides lib. 1. cap. 25. Plin. l. 21. c. 20. Galenus l. 7. de ſimpl. med. facult. c. 75. Simeon Sethi in Syntagmate, Serapion c. 173. ſimpl. & Avicenna l. 2. Cano. cap. 129.

Animadverſio.

CRoci appellatione non ſolum tota cum radice herba intelligitur, verumetiam ipſa tantum

floris ſtamina propter excellentiam; quo ſenſu à Salernitanis caput iſtud inſcriptum fuit. A græcis ὁ κρόκος ἢ τὸ κρόκον vocatur, ſicut à Latinis Crocus & Crocum. Quod nomen deductum eſt vel juxta Buxtorfium ab Hebræo *Carcum* & *Crocom*, vel juxta Callimachi Scholiaſtem παρὰ τὸ θάλλειν ἐν κρύει; ſeu ut loquitur Ethym. auctor παρὰ τὸ κίειν καὶ ἀναβλαστάνειν ἐν τῷ κρύει, quod *vireſcat & floreat in frigore*, vel ut Galeno placet fabularumque ſcriptoribus, à *Croco Adoleſcente* qui inter ludendum, diſco à Mercurio occiſus in florem ſui nominis mutatus fuit. Alii malunt ἀπὸ τῆς κρόκης derivare, quæ vox *filum*, *villum*, *tomentumve* ſignificat, cujuſmodi ſunt Croci flava flammeaque ſtamina, ſeu villi. Galli *Saffran* vocant romine deducto ab Arabico *Zahafaran* & *Zafaran*; ſunt qui *Caſtorem*, *cynomorphum*, & *herculis ſanguinem* à Magis dictum velint non ſatis cognita ratione.

Nomẽ Croci.

Genera Croci duo: ſatiuum & ſylveſtre, quamquam alii plures à regione ejus ſpecies enumerẽt; Coryceũ ſcilicet, Lycium, Acolium, Cyrenaicum, & Siculum Centuripinum, addo Narbonenſe quo nullum hodie multis Magnatibus vectigal majus. Garcias ab Horto lib. 1. hiſt. aromat. cap. 39. & 42. meminit *Croci Indici* quo utuntur ad tingendos condiendoſque cibos, quemque ab Avicenna can. 2. cap. 166. dictum *Careuma* ſive *Carcumani*, ſcribit; vocari quoque ab Arabibus *Curcum* & â Turtis *Saroth* monet Chriſtophorus à Coſta capite 30. libri aromatum: ex quo apparet decipi eos qui *Curcuma* Arabum putant eſſe vel *Rubeam*, vel *Chelidonium*, cum Crocum deſignet, antidotumque credunt *diacurcuma*, aliam eſſe ab antidoto διὰ κρόκου, cum corruptum ſit ex Græco non minus quam *Carcomagma* Avicennæ ex Græco

Genera.

κροκόμαγμα quemadmodum Anonymus, ſed doctiſſimus auctor notavit commentariis ad cap. 39. lib. 1. de hiſtoria arom. ſcripta à Garcia.

Eſt autem Crocus calidus ordine ſecundo, ſiccus primo, parum ac mediocriter adſtringens, atque, ut inquit Galenus 6. ſimplic. concoquens & maturans. Serapio cap. 173. ſimplicium ex Galeno calidum in ordine tertio collocat manifeſto errore; apud Avicen. idem error irrepſit, ponitur enim calidus eſſe primo gradu, ſiccus ſecundo, contrario à Galeno ſenſu. Dioſcorides vim illi coquendi, emolliendi, atque ſubſtringendi tribuit, Simeon Sethi vim aperiendi & diſcutiendi. Temperamentum.

Non credo iis qui exiſtimant crocum juſculis addi tantum *ad coloris elegantiam*, non ad commoditatem: nec Theſſalo affirmanti *bonitate odoris ſolum commendari*. Nam Dioſcorides ait miſceri eum utiliter juſculis, εὐχροιαν conciliare, arcere crapulam, potum cum paſſo, urinam ciere, veneremque ſtimulare. Simeon addit εὐςόμαχον eſſe, concoctionem ciborum juvare, ὠφέλιμον τοῖς σπλάγχνοις viſceribus utilem (ſic enim verto non inteſtinis cum Lilio Gregorio,) denique moderata quantitate ſumptum pituitoſos affectus ac lethargicos ſanare; difficilem reſpirationem tollere: nimia vero copia aſſumptum, pallorem, & capitis dolorem invehere & cibi appetentiam auferre. Narrat commiſtum juſculis Horat ſat. 4. lib. 2. ſermonum, condimentis variis adjectum Apicius memorat, noſque paſſim eo utimur ad condienda juſcula è piſis parata, & ad pultes ex frumento, milio, hordeo aliiſque ſimilibus deaurandas. Vſus in cibis.

Mirum autem, nullum veterum perſtrinxiſſe primum croci effectum quem afferunt Salernitani, vim ſcilicet excitandi lætitiam: quod ego præ-

ſtare crediderim, tum propter ſuavitatem odoris, cujas proprium eſt ſpiritus recreare ac reficere: tum propter vim ejus diureticam, defœcando ſanguinem illuvie ſua ſeroſa, tum denique propter rarefaciendi virtutem, inſpiſſatos ſpiritus coactoſque humores diſrarando. Hoc autem ut efficiat, moderata quantitate aſſumi debet, aliàs riſum provocaret lethalem ac vere Sardonicum, & ut loquitur Avicenna, excitaret *roona*, id eſt riſum ſine cauſa. Scribit enim Simeon Sethi ejus tria hexagia, ſeu ut alii volunt, tres drachmas riſum excitare θανάτε πρόξενον *mortis prænuntium & hoſpitem.* Vidit Jul. Alexandrinus mulierem prænobilem Tridenti eliciendorum menſtruorum cauſa juſto plus croco uſam, horarum circiter trium ſpatio immodico riſu concuſſam ſine ullis convulſionis ſignis, quod quidem addit, quia nonnulli arbitrati ſunt croco caninam convulſionem induci: quod certe crediderim ubi adeo effuſus eſt riſus ut mortem afferat; ex violenta enim atque continua buccarum retractione quæ in riſu contingit, muſculus crotaphita nervique ipſi motorii incaleſcunt, moventur, contrahuntur, exareſcunt, demumque convelluntur, omnis autem convulſio à ſiccitate, lethalis, ex Hippocrate: Unde vero talis à croco riſus irritetur, an à qualitatibus manifeſtis, an ab occultis, fateor me nondum apud quemquum legiſſe quod mihi ſatisfaceret. Credunt quidem omnes effundi & diſſipari omnes ſpiritus eo effrœnato gaudio & riſu, ſed qua ratione riſus ille exitetur nemo exponit. Dioſcorides ſimpliciter θανάσιμον dixit crocum ad tres drachmas ex aqua potum: Scalig. exercit. 32. art. 2. maleficium croci regerit in ſecundas ejus qualitates, quæ ſunt, *aperire & laxare viam ſpiritibus, ita ut*

abeant : Sed hoc minime eſt proferre cur riſum moveat crocus Franc. Valleſius controverſ. lib. 5. cap. 9. ejus rei cauſam revocat ad calefactionem ſepti tranſverſi à qus agitatur interius innatum calidum ; ſic ut non poſſit facultas ſeptum continere : idem enim tum accidit diaphragmati ac ſi læſum eſſet, certum autem eſt ex Ariſtotele 3. de partib. animal. cap. 10. ictu traiecta præcordia in præliis, riſum attuliſſe *διὰ τὴν ἐκ τῆς πληγῆς γινομένην θερμότητα ob calorem quem movet vulnus*. Affert quoque hiſtoriam Tychonis Hippocrates 5. & 7. epidem. qui ex vulnere diaphragmatis in riſum tumultuoſum effuſus fuit. In Sileni hiſtoria ſect. 3. lib. epidem. ab Hippocrate relata obſervatum eſt Silenum graviter laborantem tertio die in riſum erupiſſe, *noc potuiſſe ſe continere*, de quo quidem riſu prçternaturali multa eleganter Mercurialis comment. in eum locum, & Marius Zuccarus obſervationibus in libros epidem. diſputarunt ; quæ ad riſum à Croco inductum aliqnatenus transferri poſſunt ; non ita tamen ut difficultatis nodum exolvant. Moſes Iſraëlita aph. 59. ſect. 9. tantum abeſt ut reddi poſſe rationem dicat riſus iſtius prçternaturalis, quin contra probat ex Galeni mente ne quidem cauſam aſſignari poſſe riſus qui ex titillatione alarum, aut ex auditu jocorum commovetur ; quod etiam abſurdum non videtur Valeriolæ lib. 3. enarrat. medicinal. enarrat 9. ubi naturam riſus exponit fuſiſſime, & Ciceroni ſecundo de oratore. Quamvis autem in tantis tenebris me nullum lumen habere profitear, attamen nemo ſuccenſere mihi debet, ſi ad illuſtrandam hanc difficultatem in medium non nihil produxero. Opinio noſtra.

Imprimis ergo exiſtimo riſum à Croco indu-

ctum improprie riſum dici, cum non inducatur à
cauſis riſus naturalibus, hoc eſt à motu animi
ex re jucunda concitato, neque à corporis ob-
ſequio animi voluntatem ſequentis. Certum
quippe eſt riſum naturalem excitari in animo ex
re jucunda commoto, & commovente continuo
organa corporis: quod ſi organa prius movean-
tur, quam animus vel velit, vel jubeat, deeſſe
primam naturalem riſus conditionem neceſſa-
rium eſt; invertitur enim ordo naturæ. Ex
quo quidem fundamento colligimus riſum phre-
neticorum & ſtultorum riſum eſſe proprie di-
ctum, quod ſequatur imperium animi ex obje-
cto jucundo gaudientis, in eo tamen naturalis
non eſt, quod objectum illud non ſit verè ju-
cundum, ſed apparenter tantum; credit quippe
animus delirantium ſe obſervare aliquod obje-
ctum jucundum reale, quod tantum tamen eſt
phantaſticum: colligimus inſuper riſum irato-
rum & ſimulantium improprie riſum dici, cum
in tali riſu (quem Sardonicum vocant) organa
tantum commoveantur riſum efficientia, non
animus.

Secnndo loco arbitror riſum à croco motum
potius eſſe convulſivum quam riſum: ſic par eſt
& æquum credere, riſum excitatum à vulnere
Diaphragmatis convulſionem eſſe, qualem mem-
branoſarum nervoſarumque partium læſio pro-
fert, quæ quidem convulſio ſæpenumero in mo-
dum ac formam riſus contingit. Ita pleroſque
obſervavi quibus extractus fuerat calculus è ve-
ſica, aut amputatus teſticulus, primis diebus
ridibundos apparere, facto oris rictu, demum
dentes paulatim conſtringi, impediri deglutitio-
nem, aboleri poſtea, os firmiter claudi & re-

trahi, ac denique convulsos obire. Causa ejus rei sympathia est partium nervosarum cum cerebro: intemperies quippe calida & sicca impressa nervis ac membranis communicatur nervorum principio, altiusque ei infigitur: ex quo fit ut musculus crotaphita nerveo tendine præditus, pericranio involutus, multis nervorum ramulis perfusus, quorum 1. est à secundo nervorum pari, 2. à tertio, 3. à quinto; ex quo, inquam, contingit ut crotaphita musculus ob viciniam cerebri maximamque per insignes illos nervos communionem retrahatur versus sua principia, & rictum oris risus instar efformet. Accedit ad hoc communio masseterum cum cerebro & musculo crotaphita: Tertium enim nervorum par duos ramos emittens, alium ad musculum temporalem distribuit, alterum in multos ramulos divisum per labrum superius disseminat, per musculum quoque massetera, & per musculos buccæ, unde major risus similitudo emergit; quia massater una cum crotaphita convellitur, atque hæc est causa cur qui diaphragma vulneratum habent, ridere videantur. Ambo enim nervi diaphragmatici à spinali medulla inter quartam & quintam colli vertebram enati, & juxta centrum diaphragmatis inserti; nervuli præterea alii à costali & stomachico prodeuntes illi adjuncti, possunt communicare cerebro, dein crotaphitæ musculo, intemperiem atque labem ex vulnere impressam diaphragmati, unde convulsio risus æmula. His ita delibatis asserimus quidem risum à Croco effectum, convulsivum esse motum, sed à diaphragmate non pendere, sicut voluit Valesius; imo potius à ventriculo & ejus orificio, cujus nervi, croci

calore, ſiccitate, digerendi atque diſcutiendi facultate, ejuſdemque terrena ſubſtantia exſiccati, arefacti, excalefacti, vitium cerebro communicant, crotaphitæque muſculo, unde riſus convulſivus & lethalis. Adjuvat hanc labem virtus καρηβαρικὴ croco tributa, per quam dicitur à Simeone Sethi *capitis dolorem* inducere, à Cicerone 3. de orat. *acerrimæ* eſſe *ſuavitatis*, à Plinio libr. 21. capit. 20. *caput movere & ſomnum facere*, à Galeno 2. libr. de compoſ. medic. κατ. τοπ. *tentare caput & capitis gravitatem inferre*. Denique calamitatem hanc non parum promovet vis rarefaciendi ſpiritus atque commovendi, croco exiſtens, cujus opera fit ut ſpiritus accurrentes in ſubſidium laborantium nervorum, coire non poſſint nec robur eis afferre: agitantur enim continuo à croco, diſgregantur ac velut diſpelluntur: non recreati igitur nervi calore ſpirituum influente, nativo privantur, hoſtilemque coguntur admittere qualitatem, à qua motus ille convulſivus. Eandem vim excitandi ſimilem riſum habere narratur genus illud ranunculi à Dioſcorid. commemoratum in inſula Sardinia creſcens, herba pręterea Gelotophyllis à Plin. deſcripta, morſus quoque cujuſdam Aranei flumen Alactonium accolentis ex Strabone, ictus Tarantolæ & Jarcotellæ ex Zenodoto, & Epiphanio Ferdinando qui luculentum tractatum de Tarentola hiſtoriis ſuis medicis inſervit. Atque hæc dicta ſufficiant de gaudio & riſu qui à croco excitari dicitur. Reſtat oſtendendum croco vim ineſſe roborandi, ſeu confortandi partes omnes, præſertim nutritias atque genitales. Ac certe jam dictum fuit ex Simeone eum εὐστόμαχὸν eſſe, καὶ περὶ τὴν τῶν τροφῶν

πέψιν

πέψιν συνεργεῖν *ciborum coctionem juvare, bonumque colorem parere.* Franciſcus de Verulamio in hiſtoria vitæ & mortis, uſum croci quotidianum ad prolongationem vitæ conferre ait, majoreſque noſtros nobis fuiſſe vivaciores, quod apud eos crocus magno in uſu eſſet in placentis, juſculis ac ſimilibus. Addit hybernos vivaces eſſe admodum quod utantur linteis & induſiis croceatis; cum *Crocus ex omnibus quæ novimus ad cutem & confortationem carnis optimus ſit, tum quod notabiliter adſtringat, tum quod habeat inſuper oleoſitatem & calorem ſubtilem ſine ulla acrimonia.* Inſuper obſervat quendam Anglum, quod Croci ſaccum circa ſtomachum geſtaret bene ex mari habuiſſe, ac ne ullam quidem nauſeam percepiſſe, cum antea *ex mari graviſſime ægrotare ſolitus eſſet*, Scaliger exercit. 246. art. 5. Scotos narrat adverſus pediculos induſias croco tingere, ob vim ejus inſectis, venenatiſque beſtiolis infeſtam, ex quo factum crediderim ut crocodili conſpecto croco fugiant: ſolent enim hoc artificio qui in Ægypto mel colligunt, ſeſe armare adverſus Crocodilos, quemadmodum refert auctor Ethymologici. In ſummum Iſaac Arabs in diæt. particul. crocum notat *confortare ſtomachum, hepatis oppilationem aperire, anheloſos juvare, urinam & menſtrua provocare, & membra debilia omnia confortare:* Quod ad genitales partes attinet, eum certum eſt venerem ſtimulare. Adnotatum eſt à Plutarcho in Iſocrate eum pronum fuiſſe in Venerem forte quod κρόκῳ διάβροχον ἔχει τὸ προσκεφάλαιον, *haberet pulvinare croco madidum.* Numerat Ariſtophanes in nubibus inter ea quæ ſerviunt luxui muliebri *unguentum croceum & oſcula columbatim facta*, μύρον, κρόκον, καταγλωττίσματα. Inter

flores quos terra effudit Jovi & Junoni dum mutuis amplexibus fruerentur., fuit crocus apud Homerum (Iliad. ζ. & ex Martiano Capella Crocum solitum spargi lecto nuptiali colligitur. Baptist. Porta ideo stimulandæ veneris virtutem croco tribuit, quod radice testiculos imitetur, ideoque ad pulchros filios generandos valere, quod florem habeat spectandæ venustatis.

Vis roborandi inest Croco.

Si quis vero sciscitetur, unde vis ista roborandi singula membra croco accedat, dicam quod pluribus forsan ridiculum & absurdum videbitur, non tam ab ejus calore aut suavitate odoris, quam ab ejus *vi narcotica* proficisci. Sic enim appello eam facultatem qua somnum provocare, ebrietatem arcere, pedum dolores sopire, mentem tentare, crapulam hebetare, circumfertur. Ejuscemodi enim est natura narcoticorum, ut non solum consopiant, stupefaciantque, sed etiam dementent, ferociam excitent, ad venerem provocent, vigoremque animi & corporis accendant. Meminit Scaliger exercit. 175. herbæ Amfiam, quam papaver album esse credit, cujus esu certum est venerem exstimulari. Utuntur Turcæ alio herbæ genere cujus pulvis moderata copia assumptus vigorem animo & corpori addit, largius sumptus mentem movet & turbat. Apud Indos radix Betel ore recepta & mansa corpus recreat, lassitudinem discutit, ad coitum invitat. Coca tabaco ammixta (quod Hyosciami genus esse videtur) ebrietatem mentisque alienationem concitat. Nonne styrax calefaciens, emolliens, coquens, vim narcoticorum habet ex Galen. comment. 5. ad partic. 13. libr. 6. epidem. quòd liberalius

Narcotica.

hauſtus inſtar narcoticorum dementare ; atque adeo interficere poſſit? Cicuta dementiam advocat, & corporis circumgyrationem, & convulſionem, mortemque ipſam etiam ſine ſopore, ex Scaligero exercit. 152. Solanum quia maniam, ſeu furori ſimilem inſaniam parit, *Manicum* vocatur. Hyoſciamus altercationes movet ; hinc nomen illi *Altercum* fuit. Quid plura commemorem ? his & ſimilibus narcoticis roborandi facultas ineſt per condenſationem ſpirituum, atque congregationem ; quó plures a utem in aliqua parte congregati ſunt ſpiritus, eo vis major ac potentior, quemadmodum Verulamio demonſtravit in hiſtoria vitæ & mortis. Hac ergo virtute narcotica præditus crocus partibus ſingulis robur addit ſpiſſando & cogendo ſpiritus, eorumque virtutem uniendo : & fortaſſe nonnulli admittent ab eadem vi narcotica induci motum illum convulſivum riſus æmulum, de quo ſupra, cum alia narcotica convulſionem pariant. Longe plura de croco ex probatis auctoribus adduci poſſent, & quod olim per gradus Theatri ſpargeretur, & quod in immenſam altitudinem latentibus fiſtulis exprimeretur, & fragranti nimbo ſpectatores ludorum irroraret ; & quod Eumenidum Cereriſque coronamentum eſſet, & quod ex ſanie hepatis Promethei è terra productus ſit ; & quod χρυσαυγὴς à Sophocle, à Triphiodoro χρύσειος, ξανθὸς à Thocrito, ἡδὺς à Callimacho, ſpica Ciliſſa ob Ovidio & Propertio vocatus fuerit, non ſine longo contentionum inter Criticos fune. Conſule Scaligerum notis ad Propertium, Petrum victorium Variarum lection. lib. 14. c. 8. Scholiaſtem Sophoclis ad Oedip. Colon.

Scholiastem Apollonii Rhodii ad lib. 3. Senec. epist. 90. Lipsium de amphitheatro cap. 16. Pas. chalium de coron. lib. 3. Amatum Lusit. enarrat. ad c. 25. lib. 1. Dioscor. & Ardoynum de venenis lib. 3. c. 42.

De Herbarum Seminibus ac primo de sinapi.

Cap. L.

Est modicum granum, siccum calidumque, Sinapi.
Dat lachrymas purgatque caput, tollitque venenum.

DUO hoc in loco potissimum aguntur. Primo namque perpusillum illud granum, quod σίνηπι aut νάπυ Græci, Latini vero Sinapi vocant, ad calefaciendum desiccandumque efficax esse traditur; & hoc quidem Galeno libr. 7. c. 5. de simpl. medic. facultat teste, in quarto gradu. Deinde vero tres eidem adsignantur facultates.

Prima, quod lachrymas eliciat: excellenti enim caliditate sua humiditates, quæ in cerebro sunt, attenuat, incidit, liquefacit & dissolvit: illis itaque fluentibus simul etiam lachrymæ prosiliunt.

Secunda, quod caput purget: commanducatum enim pituitas capitis per os ducit & purgat. Quin etiam tritum, naribusque admotum, sternutamenta ciet, quibus meatuum obstructiones tolluntur, & cerebri vitia expelluntur: eaque ratione comitialibus & apoplecticis mirifice succurrit.

Tertia, quod venenum tollat: ſuffitum namque ac incenſum ſerpentes fugat; ad eorundem quoque & Scorpionum ictus cum aceto tritum magna utiiitate illinitur, fungorumque venena diſcutit. Ad hæc lienis etiam affectibus ex humiditate & flatu procreatis confert. Item quartanis morbis, qui ex aduſta pituita contracti ſunt, præterea & podagris à pituita factis. Officit vero viſui, & calido capiti, ac jecori. Concoctionem & diſtributionem ciborum craſſarum partium adjuvat. Minuit quæ in ventriculo ſunt humiditates. Illitum lepris eas in melius mutat. Linguas etiam humiditate gravatas ſiccat. Si cum melle ſumatur, tuſſes reſolvit. Cum calicis vero iſchiadicis illitum & lienoſis, utile eſt: trahit enim, quæ intus ſunt ad corporis ſuperficiem. Plura Dioſcorides libro ſecundo capite centeſimo quadrageſimo. Plinius lib. 30. c. 22. & Simeon Sethi in Syntagmate.

Animadverſio.

Floribus herbarum ſuccedit ſemen in quo ſpes propagationis renovationiſque poſita eſt. Nonnulli eleganter ſtirpis *epitomen* vocant, in qua majeſtatem naturæ lucere volunt, anguſto loco ac velut puncto totius plantæ ornamenta deſcribentis. Jam vero tanta ſeminum diverſitas eſt, ut qui ea penitus explicarit inventus ſit nemo, alia molli vel pingui, alia lapidoſo, firmo, ſolido, alia orbiculato, anguloſo, triquetro, acuminato, perforato corpore conſtant, magno naturæ & Medicinæ miraculo, quæ ad hominis uſum & ſanitatem tantam potuit pompam expli-

care. Plerique credunt nihil intereſſe ſive ſemen dicas, ſive fructum, quos reprehendit Galen. 2. de aliment. facult. cap. 1. hic autem de ſeminibus agimus quæ veſca ſunt, quorum natura ad ſiccius ſemper & calidius, quam herbæ ipſæ, propenſa eſt ex Galeno cap. 5. lib. de attenuante victus ratione. Inter ſemina iſta Salernitani primo *Sinapi* deſcribunt, quod tribus à Græcis nominibus deſignatur: σίνηπι, σίναπυ, καὶ νάπυ Athenæus libro nono deipn. σίνηπι dictum vult ὅτι σίνεται τὰς ὦπας τῇ ὀδμῇ, *quod olfactu lædat oculos:* σίνος enim τὸ βλάβος; νάπυ autem, vel τῶ στέρησιν τῦ ἡμῖν διὰ τὴν δριμύτητα deductum: eſt hoc eſt *à privatione ſuavitatis ob ejus acrimoniam*, vel quia φύσεος ἐστέρηται, quaſi νεῖρυ dicas, *quod ſit ſine natura*, eſt enim adeo puſillum ut carere natura videatur. Galli *Mouſtardam* nominant, quia cum muſto acre ſinapis ſemen ad intinctus conteri ſolet.

Species ſinapis tres conſtituit ex Plin. Mathiolus, Fuſchius duas, quinque Dalechampius, recentiores nonnulli ſeptem. Potior ſepties de qua hic ſermo eſt *hortenſis*, cæteris major, nigra, caulo hirſuto & ramoſo, ſiliquas habens rotundas, & hirſutas plenas ſemine, vel in rufo nigreſcente, vel pallente & candido. Galenus 8. ſimplicium *calefacere ſinapi & ſiccare ordine quarto*, dixit; idque media ejus parte ex Simeone, quamvis ex Neotericis nonnulli contra rationem & experientiam primo tantum gradu excalefacere, & ſecundo deſiccare affirment, in quos invehitur Braſſavol. in examine ſimplicium.

Vſus in cibis. Præcipuam nobilitatem inter condimenta ſinapi tenet, in embamma ſive intinctum paratum,

quod *Sinapium* five *Sinaſpimus* dicitur, quamvis poſtremum iſtud à Medicis alio ſenſu uſurpetur. Parandi ratio apud varios varia, potior eſt ex muſto, quo per vindemias mulieres ſinapi maceratum & tuſum diluunt ac temperant, addito interdum ſaccharo ad emolliendam ejus ſeminis acrimoniam, interdum adjecto pauco cinnamomo, zynzibere & cariophyllis, interdum adhibitis pyris & cydoniis, vel uvis paſſis quibus *ſcelerata* vis retunditur & mitigatur. In Italia *Ferrarienſe* ſinapium præcæteris collaudari ſolet, cum prius *Vercellenſe* palmam ferret; in Gallia *Divionenſe* & *Andegavenſe* commendantur ob ſuavitatem incredibilem. Nullum præſentius condimentum irritandæ gulæ; ſed uſurpari debet hyeme potius quam æſtate propter æſtum. Sumptum moderate incidit & deterget; diſſolvitque humiditates quæ in capite & ſtomacho exiſtunt. Confert etiam morbis lienis qui ab humiditate & flatu excitantur. Convenit quoque tenuante diæta utentibus, frigidiſque viſcerum affectionibus & inde obortis cibi faſtidiis. Nonnulli profecto putant bubulam carnem inſuavem eſſe ſine condimento ſinapi, quod ſic dictum volunt quaſi σὺν ἀπὶ *cum bove*, ac ſi quis diceret cum bove ſemper conjunctum eſſe debere ejuſcemodi obſonium,

Porro vitio non caret ſi immodicus ejus adfuerit eſus; nam odore ſuo acri nares feriens ſternutamentum confeſtim excitat, & ſenſim vellicans lachrymas elicit, imo ſi quis citra aliud obſonium mandere tentaverit, roſionem protinus & moleſtiam in palato ac ventriculo ſentiet. *Pythagoras principatum habere ex his quorum ſublime*

vis feratur, judicavit, quoniam non aliud magis in nares & cerebrum penetret. Officere vero visui & capiti calido innuit Simeon Sethi, concitatis illic turbulentis exhalationibus. Paulus Ægineta libro primo capite septuagesimo quarto, *ægre concoqui, stomacho incommodum, ac mali succi esse* voluit. *Pituitam educere, quæ in ventriculo sunt disjicere, alvum madefacere, & flatus excernere*, expertus est Actuarius libro primo de curat morborum acut. capit. 2. Iras concitare proverbium ex Artemidoro desumptum ostendit; ἰσθμὸν τὸ νάπυ ἔπινεν. Isthmum sinapi bibit. Est autem *Isthmus* interseptum narium & oris gulæque intersepimentum, quod irritari esu sinapi dictum est & corrugari ira. Aristophanes in equitibus cum Cleonem ira percitum rugosa caperataque fronte, truci aspectu, vultuque furibundo demonstrare vellet, dixit:

κἄβλεψε νάπυ, καὶ τὰ μέτωπ᾽ ἀνέσπασεν,

Sinapi conspexit, & frontem contraxit. Plautus in Pseudolo, *Sceleratum* vocat, in Truculento, *triste*. *Si ecastor hic homo sinapi victitet, non censeam tam esse tristem posse.* Id enim efficere esum sinapis aiunt. Ex eo quod lachrymas moveat cecinit Ennius.

Nec triste quæriras sinapi neque mœstum cæpe.

Si quis scire voluerit cur sinapi admotum cuti ulceret, devoratum non ulceret, legat probl. 30. libr. 1. Alexandr. Aphrodis. Ex sinapi fit *Sinapismus* cujus usus frequens in morbis, & novissime in venenatis omnibus & pestilentibus; apud Italos præsertim, à quibus magnæ de hac re controversiæ excitatæ sunt. Sed dignum

notatu quod inquirit Caſſius problem. 62. ſinapiſmum videlicet ex aqua paratum validius ruborem excitare quam tritum ex aceto, quod tamen adverſatur iis qui propter acetum ſolum putant ſinapiſmum ruborem efficere, tu repete ejus rei rationes apud eundem Caſſium.

De Aniſo.

CAP. LI.

Emendat viſum, ſtomachum confortat Aniſum
Copia dulcoris Aniſo ſit melioris.

DUæ hic referuntur utilitates Aniſi. *Primo* namque viſum emendat, & maxime quidem foris impoſitum. Atque hinc ſane apud Plin. libr. 20. capit. 17. naturalis hiſt. epiphoris oculorum è vino radicem ejus tuſam ab Jolla imponi ſolitam legimus. Ipſum cum croco pari modo & vino, & pertritum cum polenta ad magnas fluxiones, extrahendaque ſi qua in oculos inciderint.

Secundo deinde loco ſtomachum roborare dicitur, quod profecto de ſemine ejus potiſſimum intelligendum eſt. Illud namque, ut lib. de ſimpl. med. facult. cap. 44. Galenus aſſerit, maxime utile eſt, acre & ſubamarum, ut prope ad utentium accedat caliditatem. Eſt autem & in ſiccando tertii ordinis, ſicut & in calefaciendo. Stomachum igitur calefacit, & qui in ipſo ſunt humores craſſos ac frigidos lentoſque attenuat, incidit, liquidoſque & expulſioni accommodos red-

dit. Inflationes quoque, quæ ab iisdem proficiscuntur, discutit. Atque hinc adeo fit ut stomachus tum repurgetur, tum exsiccetur, & onere quo gravatus fuit, deposito roboretur. Quin etiam visui eadem ratione conferre existimandum est: quippe cui nihil æque noceat, atque stomachi impuritas. Hinc enim impuri, fœtidi, atque turbulenti fumi ad oculos sublati noxam spiritibus visivis invehunt. Melius ad hoc semper recens *anisum*, non furfurosum, dulcedine & odore præstans. Præter has utilitates, & aliæ quam plurimæ à Dioscoride libro tertio capite quinquagesimo quinto, à Plinio loco paulo ante citato, à Serapione cap. 242. & ab Avicenna lib.2. Can. cap. 1. recensentur. Oris enim halitum jucundiorem facit, doloris levamentum pręstat, urinam ciet, discutiendi vim habet, aquam quæ subiit cutem dissipat, potum sitim ex salsis humoribus contractam extinguit, animalium venenis adversatur, valet ad inflationes; alvum & fœminarum profluvia tostum sistit, lac ad mammas elicit; venerem stimulat, dypsnœas à pituita profectas tostum purgat, cum melle sumptum melius; vetustis & antiquis ex frigore hepaticis affectibus prodest; Jecoris, lienis, renum, uteri ac reliquorum etiam viscerum obstructiones tollit; vias enim ab humoribus crassis, frigidis ac lentis pręclusas & obsessas aperit; atque ob id febribus quoque opitulatur antiquis: dolores capitis levat, suffitum naribus: cum rosaceo tritum instillatumque, fractis auribus medetur.

Animadversio.

VUlgaris est cognitionis *Anisi* semen, quod Gręci & ἄνισον, quasi ἀνίκητον vocavere quoniam *appetentiam cibi præstaret, &* ἄνησον ὅτι ἀνίησι τὰς ἐμπνευματώσεις quod *flatu discutiat*. Nonnulli fœniculum Romanum & cyminum dulce appellant, licet Romani fœniculo nostro non destituantur. Ejus differentias à regionibus desumptas non moror; unum observo sedulo in lectione Avicennæ animadvertendum; perperam illum Anisum statuere ex Galeno calidum secundò ordine, siccum tertio, & ex Dioscoride calidum & siccum in tertio: primo enim Dioscorides gradum non apponit, Galenus vero 6. simplic. & ejus epitomator Paulus & in desiccando & in calefaciendo tertii esse ordinis scripserunt, quod sane facili negotio deprehenditur ex ejus acrimonia & amaritudine, accedendo prope ad urentium caliditatem. Est tamen illi nonnulla dulcedo quæ acrimoniam retundit caloremque temperat à qua vis illi inest nutriendi, ut notat idem Avicen. lib. 3. fen. 13. tract. 5. cap. 13. Cum autem Anisum nostrum gustu suave sit, nec ita os inflammet, aut amaro sapore repleat, crediderim nostrum, non ita esse calidum sicut voluit Galenus, proindeque differre ab Aniso Galeni quod vel erat Sirium, vel penitus vetustum; observamus enim vetustum Anisum amarescere, minusque reddi suave. Genus. Temperamentum. Aviccennæ error.

Fuisse autem olim in præcipuis condimentis, testes sunt Dioscorides & Plinius: & *inter pauca laudatum à Pythagora, sive crudum, sive coctum, item viride, aridum, omnibus quæ condiuntur quæque intin-* Vsus in cibis.

guntur desideratur; *Panis etiam crustis inferioribus subditum*. Oris halitum commendat, fœtoremque tollit: vultum juniorum præstat, depurando scilicet ac defœcando sanguinem obstructionesq; removendo. Multa habet Plinius l.20.cap.17.quæ huc transferre non licet, Nostris sęculis & à rusticis & à Magnatibus Anisum expetitur: Rustici suas placentas eo condiunt, & facchari loco utuntur vel piperis, eo etiam poma pyraque cocta aspergunt. Incrustatur saccharo pro divitibus quo utuntur ad suavitatem odoris conciliandam, ventos pellendos, ventriculum roborandum. Adjicimus etiam pani Biscocto non inutiliter. Porro Salernitani potius commendant Anisum dulce quam acre, hoc enim calidius est, illud mitius ac benignius, soletque ejuscemodi Anisum vocari ad Actuario γλυκάνισον.

De Anetho atque Coriandro.

AP. LII.

» *ANethum ventos prohibet, minuitque tumorès,*
» *Ventres repletos pravis facit esse minores;*
» *Confortat stomachum, ventum removet coriandrum.*

Animadversio.

HOc caput ex manuscript. addimus ne quis Anethum & Coriandrum desideraret. Est vero anethum dictum à Gręco ἄνηθο· quasi ἀνίκητον, ac si *aliis omnibus medicamentis præcelleret*. Malunt nonnulli deductum ab ἀνηθεῖν quod *ad coitionem*

venercam latessat. Illi tanta olim dignitas, ut flos omnis Græcis ἀνήθινὸς diceretur ἀπο τοῦ ἄνω τείνειν. Ex Rhodigino lib. 27 cap. 26. ei locus fuit in coronamentis frequentissimus ex quo vocatus à Mosco *florens cripusque flos*, εὐθαλὲς ὅλον ἄνηθον, à Virgilio beneolens.

Narcissum & florem bene olentis anethi

Eclog. 2. Tale coronamentum adhibitum in conviviis notat Galen. 6. simplic. ac preterea Theocritur ειδ: ζ.

Temperamento autem est excalefaciente in fine secundi gradus aut principio tertii, & desiccante ordine primo deficiente aut secundo incipiente; ex eodem Galeno. Avicenna vult excalefacere anethum inter secundum & tertium gradum, exsiccare inter primum & secundum. Placet Isaaco ut desiccet in medio secundi gradus. Conciliari posse credit hos viros Savanarola, si dixerimus Avicennā locutum de viridi & humido quod sicco mitius est, Galenum de sicco quod est magis in usu. Unum magis me urget; videlicet ipsa Galeni auctoritas ipsimet Galeno opposita, scribit enim lib. terti. simpl. cap. 13. *Anethum & fœnigræcum calida esse primo gradu tantum*; cui adstipulatur Averroes 5. collectaneorum. Huic auctoritati respondendum duco lib. illo 3. simpl. loqui Galenum de anethi herba, libro vero sexto de ejus semine, quod constat calidius esse herba; quodlibet enim semen ex Galeno tertio de attenuat. victus ratione cap. 5. & siccius & tenuans magis, proinde etiam calidius. Dici etiam potest ibi Galenum verba facere de herba illa recenti, nam libro quinto simpl. cap. 21. herbam anethi & fœniculi recentem & humidam, ait esse medicamentum simul & nutrimentum; siccam vero plusquam opor-

teat & excalefacere & deſiccare. Porro Avicenna Galeno eſt adverſus in eo quod ſcribat uſtulatum anethum ordine tantum ſecundo deſiccare, cum ex Galeno deſiccet in tertio, adeo ut inveterata præputii ulcera probè cicatrice obducat, quod etiam probatur Iſaaco. Nullus autem eſt qui illi flatus diſſipandi facultatem denegarit, eſt enim ſubtilium partium, virtutis calefacientis, digerentis, crudos & incoctos humores concoquentis. Tormina & inflationes finire monet Dioſcorides libro tertio capite ſexageſimo, flatus qui in ventre fiunt diſcutere & laborantia corpora ex immodico labore curare, addit Simeon Sethi. Quod autem dicitur *minuere tumores*, tractum ex Galen. qui ſcribit 6. ſimpl. anethum eſſe ἀπέπτων, καὶ ὠμῶν ὄγκων πεπτικὸν crudorum tumorum maturativum: quod notandum eſt adverſus interpretationem vulgarem quæ loco *tumorum*, *humorum* habet. Mentem Galeni aſſecutus eſt Iſaac, *ventoſitatem*, *inflationem & tumorem diſſolvendi vim* anetho tribuens, in qua quoque ſententia fuit Avicenna anethum vocans *apoſtematum maturativum*. Simeon Sethi ait quibuſdam viſum anethum εὐστόμαχον, eſſe aliis κακοστόμαχον; prioreſque illos rationem habuiſſe ejus caliditatis & facultatis diſcutientis flatus, humiditatem ſuperfluam concoquentis: poſteriores vero rationem habuiſſe ejus ſubſtantiæ *craſſæ*, *concoctu difficilis*, & *nauſeoſæ*, παχυμερὲς, δυσπέπτου καὶ ναυτιώδους. Profecto Plinius libro vigeſimo capite octavo anethum dixit *ructus movere*; Avicenna ex Galeno retulit *nocere ſtomacho & in ſemine ejus eſſe vomitationem*, quod tamen non memini legiſſe apud Galenum: imo vero dolorem ſedare, ſomnum

conciliare, concoquere, lacque generare professus est. Cujus postremi effectus cum mentio facta sit, juvat inquirere, an & quomodo Anethum lactis copiam producat. Huic quæstioni satisfacit Isaaci commentator Petr. Hisp. docetque alia lac augmentare & generare *materialiter* ut faciunt cibi optimi, alia *excitativè* ut est continua attractio mammillarum quæ excitando dolorem fluxionem invitat, alia *pungendo mammas*, sic fricatio mammillarum cum urtica lac advocat; alia *adjuvando penetrationem sanguinis ad mammas*, qualia sunt calida & sicca præsidia; necnon diuretica, alia denique *dissipando flatus crassos* transitum & meatum à mammis ad uterum opplentes ne infarcientes, impedientesque ne sanguis menstruus ab utero feratur ad mammas, atque his duobus postremis modis concludit Anethum lac generare, quibus tertium addit Galenus 3. simpl. cap. 21. nempe *nutriendi facultatem*. Verum ut ad priorem quæstionem revertar, nemo præter Avicennam dixit Anethum vomitum provocare: omnes autem affirmant ipsum sedare singultum cujus rei causam repete ex eodem Hispano. Ipse etiam Dioscorides dixit ipsum ex alto surgentes vomitiones sistere, & singultus lenire, quæ qua ratione cum Avicenna conveniant non video, nisi dixerimus per ἐπιπολέος ἐμέτος intelligendos esse leves vomitiones & à levi causa incitatas; puta à pauco flatu qui facile consumi ab Anetho potest, sicut dissipari potest ille flatus qui singultus inducit.

Cæterùm, duo insuper effectus Anetho tribuuntur qui sine difficultate non sunt: alter est an *venerem excitet aut extinguat*, alter an *somnum conci-*

liet, ac inter narcotica constituendum sit. Quod ad primum attinet; jam monuimus dictum ipsum quod ad venerem invitet; deinde inter obsoletas appellationes nominatur κυνοκεφάλυ καὶ ἑρμοῦ γένος, *Cynocephali & Mercurii genitura*; non sine mysterio. Denique Galenus 5. simpl. docet ea quæ lac generant, semini quoque producendo dicata esse; admittunt autem lac generare anethum, fateantur ergo necesse est semen quoque augere, proindeque veneris stimulandæ obtinere facultatem. Verum Dioscorides *semen extinguere*, Plinius *genituram hebetare*, Avicenna *semen intersecare asserunt*, hac de causa quod ea quæ vehementer desiccant, quæque flatus discutiunt, veneri prorsus inepta existant. Hanc difficultatem duobus verbis dissolvit Dioscorides scribens *genituram extinguere anethum continue potum*, quasi innuat moderatum & parciorem ejus usum veneri prodesse, immoderatum & continuum adversari ob vim ejus desiccandi eximiam, maxime cum non est recens & humidum, sed siccum & vetustum.

Annarcoticū Ad secundum quod spectat, Galenus vim inducendi somnum illi tribuit 6. simplic. admisceri acopis dictitat lib. κατ. τόπ. ὑπνοποιὸν agnoscit Symeon, somnum conciliare fatentur Isaac & Avicenna: qua quæso virtute, narcoticane? non crediderim, sed ubi datur intemperatis hominibus, torsiones & dolores à multo flatu per ventrem oberrante patientibus, flatus dispellit, submovet & consumit; sedatis doloribus somnus obrepit, hinc vis ὑπνοτικὴ; quod si exhiberetur temperatis hominibus, non dubium quin somnum turbaret potius quam conciliaret.

Venio

Venio ad Coriandrum quod Græci κόριον ἢ κωριανον, Latini *Corian & Corianum*, officinæ *Coriandram* dixerunt, denominatione ſumpta vel à Cimicibus quos folia & caules ejus olent, vel ἀπὸ τȣ̃ κόρεω ἀμβλαύειν quod *pupillas oculorum hebetet.* Gravis quæſtio inter veteres, an plures fuerint Coriandri differentiæ: negavit enim Plinius l. 20. c. 20. Coriandrum inter ſylveſtria inveniri: at interpres Nicandri in Alexipharmacis ſylveſtre Coriandrum deſcribit, cui veneni maleficium ineſſe ait. Recentiores plura genera invenerunt, & nominatim Dalechampius ſylveſtre proponit à Myconio Medico Barcinonenſi ad ſe tranſmiſſum. Sed levior illa difficultas videtur, ſi conferatur cum ea quæ à Galeno movetur adverſus Dioſcoridem penes Coriandri temperamentum: frigidum aſſerit Dioſcorides, Hippocrates & Galenus calidum: Avicenna pro Dioſcoride pro Galeno alii jure decertant: hanc autem controverſiam, quoniam à pleriſque examinata eſt fuſiſſimè, non expono. Vide Mathiolum, Amatum Luſitanum, Antonium Sarracenum, & Joan. Leonicerum commentariis ad Dioſcoridem, Avicennam l. 2, cap. 2. can. 149. & ejus commentatores Mongium & Coſtæum, Nicolaum Rorarium contradictione 16. Cardanum tractatus tertii contradict. item 16. Valeſium lib. 9. controverſ. cap. 7. & alios paſſim.

Coriandri nomen. Genus Temperies.

Uſus ejus optimus cenſetur, ſtomacho enim bonum eſt, & ſalubre, cibos tamdiu in ſtomacho retinet donec probe concoquantur, oris habitum commendat, in quem uſum à ſeplaſiariis ſaccharo incruſtatur, additum in condimenta vermes necat, venerem excitat: largius tamen ſumptum duas inſignes noxas afferre creditur, dementiam videli-

Vſus in cibis.

cet & mortem. Mentem movere docet Dioſcorides cap. 57. lib. 3. Iſaac confirmat, & Simeon Sethi, quapropter nunquam ejus uſum probare potuit Cardanus adverſus Epilepſiam lib. 1. contrad. tract. 3. c. 17. quamvis ab Avicenna commendetur. Lethalem quoque illi eſſe vim ac venenatã aſſerit idem Dioſc. l. 6. c. 9. & poſt Dioſc. Paul. & Aet. Petrus Aponenſis de remediis venenorum cap. 3. idem illi maleficium tribuit, quod oppugnari poſſit, & à Theriaca & à vincetoxico ad drachmas duas dato: ſed plura repeti poſſunt ex Sante Ardoyno libro tertio de venenis cap. 60. Jam enim ab herbis ad arbores nobis progrediendum eſt, in quibus exponendis diutius forſan quam deberemus immorati ſumus, non longius tamen digreſſi, quam rei dignitas ac utilitas poſtulabat. Impoſterum tamen animadverſiones noſtras breviores futuras monemus, quod videam opus hoc nimiam in molem excreſcere, & enchiridii excedere magnitudinem.

De Fructibus arborum.

Cap. LIII.

AUtumni fructus caveas ne ſint tibi luctus:
De menſa ſume quantumvis tempore brumæ.

Animadverſio.

DUos iſtos verſus huc transferendos cenſuimus ex cap. 10. hujus ſectionis quod ad explicandam generalem fructuum naturam plurimũ

conferrent. Fructus vocabulum hic non usurpo pro quocunque stirpium fœtu, sed pro eo solo quem arbores aut frutices ferunt. Recte enim Galenus alios ex herba, alios ex arbore fructus produci docuit 2. de alim. facult. cap. 2. At nos fructibus herbarum omissis de quibus Salernitani nihil tradidere, ad arbores accedimus, quorum differentias & species alii alias constituunt. Prima differentia esse potest sylvestrium & domesticorum: verum sylvestrium quid attinet meminisse cum edendo non sint? Solos ergo domesticos perstringamus, vescos illos & ad nutriendum corpus humanum accommodatos. Hos autem ad mentem Salernitanorum dividimus in fugaces *seu æstivos*, quos Græci ὡραίους vocant, & in *serotinos* seu *autumnales* qui à Græcis ὀπώρα dicuntur. Nomine tamen τῶν ὡραίων Galenus 2. de alim. facult. cap. 2. non tantum intelligit eos fructus qui circa *horam* id est, *circa mediam æstatem* nascuntur: sed eos qui ad reponendum & conservandum non sunt idonei. Itidem per ὀπώρα certum est non tantum designari autumnales hyemalesque fructus, sed eos etiam qui exteriorem corticem molliorem habent, quique opponuntur ex Arist. l. 8. de hist. animal. c. 28. τοῖς ἀκροδρύοις, hoc est τοῖς ἔξωθεν κέλυφος ἔχουσι, *lignoso putamine tectis* Nos vero secuti Platonem, Galenum, Theophrastum, Plutarchum, Athenæum ὡραίας ὀπώραις: præcoces tardis, fugaces serotinis, vernos & æstivos, autumnalibus & hybernis, opponimus: ex quorum omnium genere alii molliores sunt, alii duriores. Molliores vel nucleum habent, ut cerasa, pruna, vel carent nucleo, ut poma pyra. In duriorum genere sunt nuces & amygdalæ. Ex his omnibus qui à Salernitanis commemorantur, perstringentur

Fructuum differentiæ.

à nobis suo quique ordine productionis atque mutationis. Prius tamen nonnulla de fructuum usu, ac temperamento delibanda sunt, quo nostra disputatio illustrior evadat.

Colores fructuum.

Imprimis vero mirari subit, cur flores unius ejusdemque arboris nativum & origanarium colorem nunquam mutant, mutant autem fructus. Quidam arbitrãtur id in floribus accidere propter velocem humoris consumptionem quæ non sustineat ulteriorem, nec longiorem concoctionem. In fructibus autem humiditas copiosior est, proinde diuturnior & longior longiorisque coctionis capax, hinc fit in longa ista concoctione demutentur colores. Est enim color in fructibus coctionis maturationisque argumentum, sic ut primus color viridis omnimodam fructuum cruditatem designans, primo in herbaceum transeat, quo prima concoctio denotatur; mox abeat in nigrum, ut in olivis, in flavum ut in Persicis, in nigricanlem ut in pyris, in fuscum ut in sorbis, in rubeum, croceum, variũ, ut in pomis & prunis. Distinguntur tamen inter se colores fructuum ejusdem arboris, quia succi inest diversitas & potestas multiplex. *Quemadmodum* enim, ut ait Scaliger in l. 1. Theop. de causis plantarum cap. 11. *potestatem habet arbor generandi corticem, frondes, ramos, fructus, medullas, tegmina, pulpas, semina: sic varias fructuum formas edere posse non absurdum.* Accedit ad hoc ventorum afflatus, & syderum, solis præsertim aspectus: venti enim prout humiditatem exhauriunt, aut affundunt, ita colorem fructuum moderantur: prout etiam solis aspectus tepidior est aut ardentior. prout longo vel brevi tempore, cito vel tarde fructus recreat aut exurit, ita fructuum temperat colorem.

Sapores fructuum.

Jam vero quam multiplices ſaporum differentiæ in fructibus percipiuntur, dulcis, ſuavis, pinguis, amari, auſteri, acris, acuti, acerbi; acidi, ſalſi, quorum tamen omnium initium eſt in auſtero ac pontico, à quo per varios maturationis & coctionis gradus fit ad alios ſapores mutatio. Quod enim omnes fructus generentur ex dominio humiditatis terrenæ, quæ ſaporis eſt auſteri, fit inde ut fructus ſui initio referant iſtum ſaporem, quemadmodum fuſius expoſitum habetur à Petr. Hiſp. com. in lectionem 13. diætar. univerſ. Iſaaci. Evicta autem & excocta hac prima acerbitate, ſi fructus humore ſubtili & aquoſo turgeat, exilique calore præditus ſit, fit ſaporis aquei & retuſi: ſi autem humore fuerit inter craſſum & tenuem moderato, exilique etiam calore, fit ſaporis paulo acutioris: At vero dulcis evadit cum moderato eſt & calore & conſiſtentia. Unctuoſus cum excedit aliquantulum calor & conſiſtentia eſt ſubtilis & aërea: Salſus cum calor emicat, & conſiſtentia adeſt parum terrena: Amarus cum multum excedit calor in conſiſtentia craſſa & terrena, Acer, ubi calor adeſt igneus, cum ſubſtantia ſicciſſima. Quæ omnia intelligi & repeti facile poſſunt ex doctrina de ſaporibus, de quibus apud omnes philoſophos, & pleroſque Medicos locupletiſſimè diſputatur. Eleganter autem Plin. l. 15. c. 28. fructuum ſuccos enumerat, *pyro vinoſum, olivæ pingnem, uvis dulcem, aquoſum prunis, ſanguineum moris, candidum uvis albis, lacteum ficis, ſpumeum perſicis, & ſi odorem ſpectes, malis acutum, perſicis dilutum, citreis acerrimum* tribuens. Succi fructuum. Odores.

Cæterum uſus fructuum duplex: alter arbori, alter humano generi comparatus. Utilis fructus arbori ad propagationem ex ſemine, quod dictum Vſus.

volo de iis fructibus, tum qui simul semina sunt, tum qui inclusa gerunt semina. Hinc Theophr. duas maturationis species agnoscit in fructibus: *unam* cum fructus solus est maturus, *aliam* cum semen quoq; maturum est & perfectum, quorum illa respicit hominem, hæc arborem. Utilis vero homini est fructus, vel *ob cibum*, vel *propter medicinam*. Nullus autem ignorat in usum medicum venire fructus & ab eis salutares peti medicinas, *cum ne sylua quidem horridiorq; naturæ facies medicinis careat*, inquit Plinius in lib. 16. natural. histor. At nobis inquirenda una venit alimonia quæ ex usu fructuum percipitur, quæ quidem talis est, ut ad irritandam gulam potius voluptatemque palato cōciliādam, quam ad salubritatem, optimamque nutritionem homini afferendam comparata sit. Galenus enim cap. 8. lib. de cibis boni & mali succi docet, *omnes fere fructus quos arbores ferunt malo succo esse* exceptis castaneis, *exiguum alimentum contribuere, crudesque succos aggenerare*. Quod si quis existat qui explorare velit quomodo singulæ fructuū species inter se differant: madefacere primo debet quam assumat: nam quicumque fructus mersi elixive aqua intumescunt, veteremque protinus siccitatem duritiemque deponunt, ut molliores & humidiores, sic meliores habentur, qui vero minime tument, pristinamque duritiem retinent, deteriores censentur, quæ experiendi ratio Galeni patri fuit familiaris ut idem Galenus notat cap. 5. ejusdem libri. Ad hoc tamen ut certum judicium de fructuum usu atque utilitate feratur, nonnulla capita nobis sunt proponenda. *Primum*, est maturos fructus immaturis præstantiores minusque noxios esse: maturitate enim quicquid inflationes facit, abjiciunt, & superfluam humiditatem depo-

nunt, ex Galen. cap. 16. quamvis immaturi celerius ſubducantur ex 2. de alim. facult. cap. 2. *Secundum* eſt, vitioſos haberi fructus qui nullo temporis ſpatio non admodum intumeſcant aqua merſi, bonos vero qui illico in tumorem creſcunt, nam & facilius coqui poſſunt, & ad bonos humores gignendos ſunt apti, ex eodem Galen. cap. 5. *Tertium* eſt, eos eſſe humidos ſine ulla ſiccitate qui non reponuntur : ex his vero minus eſſe noxios qui ventrem lubricant, deteriores autem qui tarde permeant & conſiſtentia ſunt duri; ex eodem auct. lib. de attenuante vict. rat. cap. 10. *Quartum* eſt, ex iis qui reponuntur aptiores eſſe & meliores qui molliores ſunt: pejores vero qui duriores, ex eodem loco. *Quintum* eſt, humidos fructus tenue, humidumque ex ſe diſtributum alimentum corpori præbere, celeriter corpus totum permeare, facile per cutim & urinas excerni ac in ſummum pauci eſſe alimenti: ſolidos vero & denſos alimentum copioſius corpori apponere, tardius pervadere; maxime cum ſuccum in ſeipſis habent craſſum, aut lentum aut adſtringentem; ex ipſomet Galen. 2. de aliment. facult. cap. 2. & 7.

His ita ſummatim delibatis, quærendum eſt cur Salernitani autumnalium fructum eſum noxium afferant, niſi media hyeme fiat. Cui quæſtioni reſpondemus tacite inſtitui comparationem inter fugaces & ſerotinos, ſeu æſtivos & autumnales, quorum illi, ut habet Galenus cap. 2. lib. de aliment. facult. primo humectandi vim habent, dein etiam refrigerandi, præterea alvum lubricandi: hi vero cum ſint duriores, alvum adſtringunt, ægrius conficiuntur, proindeque dum corrumpuntur, graviorem noxam inferunt. Deinde vero cum fugaces oriantur, media æſtate urgente

ſolis æſtu perfectam maturitatem aſſequuntur, autumnales vero cum declinante ſole per inconſtantem tempeſtatem,calidam modo, modo frigidam,ſiccam interdum, aſſiduis interdum imbribus humentem producantur,ut plurimum inæqualiter maturi ſunt, ſuperfluaque humiditate pleni, ex quo fit ut varia morborum genera inferant,febres malignas, diarrhœas, dyſenterias, febres quartanas, rheumatiſmos,hæmorrhoidas & id genus alia; venas enim replentes ſuperfluo & incocto ſucco, ventriculum quoque & inteſtina ſero illo tenui & frigido altiùs ſubeuntes cacochimiam pariunt, & partes imbecilliores efficiunt, unde morborum occaſio. Quod ſi ejuſcemodi fructus ad brumam uſq; ſervati reponantur,partem malitiæ deponunt maximam, facta evaporatione humiditatis aquoſæ & ſuperfluæ. Calor enim interior coquit, mitigat, temperat, & excludit, quod tenuius eſt & ſeroſum, ſicque maturat & perficit, hinc deprehendimus rugatos fructus, ut mitiores ac benigniores, ſic meliores ac ſalubriores. Et hæc dicta generatim ſufficiant.

De Cerasis.

Cap. LVI.

Sic ceraſum comedas, tibi confert grandia dona,
Expurgat ſtomachum, nucleus lapidem tibi tollit,
Hinc melior toto corpore ſanguis ineſt.

Tria ex ceraſorum eſu commoda hoc loco recenſentur. Ac *primum* quidem quod ſto-

machium expurgent, id que de illis potiſſimum intelligendum, quæ una cum nucleis mandun-tur. Ad eum namque modum [ut nonnullis placet] ingeſta abſtergent, & emundant.

Secundum, quod nuclei eorum, cum inde ex-preſſus ſuccus ſive lac ſumitur, peculiari qua-dam proprietate lapidem non in renibus tan-tum, ſed in veſica quoque frangant & expel-lant.

Tertium vero, quod quæ ipſorum velut caro eſt, optimum generet ſanguinem, corroboret & impinguet. Et hoc certe experientia teſtatur & demonſtrat ratio. Siquidem in paſſeribus, qui ce-raſis plurimum delectantur, eo ipſo tempore quo hęc matura ſunt, jecuſcula non paulo ma-jora quam alias reperiuntur. Unde hepar fre-quentiore ceraſorum uſu augeri ac roborari cer-to colligitur Sed hic notandum, quod duplicia ſint ceraſa, craſſa nimirum & parva: Ac craſſa rurſus duplicia, nempe dulcia & pontica ſive acerba. Dulcia omnia & parva inſalubriora ſunt, facile corrumpuntur, & lumbricos in corpore generant. Craſſa pontica quoque duplicia inve-niuntur. Quædam enim pediculo conſtant lon-giore, bacca etiamnum cæteris craſſiore, guſtu acerbo & admodum acido, colore perpetuo ro-feſcente, nec unquam in atrum vergente: Italis verle dicuntur. Hæc tenera adeo & fragilia ſunt, ut niſi ſub arbore ſua comedantur, facile geſtatu collidantur & marceſcant. Quare non niſi re-centia, atque in principio tantum menſæ ſumen-da ſunt. Abſtergendi ſtomachi & ciendæ appe-tentiæ vi pręedita ſunt. Alia denique craſſa nigra, & maxime omnium pontica ſunt, quæ in complu-ribus Italiæ locis Maraſche vulgo nuncupantur,

à ſapore ſic dicta, quod non injucundi amaroris tantillum reſipiant. Ea ſummo poſt alios cibos loco edenda ſunt, ita ut os ventriculi ponticitate ſua claudant: quo clauſo concoctio & melius & citius peragitur. Galenus faciens ceraſorum omnis generis mentionem, lib. 7. ſimpl. medic. capite 19. ſcribit in hunc modum: Ceraſus arbor fructus fert non paris adſtrictionis in omnibus particulatim plantis participem. Nam & in harum, ſicut etiam malorum granatorum & malorum quibuſdam auſtera qualitas, in quibuſdam vero dulcis, in nonnullis autem acida exuperat. Quinetiam ipſorum dulcium quæ nondum cocta ſunt, ac natura quædam admodum ſunt acerba, quædam ſimiliter moris acida. Sed in moris immaturis acida qualitas acerbam exuperat, in ceraſis non ſemper. Ergo quæ dulciora ſunt, magis quæ in inteſtinis ſubducunt, ſed minus grata ſtomacho ſunt. Contra auſtera. Quæcunque vero acida ſunt, ea piruitoſis excrementoſiſque ſtomachis ſunt apta. Si quidem auſteris magis deſiccant, & nonnihil etiam incidunt. Porro ipſius arboris gummi communem omnibus viſcoſis & mordacitatis expertibus medicaminibus facultatem obtinet quæ & ad arterias exaſperatas accommoda eſt. Proprie autem, ſiquidem, quod quidam ſubſcribunt, verum eſt, calculis vexatos adjuvat. Nam ſic illi tenuium partium ineſſet facultas quædam. Hec illi. Plura Dioſcorides libro primo capite centeſimo vigeſimo ſexto, Plinius libro decimo quinto capite vigeſimo quinto, & Simeon Sethi in Syntagmat.

Animadversio.

CErasus prima colono annuam gratiam refert; cujus fructus κεράσια dicuntur à Cerasonte Ponti oppido, unde post devictos Mithridatem & Tigranem à Lucullo in Italiam devecti sunt. Crediderim tamen, potius à *Cerasis* urbem, quibus fœcunda erat, quam ab urbe *Cerasa* denominata esse, cum ante Luculli victoriam mentio Cerasorum facta sit à Dephilo Siphnio apud Atheneum prisco auctore, sæculo Lysimachi vivente. Nomen ergo illud deductum ἀπὸ τοῦ κέρατος, vel *à coma* quam opacam habet, vel à *ramis* excrescentibus qui nulli arbori longiores sunt, validiores aut plures, est autem ramus in arbore idem quod cornu in capite. Cerasorum differentias à regione, aut à colore desumptas non exequor, cum ex Dalechampio repeti possint. Sapor nonnullas induxit scitu dignas; cum inde eorum temperamenta deprehendantur. Sunt enim *dulcia*, *austera*, & *acida*, quorum *dulcia* ventrem molliunt, & citissime dilabuntur stomacho, tamen minus utilia sunt quod putridos gignant humores: Narrantur manè roscida adhuc devorata, adeo levare alvum, ut pedes podagrici morbo liberentur. *Austera*, quia adstringentia, ideo εὐστόμαχα. *Acida* pituitosos & viscidos stomachi humores incidunt, ipsum confirmant, sitim sedant, & appetentiam excitant. Inest certe cerasis vinosus succus admodum palato gratus, qui etiam Diphilo teste optimum alimentum præbere sed tenue potest. In universum Cerasa & frigida & humida esse, calidis & siccis ventriculis ac temperatis prodesse,

ventremque ſubducere prodidit Simeon Sethi Porro quod dicunt Salernitani nucleum lapidem tollere, id non intelligendum de integro nucleo devorato, ſed de carne eo incluſa; quæ quod amara ſit, digerendi vi prędita eſt, & deobſtruendi venas & renes, eoque modo poteſt materiam lapidis renibus hærentem incidere ac ſummovere, ſed factum calculum non poteſt deturbare. De Ceraſis videantur Galenus, Avicenna, Bruyerinus libro undecimo de re cibaria, Benedictus Curtius libro vigeſimo tertio hortorum, Dalechampius, & alii.

De Prunis.

Cap. LV.

FRIGIDA ſunt, laxant, multum proſunt tibi Pruna.

DUÆ Prunorum facultates hic referuntur. Ac prior quidem quod corpus mediocriter refrigerent. Dulces enim, quemadmodum lib. 2. de medicament. ſimplic. purgantibus bened. cap. 19. à Meſve ſcribitur, calido frigido ſunt temperata, aui paulo frigidiora, humida ordine ſecundo, μέσα, id eſt duli-cacida frigida principio ſecundi. Omnia tamen refrigerant. Quare Luſitani, qui calidam incolunt regionem, carnium ſuarum coctura pruna plerumque immiſcent, & potiſſimum Damaſcena. Poſterior vero quod alvum moveant, & hoc Galenus quidem lib. 2. de alimen. facult. cap. 31. ita ſcribens confirmat. Corpori, inquit, ex hoc fructu minimum ali-

menti accedit : utilis tamen eſt iis, quibus propoſitum eſt, ventrem mediocriter humectare ac refrigerare ; ipſum enim cum humiditatis, tum lentoris ſui gratia ſubducit. Quod certe de maturis intelligendum : cruda enim, quemadmodum Avicenna teſtatur, non parum adſtrictionis præ ſe ferunt. Et quamquam poſterior hæc Prunorum facultas, non ſecus atque prior etiam, Damaſcenis fere attribuantur, Armenis tamen potius adſcribenda erit, ut quæ Avicenna & Meſve teſtibus, præter cætera magis alterent, largiuſque ſolvant. Uſui vero maxime ſunt matura, immatura minus, optima autem inter ipſa & humanæ naturæ convenientiſſima, ſunt oblonga, carne cum dura, tum exigua, ſiccitate nonnulla participantia, cortice exteriore tenui, ſapore non prorſus dulcia, ſed μέσα id eſt duli-cacida, qualia Damaſcena cum primis habentur. Hæc enim mediocriter humectant ac refrigerant Multá porro & varia Prunorum genera reperiuntur, non omnium tamen uſus approbatur. In hoc genere ſunt aggreſtia quædam parva, dura acerbaque, & cibo injucunda, Galeno ἀγριοκοκκύμηλα vulgo Pruniola ſive Prunula nominantur. Horum fructus, inquit Galenus lib. 7. de ſimpl. medic. facult. capite 35. evidenter adſtrictorius eſt, ventremque ſiſtit. Quo fit ut aquam nonnulli ventri ſiſtendo accommodatiſſimam inde eliciant. Cæterum Pruna quæ ventris ſubducendi gratia ſumuntur, in aqua frigida, prius quam ingerantur, aliquandiu præmacetanda ſunt. Ita namque preparata magis tum humectant, tum refrigerant, adeoque ad appetentiam, quæ collapſa fuerit, excitandam, & ad flavam præterea bilem, quæ in ventre habetur detergendam ac ſubducendam

accommodatiora fiunt. Quare biliosis etiam non solum febribus, sed aliis quoque morbis salubria redduntur. Pruna recentia atque humida siccis valentius quidem alterant; sed excrementitium magis & pejoris succi corpori præbent alimentum. Sicca vero non solum ad nutritionem accommodatiora sunt, verum magis etiam corroborant. Quod de Prunis hoc loco diximus, idem de cerasis quoque aliquo modo intelligi potest: sed horum humiditas, quam illorum, subtilior ac minus lenta est, quo fit ut minus etiam alant. De Prunis Dioscorides lib. 1. cap. 134. Galenus & Mesves locis paulo ante citatis, & Avicenna lib. 2. Canonum cap. 539.

Animadversio.

PRuna Græci κοκκύμηλα vocant vel ob figuram quam similem *Croco Cnidio* habent, vel quod inter poma *celeriter ac velociter* maturescant, est enim κόκκυ idem quod ταχύ. Latini *Prunum* dicunt aut ab *unitate*, aut à Græco προύμνον quod Galenus lib.7.simplic. apud Asianos *sylvestrem Prunum* significare docet. Probabile autem est fructum hunc ex Asia Romam esse delatum post Catonis ætatem qui suo tempore jam conquerebatur Asiaticas delitias Romam importari. Res ergo ipsa & nomen ex Asia defluxit. Variæ Prunorum species vulgo notæ: Temperies & facultas magis obscura. Avicenna enim frigida Pruna facit in principio secundi gradus, humida in fine tertii; alii frigida tantum in principio primi gradus, humida in fine cõstituunt: quod postremum profecto intelligendum est de iis Prunis quæ solidiori sunt carne &

duriori; primum vero illud de iis quæ carne sunt molliori & liquidiori. Similiter in assignanda earũ virtute dissidet Galenus à Dioscoride, hic enim cap.142. l.1. Damascena pruna desiccata vult alvũ cohibere, Galenus 7. simplic asserit laxare. Conveniunt inter se si dixerimus per se alvum movere, per accidens coercere; quatenus scilicet ob eorum dulcedinem ac suavitatem avide expetuntur & retinentur à partibus nutritiis; proindeque etiam dicuntur à Dioscoride εὐςόμαχα; cum paulo ante dixisset Pruna, minime videlicet siccata, κακοςόμαχα. Semper autem memoriæ mandandum est in describendis prunorum & aliorum fructuum facultatibus distinguendum esse inter maturos & immaturos, inter dulces, austeros, & acidos. Immaturi enim magis semper adstringunt, acidi magis stomacho grati, dulces copiosius alimentum præbent. Quem vero succum corpori prębeant Pruna, explicatum habetur à Galeno 2. de aliment. facult. cap. 31. & cap. 7. libri de attente victus ratione. Cætera non repeto.

De Pyris.

Cap. LVI.

Adde Pyro potum; nux est medicina veneno:
Fert Pyra nostra Pyrus, sine vino sunt Pyra virus.
Si Pyra sunt virus, sit maledicta Pyrus.
Dum coquis antidotum Pyra sunt, sed cruda venenum:
Cruda gravant stomachum, relevant sed cocta gravatum,
Post Pyra da potum, post pomum vade cacatum.

HIc docetur imprimis, ut ſuper Pyrorum eſum vinum bibatur, idque tum vetus, tum odoratum: atq; ejus quidem rei ratio reddita eſt ſupra cap. 7. Pyra enim ſanguinem ſeroſo replent ſucco, inflationeſque ac colicos cruciatus ſuſcitant. Vinum ergo cum calefaciat, tenuet, flatus diſcutiat, & ſeroſam redundantiam conſumat, ſuper ipſis convenientiſſime bibitur. Deinde Nucem veneno medicinam eſſe traditur, de quo copioſe ſupra, c. 14. Secundo ac tertio verſu, dicitur Pyra, abſque vino commanſa, eſſe virus, hoc eſt, nocere humanæ naturæ, cujus ratio jam reddita eſt. Ne quis interim ſimpliciter, ut de illis quæ exceſſu qualitatum elementorum, quarum miſtione conſtant, at propria qualitate, ſive forma [ut vocant] occulta venena eſſe noſcuntur, ita de Pyris quoque ſuſpicetur. Si enim commanſa perniciem ſubinde vel noxam aliquam inferrent, ac proinde arbor ea ferens merito deteſtabilis eſſet, adeoque ob id ipſum exſcindenda, atque in ignem conticienda. Quarto verſu innuitur, Pyra recentia & cruda eſſe venenum, id eſt, nocere humanæ naturæ. Nam extra hoc quod ſanguinem ſeroſo atque ebulliente replent ſucco, inflationes & colicos cruciatus excitant, phlegmata etiam ac ſcabiem generant. Cocta vero contra, ἀντίδοτον, id eſt, remedium præſtant, perinde atque illa paulo ante pręſtare diximus, quæ cum vino manderentur. Atque hæc ſane ultimo poſt alios cibos loco ſumenda potiſſimum ſunt: ita namque excrementorum ſubductionem adjuvant. Quinto verſu docetur, crudorum Pyrorum eſum gravem eſſe ſtomacho. Ipſum enim non à concoctionis tantum opere diſtrahit, ſed flatibus etiam diſtendit. Cocta vero è contrario gravatum

ſtoma-

ſtomachum levant & reficiunt, inque ſuum priſtinum vigorem reſtituunt. Ultimo tandem verſu hoc in primis præcipitur, ut vinum ſuper pyrorum eſu bibatur: cujus quidem ratio jam reddita eſt. Deinde, ut à pomorum eſu alvus ſubducatur: quam rem Galenus libr. 2. capit. 21. de aliment. facult. ſic ſcribens confirmat: Poma acida cum ſuccum craſſum in ventre invenerint, ipſum incidunt, ac deorſum ſubducunt, ob idque dejectiones humectant. Quod ſi ventrem purum invenerint, ipſum magis ſiſtunt. Porro ſuccus dulcis cum ſine acrimonia & craſſitie, hoc eſt, ſolus plane fuerit, celerius, quantum in ipſo eſt, diſtribuitur. Quod ſi acrimoniam aut craſſitiem habuerit, citius ſubducitur. Eadem habet Oribaſius libr. 4. Synopſeos ad Euſtathium filium cap. 69. & Avicenna 2. Canon. c. 569. Quinetiam hæc adſignari poteſt ratio, nempe quod poma flatum in ventriculo excitent, flatus vero per anum deinde facile emittantur.

Animadverſio.

FRuctum quem Latini à Pyramidali figura *Pyrum* vocant, Græci appellant ἄπιον ὄγχνην, καὶ ἀχράδα, quorum primum illud dictum, vel ὅτι πρῶτον ἐν Ἀπίᾳ γέγονεν, *quod pyrum in Apia Peloponneſi regione ortum primo ſit*, vel παρὰ τὸ ἐν διψηροῖς τόποις φυέσθαι, *quod in locis ſiccis naſcatur*, vel διὰ τὴν ποιότητα τοῦ χυλοῦ αὐτῆς, *ab ejus ſucci qualitate*: ὄγχνην vero deducunt παρὰ τὸ ἄγχειν *à ſuffocando*, quod acerbitate ſua vehementer adſtringat. Plutarchus in quæſt. Græca 51. obſervat Argivo- Nomen.

rum pueros quibusdam festis βαλλαχράδας seipsos appellare, quod primi ex agris in planitiem ab Inacho deducti, pyris sylvestribus victitarint: quodque tum primum ἀχράδες in Peloponneso visæ essent, quæ dicebatur ἄπιοι, hinc factum esse ut ἀχρὰς dicta quoque sit ἄπιος. Et profecto illa regio non tam ab Apide Phoronæi filio ἄπιος dicta est, ut vult auctor Ethymol. quam διὰ τὸ ἐπιδαψιλεύειν, ἐν αὐτῇ τὸ φυτόν, *quod multæ in ea regione pyri arbores nascerentur.*

Genus. Pyrorum multa genera recenset Dalechampius lib. 3. hist. plant. c. 7. & Bened. Curtius Hortorum lib. 23. c. 14. necnon Bruyerinus lib. 11. c. 18. sed pleraque omiserunt, cum nemo possit singula enumerare.

Temperies. De temperamento nihil certi definiendum prius quam de sapore convenerit: Austera enim & acerba, dubio procul frigida & sicca; dulcia vero & succosa, moderate calida & humida.

Vsus in cibis. Veniunt autem & in cibum & in potum: In cibum quidem variis modis parata, cocta, cruda, elixata, tosta, saccharo, vino, cinnamomo, aniso, fœniculo, butyrove, condîta, exsiccata, concisa, incrustata, mille denique modis apparata. Potus vero ex eorum succo concinnatur, quod *Pyraceum* vocant, qui tamen tantæ non est gratiæ, aut utilitatis ac potus ex pomis. Eleganter Galenus facultates pyrorum explicat lib. 6. simplicium, & libro secundo de aliment. facult. cap. 24. ut de his plura dicere necessarium non sit.

Primus autem capituli versus sic intelligi debet: Quemadmodum nux sese habet ad venenum, ita & vini potus ad cruda pyra, Sed nux veneno assumpto remedium est, Ergo & vini potus pyris esitatis. Quod vero pyra sine vino sumpta

venenum sint, nemo hactenus affirmavit, nisi venenum latius usurpemus pro quacumque noxa: certum enim est jejunos esitata pyra lædere; eorum usum etiam valentibus onerosum esse, quo pertinere potest vulpis odium in pyra, quæ numquam pro cibo attingit nisi difficulter & in fame, unde adagium hoc fluxit tractum ex Plauto in Mustellaria. An pyra venenum.

Tam facile vinces, quam pyrum vulpes comest.

Quod quidem in eos dici solet, qui rem perdifficilem aggrediuntur. Certum præterea est devorata quædam pyra strangulare homines, tanta est enim saporis gratia, ut mandendi finis non sit. Graviditatem impedire, portatam à muliere pyri radicem prodidit Albertus Magnus; etiam pyris eandem vim inesse, si juxta vel suprà se mulier habeat; alii tradunt latentia in parturientis lecto pyra, aut illuc transportata partum juvare. Sed & nonnulla pyra tanta acerbitate displicent, ut devorari nequeant, strangulare vero videantur, unde *strangulonea* dicta. Hæ & similes noxæ fecerunt, ut pro venenatis pyra habita sint, ni cocta prius fuerint, aut vini potu castigata. Merum tamen vinum superbibendum esse non consulerem, quod in venas malignum & incoctum pyrorum succum deducat, crudumque sanguinem efficiat. Observatum quippe fuit, vini haustu ab esu pomorum & pyrorum intolerabiles cruciatus, & dolores ventris secutos: testisque est Rodolph. Goclenius tractatu de vita proroganda. cap.11. ab esu pyrorum quemdam cerevisiæ potu periisse. Hic tamen nonnulli diorismi afferri possunt & debent ex iis repeti, qui quęstionem hanc medicam agitaverunt; *An post crudum merum.*

De Persicis, Racemis, & Passulis.

CAP. LVII.

Persica cum musto vobis datur ordine justo
Sumere, sic est mos nucibus sociando racemis,
Passa nocet spleni, tussi valet, est bona reni,
,, Utilitas uvæ sine granis & sine pelle
,, Dat sedare sitim jecoris, Choleræque calorem.

DUO præcepta imprimis hoc loco traduntur. Ac primum quidem ut mustum cum persicis bibatur, aut sane persica simul cum musto exhibeantur. Mustum namque calefacit admodum, ebullitionemque in corpore efficit: sed persica ebullitionem hanc atque excalefactionem frigiditate sua cohibent & moderantur. Contra verò persicis, cum vehementius refrigerent, merito adhibetur mustum, quippe quod frigiditatem eorum, ne ventriculo noxam inferant, calore suo facile mitiget ac temperet. De persicis supra cap. 7.

Secundum vero, ut uvarum racemi cum nucibus edantur: quod de aridis potissimum & antiquis nucibus intelligendum est. Virides etenim ac humidæ per se salubres censentur: antiquæ vero & aridæ excellenter siccant, adeoque ob oleosam suam qualitatem prompte in corporibus accenduntur. Jure igitur uvarum racemi cum ipsis mandendi veniunt, ut qui exsiccationi atque inflammationi humiditate sua resi-

ſtant. De nucibus copioſe ſupra.

Tertium deinde verſu traditur, paſſulas ſive uvas paſſas lieni officere. Ipſum enim communi ratione dulcium omnium ! obſtruunt atq; lędunt. Hinc Galenus in libro de attenuante dięta cap. 9. in hunc modum ſcriptum reliquit: Uvæ paſſæ ſi non ſint adſtringentes, lieni quidem & hepati tumentibus non conveniunt: thoraci tamen ac pulmonis affectibus conducunt. Renibus etiam conferunt, quippe quos lavant & abſtergunt, urinamque cient. Renes namque multa ad ipſos derivata humiditate mundant. Sed de his quoque ſupra.

Animadverſio.

NOn eſſe *Perſicam* arborem eamdem cum *Perſea*, quicquid Columella, Nicandri interpres aliive plurimi cenſuerint, Plinius, Galenus, Ætius, Ægineta exiſtimarunt qui diverſis capitibus de *Perſica* arbore, & de *Perſea* egere; *Perſicam* arborem μηλέαν περσικὴν vocantes, *Perſeam* vero περσέαν. Variis autem nominibus, apud diverſos vocatam *Perſicam* reperio, nam & μηλέα περσικὴ à regione unde primo adducta eſt, & ῥοδακηνὴν, vel ut placet Suidæ ῥοδακινέα ab inſula Rhodo in quam à Perſide tranſlata fuit, & δωρακινὸν, ſeu δωράκιον appellata fuit, non ſatis nota origine: forſan vero ἀπὸ τοῦ δώρου ſic dicta eſt, à magnitudine, quod palmum vel æquarent, vel implerent ejus fructus. Duracina tamen Perſica definit Plinius libro decimo quinto capite vigeſimo octavo, quorum corpus ligno adhæret, avellique nequit, quod noſtris *Preſsis* & *Myre-*

Nomẽ.

Duracinum quid ſit.

cotonis accidit, quamvis alii à solidiori, compactiori, durioriqueeorum carne deducta malint. Enimvero placet Jano Cornario libro secundo commentariorum medicorum capite secundo, & in Dolabella ad capit 81. libr. 1. Paul Æginetæ, loco δωρακινὸν, ῥοδάκινον ubique substituendum esse, & apud Plin. atque Columellam pro *Duracenis, Rhodacena* legendum, existimatque errorem esse alicui semidocto imputandum, *qui non intellecta, nec alicubi lecta Rhodacenorum appellatione in eam suspicionem venit duracina legi debere ob ossium videlicet duritiam.* Quæ quidem opinio Mathiolo non arridet, nec Dalechampio, existimantibus nullum errorem subesse, vel in Plinio, vel in Ægineta. Ac certe ut de illa difficultate sensum meum aperiam, credibile est Persicam arborem à Græcis primo vocatam fuisse μηλέαν περσικὴν, seu περσέαν, quod pro una eademque arbore utraque sumeretur; dein vero à Rhodo insula ubi ad florem tantum perveniebat ῥοδακίνην, tandem vero sequentibus sæculis barbaro nomine à Latino deducto δωρακινὸν. Priori appellatione usi sunt sunt Galenus, Paulus, Ætius, Oribasius: qui ut dictum est diversis capitibus περὶ μηλέας περσικῆς καὶ περὶ τῆς περσέας egerunt. Perseam autem pro Persica arbore usurparunt Dioscorides lib. 1. Nicander in Alexipharm. Plutarchus tractatu de Iside & Osiride, & inter Latinos Columella in horto. At vero ῥοδακίνης appellatio nec ita prisca, nec ita frequens, reperitur tamen apud Scholiastem Nicandri in Theriacis, Suidam in Dictionario, Simeonem Sethi in syntagmate, Ætium libr. 13. capit. 118. Nicolaum Myrepsum sect. 3. c. 95. & Psellum lib. 1. de victus ratione c. de iis quæ ventrem citant. Quamvis autem

nonnulli ſic dictam contendãt, vel à roſeo rubroque colore, vel à roſarum odore, veriſimilius tamen eſt ab inſula Rhodo potius ſic vocatam æſtimare, quod Plinius lib. 15. capit. 13. notet *à Perſide ſero in Rhodum tranſlatam, proindeque à Catone non commemoratam.* Reſtat poſtrema appellatio quæ explicari commode nequit, niſi intellectis Perſicæ arboris differentiis. Quatuor vero Perſicorum genera conſtituit Palladius in Novembri tit. 7. *Perſica*, *Armenia*, ſeu *Armeniaca*, *Præcoqua*, & *Duracina*. *Perſica* proprie ea ſunt, quæ hodie apud nos id nominis retinent. *Armeniaca erant* olim ex Perſicis minima, ut docet Dioſcorides, eademque penitus cum *præcoquis*, ſic opinor à Romanis dictis quod citius quam vera Perſica matureſcerent; τὰ δὲ μικρότερα, inquid Dioſcorides libr. 1. capit. de pomis, καλούμενα δὲ ἀρμενιακὰ ῥωμαϊστὶ δὲ πραικόκια, *quæ in genere perſicorum minora ſunt & Armeniaca dicuntur, à Romanis vocantur præcoqua:* quibus quidem ex verbis colligere licet *Armeniaca à præcoquis* minimè diſtincta fuiſſe, ſed uſu tandem veniſſe ut *Armeniaca* deſierint eſſe Perſica, pomorumque illud genus conſtituerint quæ nos vocamus *abricoqua*, Gallico nomine à Latino deducto, vel à Gręco βερίκοκκα, quo uſus eſt Simeon Sethi in ſyntagm. Nec opinor, *Armeniaca*, ſeu *præcoqua* à Perſicis defeciſſe melius demonſtrari poteſt quam ex Ægineta & Martiali, hic enim lib. 13. epigram. 46. ſic habet.

Vilia maternis fueramus præcoqua ramis,
Nunc in adoptivis Perſica cara ſumus

Ille vero libr. 1. capit. 81. πραικόκκιά τε καὶ δωρακία, καὶ ἀρμένια κρείττονα τῶν περσικῶν, *præcoqua*, *doracia*.

& Armenia, poma meliora eſſe Perſicis aſſerit, manifeſtè *præcocia à Perſicis* ſejungens, quo loco quæri poteſt quid Paulus per δωρακία intelligat: Cornarius legendum ῥοδάκινα, Mathiolus in capit. 131. libr. 1. Dioſcoridis ſpeciem eſſe Armeniaci pomi diſtinctam à Præcocio & Armenio arbitratur, uterque meo judicio perperam: ῥοδάκινα enim nemo legerit, cum non eſſe diſtincta à Perſicis, ſed ipſamet eſſe Perſica ipſe fateatur Cornarius. Quod ſi ita eſt, quomodo Paulus dixiſſet Perſica meliora eſſe Perſicis? ſane neſcio. Quod etiam δωρακία ſpecies ſint Armeniacorum pomorum, nemo hactenus pręter Mathiolum, idque ſine auctoritate, vel ratione protulit. Itaque vel retinendum eſſe δωρακία, vel δωράκινα emendandum duco, ipſaque omnino eadem eſſe cum præcocis majoribus, quæ in molem per inſitionem accreſcentes, diſtinguuntur ſpecie ab Armeniis quæ quod ſponte gignantur exigua ſunt & parva. Nomen autem *Diraciorum*, ſeu *Duracinorum* ſumpſerunt, ex inſitione, ſeu ut rectius loquar, ex infoliatione arboris *Armeniacæ* quæ fiebat in alia arbore craſſi corticis, ac proinde durioris ligni, ſeu ſolidioris, parumque medulloſi. Florentinus enim libro decimo Geopon. capit. 75. tres inſitionis modos conſtituit; ἐμφυλλισμὸν, ἐγκεντρισμὸν καὶ ἐνοφθαλμισμὸν, *infoliationem*, *inſitionem* proprie dictam, & *inoculationem*, quarum quidem *infoliatio* fiat in arboribus craſſi corticis; *inſitio* vero in arboribus tenuis corticis intra medullam humiditatem habentibus. Fructus ergo arborum in arboribus craſſi corticis inſitarum ut ſolidiores erant ac duriores, ſic craſſiores, ex quo factum fuit, ut fructus omnes ex inſitione

Cornarius & Mathiolus improbantur.

Duracinorũ origo.

& cultura majores facti, *Duracini* à Latinis vocarentur, ſic Plinio *Duracina* uva dicta eſt capite primo libro decimo quarto, quod craſſior collo eſſet, viſuſque eſt Columella capite quadrageſimo tertio libro duodecimo, *ollares* uvas & *humaſtos* cum Duracinis confudiſſe: ſic *Duracina* appellata Ceraſa quæ majora. Atque ex hac obſervatione primo colligitur apud Æginetam δωράκινα Armeniaca eadem eſſe cum præcocis majoribus, Armenia autem ſimpliciter dicta eadem cum præcocis minoribus, ſicque duas tantum illic dari Armeniacorum malorum differentias, non tres, ut placuit Mathiolo. Secundo arguitur inde, *Duracina* Perſica proprie eſſe quæ ex inſitione majora evaſerunt, ſeu quæ ex arboribus inſitis progignuntur: quapropter Martialis ea vocat *Adoptiva*, quibus apud Romanos gratiæ & pretii palma fuit, *cum ſingula poma trecentis nummis venderentur*: hoc eſt ſeptuaginta quinque aſſibus, ſi credimus Budæo libr. de aſſe, propter quod etiam immenſum pretium, ab eodem Martiali *Cara* dicta fuere. Atque hoc nomine uſi ſunt in deſignandis pomis Perſicis apud Latinos Columella & Plinius, apud Græcos Paulus Conſtantinus Cæſar Geoponicorum libro decimo, & Gloſſæ Græcolatinæ; in quibus tamen loco δωράσινον, δωράκινον eſt legendum. Gloſſæ emendatæ.

Verum præter has appellationes Perſicis tributas, alias etiam nonnullas ſortita ſunt. Nam apud Athenæum libro tertio dicuntur περσικὰ κοκκύμηλα *pruna perſica*, ὀξύμαλα quoque & ἄδρια; cumque proprie in pomorum ſint cenſu, locum tamen obtinuere inter nuces. Nam Macrobius Saturnali. libro ſecundo capite deci-

mo quarto ex Plauto & Suenio viro longe doctissimo, *persicum malum nucem molluscam* vocari ait; scilicet quod cæteris omnibus nucibus mollior sit.

Tempe-ris Persi-corum, Quod ad temperamentum Persicorum attinet, ea quidam in tertio gradu refrigerantium humectantiumque posuerunt, alii in primo, alii in secundo: *quod melius est factum*, inquit Simeon; quæ postrema sententia est Pauli libr. 7. minus tamen frigida censeri debent ob tacitum amarorem quo ipsa non minus quam arbos, prædita sunt: propter quem saporem, minimum quoque nutrire ipsa par est; cum omne quod nutrit, ratione suæ dulcedinis nutriat. Gal. de aliment. facult. cap. 19. facile corrumpi eorum succum parvumque & malignum esse asseverat. Addit Ægineta libro primo capite decimo octavo, mali *esse succi, acescere, facile corrumpi, deterioraque haberi præcoquis & Armeniacis.* Plura alia adjicit Simeon in eorum opprobrium, cui reluctari videtur Dioscorides, Persica faciens εὐςόμαχα καὶ εὐκοίλια, *stomacho & alvo accommodata*; Diphilo Siphnio μέσως εὔχυλα καὶ θρεπτικώτερα τῶν μέλων, *succi mediocriter boni & plusquam mala nutrientis*, habentur. Plinio libro decimo quinto capite duodecimo dicuntur *Innocua & expetita* ægris. Manifesta in his auctoribus pugna, quam duplici responsione tolli posse existimo. Prima est

Con-tradi-ctio dilui-tur. eos qui stomacho commoda dixere Persica, habuisse rationem potius odoris quam succi: tanta enim odoris est illis suavitas, ut cardiacis subveniant, orisque fœtorem vitio stomachi factum emendent. Vidisse se Jul. Alexandrinus narrat libr. 10. salub. esu Persicorum sedatum fuisse continuum vomitum ex maris jactatione

excitatum. Secunda reſponſio eſt eos qui boni ſucci dixerunt Perſica, locutos non fuiſſe abſolutè, ſed relatè tantum ad olera, ex obſervatione Petri Hiſpani comment. ad caput Iſaaci de Perſicis. Notandum præterea eſt noxam Perſicorum augeri, ſi poſt alios cibos ſumantur, minus vero ſi ante cibos ingerantur, maxime ab iis qui frigido non ſunt ſtomacho, ſed æſtuanti & fervido. In his enim ciborum appetentiam excitant, & fervorem extingunt. Non debent autem aſſumi, niſi matura, continuo vinum ſuperbibendo. Quamvis autem Salernitani muſtum bibendum conſulant, mihi tamen magis probatur cum Iſaaco & Simeone vetus vinum odoriferum, quod per ſe tota ſic ebibant, ut ab eo ſuperentur, ea enim ratione ſucci noxa retunditur: quod ſi ipſa vinum ſuperent, periculum eſt ne in venas vini beneficio citius deducta celerius graviuſque lædant. Proinde Simeon Sethi ſedulo prohibet, ne poſt eſum Perſicorum aqua bibatur, vel cibaria acria ſuperingerantur, quod ſeroſum ſanguinem patiant, febreſque putridas gignant, longas & quæ difficulter ſolvantur. Vulgus Gallicum arbitratur nucleum Perſici noxam eam auferre, quam pulpa infert, nec injuria ſane; cum incidendi, detergendi, aperiendi, calefaciendi, ſiccandique facultate polleat. Sed ut dictum eſt vino generoſo nihil præſtantius; unde vulgare iſtud carmen per menſas jactari ſolitum;

Petre quid eſt peſca? cum vino nobilis eſca.

Cæterum egregium præceptum tradit de eſu Perſicorum Actuarius libr. de ſpirit. animal. nutrit. cap. 6. his verbis. *Solent*, inquit, *Perſica niſi facilè alvum ſubierint in corruptelam abire, &*

cum humoribus una immutari, quoſcumque tandem offenderint. Quamobrem quibus agre per alvum deſcendunt, conſuluerim ego iis omnino, ut ne ea quidem attingant, niſi quis temperamenti proprietate corpus affirmet libenter alimenta hujuſcemodi admittere. Hæc ille. Plura non addo cum repeti poſſint ex Plutarcho libr. de Iſide, Athenæo, Dioſcoride, Plinio, Simeone, Bruyerino, Jul. Alexandrino, Curtio, Hiſpano, &c. Porro multa hic diſputari poſſent de uvis & de nucibus quarum meminere Salernitani, ſed quis uvarum omnes differentias brevi commentario perſtringeret, quæ non niſi juſto volumine explicari poſſunt? Dodonæus hiſtoriam vitis & vini uno libro conſcripſit, Jacobus Horſtius opuſculum de vite vinifera ejuſque partibus edidit, Andreas Bacchius libris de naturali vinorum hiſtoria de uvis tam multa protulit, ut ſuperfluum ſit poſt tantos viros aliquid de uvis annotare. Interea notandum non propter uvas, edendas eſſe nuces, cum earum ſuccus pravus & malignus quicquam addere bono uvarum ſucco non poſſit, ſed propter nuces aſſumendos eſſe racemos ad edomandam earum malitiam, juvandam coctionem ac diſtributionem earum, ac denique retundendam noxam quam ſtomacho inferre creduntur. Plura inferius.

De Moris.

Cap. LVIII.

MOra ſitim tollunt, recreant cum faucibus uvam.

Animadversio.

NOn ausim silentio prætermittere *Mora*, quorum arborem Parens meus Principis Alensoni Caroli noni Christianissimi Regis fratris medicus quondam ordinarius inter sua insignia gestabat in argumentum prudentiæ quæ necessaria est iis, qui se Regum principumque famulitio addicunt. Est enim *Morus* arborum sapientissima, licet fatuæ & stolidæ nomen à Græcis per antiphrasim adepta sit. Quod nimirum

Parens autoris Medicus.

Exacto nonquam ni si frigore germinet arbos.

Vrbanarum arborum omnium, inquit Plinius, *novißima floret Morus*, *serotino germinatu se prodens*, *nec nisi exacto frigore. Sed cum cœpit, in tantum universa germinatio erumpit, ut una nocte peragat, etiam cum strepitu* Est autem dictum Morum à Græco μόρον, quod nonnulli ἀπὸ τῆς μωρείας per antiphrasin, deducunt, ego ἀπὸ τοῦ μόρου, τὸ βρύον designantis, quod *arboris flores ex villosa congerie* constent; alii malunt dictum ἀπὸ τοῦ μόρου, quod Cypriorum lingua ὀξὺ significat, sunt enim mori folia in summo acuminata radix cuspidata,

Differentiæ Mororum duæ: alba in cibo minus nobilia & expetita, nigra quibus plurima inest gratia. Alborum arbos frequens seritur propter folia, quibus bombyces nutriuntur, hoc est vermiculi lanam sericeam gignentes. Nigrorum planta ad usum medicum, & ad alimoniam plantatur. Sunt autem mora matura quidem & dulcia modice refrigerantia, & humectantia

Genus.

Temperies multum - acerba vero & immatura - frigida ſicca: dulcia ex ſtomacho facile ejiciuntur, ventrem humectant, & urinas provocant: jejuno ſtomacho aſſumpta, refrigerata prius in aqua frigida ſitim auferunt, æſtum & ſqualores ventriculi temperant, hepatiſque fervorem extingunt. Exiſtimavit Avicenna mora frigida eſſe & humida, Iſaac calida, Rhazes temperata, quas pugnantes ſententias ſic conciliandas docet Petr. Hiſpanus, ut ratione ſuæ ſubſtantiæ ſint frigida, ratione ſuæ citæ converſionis temperata; eo ſenſu quo ſtatuit Galenus oleum eſſe temperatum, quod cito convertatur pro natura rei admiſtæ; & denique calida eſſe comparatione facta ad immatura: pari etiam modo convenit inter eos qui mora laxare, quique alvum ſtringere ſtatuunt: matura enim laxant, immatura adſtringunt.

Cæterum mora eſitantibus duo pręcepta ſedulo Vſus in cibo. obſervanda veniunt. Primum eſt ut ſtomacho vacuo & mundo committantur; alias corruptioni obnoxia ſunt ac putredini, induunt facile naturam eorum quibus commiſcentur. Alterum eſt ut ingerantur ante alios cibos, ne diu reſtitent in ſtomacho, moraque putredinem primo acquirant dein aliis impertiant cibis. Nec quemquam morari debet Horat. 2. ſermonum ſcribens ſalubriter eum degere

——— Nigris qui prandia moris
Finiet.

Quo enim ſenſu verba illa accipienda ſint, ſuperius admonui.

Nec prætereundus eſt uſus ille mororum à Salernitanis commemoratus recreandi fauces & uvam. Is autem maxime dependet ex facultate

adſtringenti, ſiccanti, & refrigeranti, quod intelligendum eſt ubi indicatio adeſt reprimendi & repercutiendi humores à capite, vel aliis partibus ad guttur affluentes, quo tempore uſurpanda ſunt mora immatura & acerba. Quoties vero impacti humores & fixi digerendi & conſumendi ſunt, cavendum ab immaturis, ad matura autem confugiendum, quæ benigno ſuo calore atque humiditate, & ſedare dolorem, & diaphoreſin promovere, & duras tenſaſque partes emollire poſſunt. Cætera repetantur ex Athenæo, Mizaldo, Jul. Alexandrino, Porta, Plinio, Curtio. Unum addo in mororum commendationem & ſalubritatem. Refert Hegeſander ſua ætate intra viginti annorum tempus cum mori fructum non tuliſſent, tantam podagræ peſtem omnes invaſiſſe; ut non homines tantum, verum & pueri puellæque ac eunuchi & mulieres quoque eo morbo laborarint: nempe quod eo fructu ventriculum & jecur non refrigeraſſent, nec ſanguinem ſuo ſero purgaſſent, quod moris deturbari & evacuari notant Arabes.

De Ficubus.

Cap. LIX.

» *PEctus lenificant ficus ventremque relaxant;*
» *Seu dentur crudæ, ſeu cum fuerint bene co-*
» *ctæ.*
» *Nutrit & impinguat varios curatque tumores.*
Scropha, tumor, glandes ejus cataplaſmate cedunt.

Junge papaver ei, confracta foris trahit ossa.

Ficuum facultates.

HIc duæ ficuum cataplasmatis modo impositarum facultates referuntur. Ac prior quidem, quod cum aqua, sive alio quopiam convenienti liquore decoctæ humidæque impositæ, scrophulas, glandes atque tumores discutiant. Per scrophulas vero, quemadmodum doctissime à Jano Cornario in capit 8. lib. 1. Macri scribitur, Latinis non recepto adeo vocabulo, strumæ intelliguntur. Videtur autem ex Greca voce factum esse. Sicut enim Græci χοιράδας appellant, quas nos strumas dicimus, sic visum fuit huic, qui primus scrophas appellavit eos glandularum circa collum ac guttur tumores, Græcæ vocis etymon exprimere, χοιράδες enim ἀπὸ τῶν χοίρων appellatæ sunt, hoc est à porcis ac suibus: vel quod Avicenna 3. 4. tract. 2. cap. 9. teste, ob edacitatem haud raro circa hoc animal reperiantur, vel quod earum figura porcis plurimum adsimiletur. Per Glandes accipiendus hoc loco abscessus, ut Cuidoni Cauliaco placet, utcumque mollis, unicus, mobilis & separatus à partibus circumjacentibus: in emunctoriis plerumque nascens: talis enim à glandis forma quam præ se ferre videtur, nomenclaturam accepit. Lege Jo. Taguitium lib. 1. institutio. Chirurg. capit. 13. Porro per tumores quælibet inflationes in quavis corporis parte exortæ intelligi possunt. His enim omnibus curandis ac maturandis ficus in aqua cum momento aceti, ut penetrationem earum adjuvet, decoquendæ sunt, donec mollescant, mox liquore per colum transfuso, ficus ipse in mortario contundendæ, ac cum eodem rursus cataplasma informandum.

Aetius l. 15. c. 5.

ctum. Cataplaſma autem proprie medicamentum vocatur, quod è plantis viridibus contuſis, vel iiſdem ad mollitudinem uſque in aqua decoctis componitur: id quod innuitur etiam vulgato verſiculo:

> Tunc cataplaſma facis, cum ſuccum ponis & herbam.

Poſterior vero facultas; quod cum papavere impoſitæ ficus fracta extrahant oſſa. Quo ſane loco erraticum illud papaver intelligendum eſt, quod in arvis paſſim naſcitur flore rufo, & capite pollicaris unguis magnitudine. Pueri in Scholis ἐγκαυστὸν, id eſt, atramentum librarium ex contritis florum foliis conficere ſolent. Dioſcorides libro primo capite centeſimo quadrageſimo ſecundo, de foliis ejus privatim teſtimonium præbet, quod cum ficubus cataplaſmatis modo impoſita ad extrahendum oſſa fracta conducant. Sed adſcribam ipſius verba Ἀνάγουσι δὲ ὀλυνθος καὶ ὄστα σὺν μήκωνος ἀγρίας φύλλοις, id eſt, Groſſi cum ſylveſtris papaveris foliis oſſa extrahunt.

> Vermiculos, veneremque facit, ſed cuilibet obſtat

Duo hic traduntur effectus ficuum. *Primo* namque ex largiore ipſarum uſu pediculorum multitudo provenit: quod de iis potiſſimum intelligendum eſt, quæ, ut refert Galenus libro ſecundo de aliment. facult. capite octavo, & poſt hunc Avicenda 2. Canon. capite 283. maturæ prorſus ac ſiccæ ſunt: quandoquidem ſanguinem non admodum bonum ſudoremque multum gignunt. *Deinde* vero ad Venerem irritant. Excrementitiæ enim ſunt, & inflationes pariunt, quibus vir-

ga erigitur, & Venereæ roborantur vires. Plura supra.

Animadversio.

Laus ficuum.

FIcus simplicis vitæ principium fuit, propterea magnus ejus usus & gloria apud antiquos. Ananio ficus dictæ sunt τ̃ χρυσ̃ χρυσοδέστεραι, *auro meliores* Homero γλυκέραι καὶ ἀγλαόκαρποι. Pausaniæ ἱεραὶ. In conviviis Lacedæmoniorum quæ Phidia vocabant, singulis convivarum mensis ficuum aliquot minæ destinabantur: nec enim sine eo cibo edere volebant, qui ex mitioribus primus inventus fuit. Veteres, ut dulces anni dies à dulcibus auspicarentur, Calend. Januar. caricas & mella amicis ac propinquis elargiri solebant. Athenienses locum in quo primum repertam ficum aiunt, *sacram ficum* appellabant, fructum vero ἡγητήριον quoniam in ea primum inventus sit cibus domesticus. Ex Græcis eruditissimi privatim volumina ejus laudibus dicarunt, ut propterea mirum non sit, si tam effuse Plinius in illius prędicationem decurrat. Nolim autem hic omnes fabulas commemorare, quæ de ejus nomine circunferuntur, dictam à fœcunditate Latini auctores volunt, à Sycea ex Titanibus uno σῦκον Græci. Fici genera duo, sativum, & sylvestre, quod à Græcis συκῆ ἀγρία & ἐρινεὸς, à Latinis *Caprificus* appellatur. Fructus quoque duplex: immaturus qui ὄλυνθος, nobis *Grossus* dicitur; & maturus qui si recens & viridis, ficus propriè; si desiccatus, ἰσχὰς, seu *Carica* vocatur, pinguis etiam dicta; quod si maturitatis falsam speciem prætendat, φήληκες appellationem sumit. *Psytalia* est quæ ne-

Nomē

Genus.

que recens, neque arida, *Iscadoptes* quæ ſale condita ex Cratino. Ficuum fundum Attici *umbilicum* vocant, folliculum *grumam*? grana κεγχραμίδας & *frumenta*; ſuccum, *lac*, lachrymas ſauciatæ arboris *opon*, quod generaliter multi ad arborum omnium lacrymam protendunt: decoctum, *ſyræum & ſycion* Ficuum generum ingens, tam apud Græcos, quam Latinos numerus, uti in alia arbore tot reperire non ſit: nam & figura & colore & magnitudine differunt, regionibus quoque & provinciis, Auctorum denique ipſis nominibus, quæ omnia methodo & ordine digeſta legi poſſunt apud Curtium libr. 24. hortorum. *Ficus* primo ordine calefaciunt intento, deſiccant medio primi, quod de *caricis* eſt intelligendum, nam *virides* propter admiſtam humiditatem facultatis ſunt imbecillioris. Certe quanto longinquior eſt ficus à maturitate, tanto minus calida eſt, ſed craſſarum magis partium, cum matura & ſicca partium quandam tenuitatem obtineat. Quę *pinguis* exiſtit, concoquit magis; quæ guſtu acrior, potentius exterget, & digerit. Tempe-ries.

Olim tam recentes, quam paſſæ ficus panis & obſonii vicem habuerunt, eoque cibo priſci Athletæ vires aluerunt, priuſquam Pithagoras eos ad carnes tranſtuliſſet. Sole ſiccatis & ſale condîtis, caſei loco etiam veſci excogitatum. Nec injuria profecto, cum minus quam cætera poma mali ſint ſucci, cum ventrem cieant ac facile exeant, cumque ſatis mundent & purgent. Medicinæ Princeps Galenus ut ſalubrem vitam degeret, ab omni fugaci pomo à 28. anno ad ſenectam uſque abſtinuit, exceptis exactè maturis ficubus ac uvis. Nutriunt ergo abundè, ſed Vſus in cibis.

adstrictam & robustam non efficiunt carnem, ut panis & caro, sed mollem & laxam, simulque vento ventriculum implent, nisi probe concoquantur. Compertum est vinearum & ficuum custodes quos Græci συκωρὺς vocant, cibatu liberaliori ficuum obesiores effici, sed postea molem illam corporis facile collabi atque detumescere. Tria autem cum in ficu reperiantur, *cortex*, *semen*, *& caro*; cortex, quia siccus, ita coctu durissimus existit, semen coctionis expers est, sola caro ut solutu facilis sic coctioni ac nutritioni accommodatior. Inter ficus vitia, pediculorum generatio recensetur, quæ ideo fit, vel quia in impuris corporibus putrent ficus, vel quia subtilem sanguinem in puris corporibus producentes, faciunt ut ejuscemodi sanguis ad exteriores partes cito feratur secumque quidquid est humoris putrentis vel pituitosi trahant, unde postea pediculi generantur. Quod autem primò observant Salernitani, ficus lenire pectus, id omnibus perquè non probatur. Eas enim voci contrarias Demetrius Sceptius voluit, consuluitque vocis studiosis ut iis abstinerent, exemplo Hegesinactis Alexandrini historiarum scriptoris, qui cum à principio pauper esset, Tragœdiarum optimus actor evasit, quod ficubus per octodecim annos abstinuerit. Verum cum tenuandi facultate & incidendi, digerendi ac abstergendi eximia polleant, certum est earum esu εὐτονίαν procurari: deinde vero si ea quæ renibus conveniunt, pectori quoque accommodata esse constat, cum arenulas è renibus educant ficus, urinariosque meatus expurgent; expurgando quoque thoraci erunt idoneæ. Cætera patent ex commen-

Pediculos generant ficus.

tario, & ex autoribus à me laudatis, legere potes aliquot problemata de ficubus apud Plutarch. in sympos. & multa adagia apud Erasmum in Chiliadibus.

De Mespilis.

Cap. LX.

MVltiplicant mictum, ventrem dant Mespila strictum.
Mespila dura placent, sed mollia sunt meliora.

DUæ Mespilorum utilitates hoc loco recensentur. Una quidem, quod mictum sive urinam multiplicent atque augeant. Quod certe non primo & per se ac propria sui ratione efficiunt, sed ex accidenti. Fæces enim comprimendo indurant, quo fit, ut ventris humor ad vesicam distribuatur. Quinetiam ratio adsignari potest similis illi, quæ est apud Hippocratem Aphoris.lib. 4. Aphor. 83. Mictio noctu plurima facta parvam significat dejectionem. Quoniam, ait Philotheus, multa & magis conferta distributio facta est in jecinore, & alio derivata est materia, ideo multæ urinæ fluxerunt, parum autem stercoris; & è converso si multa stercoris dejectio fiat, pauca erit urinarum excretio eadem de causa: nam parva distributio facta est, & ideo etiam parum urinæ, multa autem per stercus dejectio, quoniam in ventriculo manet humidum. Altera vero, quod ventrem detineant: idque præstant maxime qualitatis ratione, quæ inest ipsis

Al. Escul. 1.

Mictio. nocturna.

acerba admodum & ſtyptica. Ex quo infertur hoc loco, meſpila dura placere, quippe quæ ob adſtrictionem alvo fluenti in cibo accommodatiſſime exhibeantur: ſed mollia eſſe meliora, ut quæ magis nutriant, & alvum minus ſiſtant. Illud porro neminem latere debet, omnibus hujuſcemodi parce veſcendum eſſe, non autem affluenter, ut pyris, perſicis, ficubus uvis, & ſimilibus. Nullo enim ipſorum ut alimento, ſed ut medicamento potius indigemus. Quod ſatis quidem colligitur ex ſaporis acerbitate, & duritie ſubſtantiæ, ut quæ præterquam quod tardius in arbore maturitatem conſequuntur, minus etiam quam ut edi queant molleſcunt. Atque hac ſane de cauſa priuſquam edantur, reponi ſolent donec emolliantur. Sic enim quamplurimum ex acerbitate & ſtypticitate amittunt, & in cibo ſuaviora fiunt.

Animadverſio.

PAuca de Meſpilis annotanda habemus cum Galeno teſte lib. 2 de facult. aliment. cap. 25. non ut alimento, ſed ut medicamento potiùs Meſpilis indigeamus. Si quis tamen eorum facultates ſcire velit, eas breviter ex Simeone diſcat. *Meſpila*, ait, *matura nonnihil caliditatis participant; immatura vero, frigida ſunt ſtupere faciunt, ventremque ſiſtunt.* Male autem Gyraldus vertit ſtupere faciunt, στυφώδη enim, ut habetur in Gręco, adſtringentia ſeu obturantia ſignificat. Sed vir doctus mendum latere exiſtimavit in Gręco & loco στυφώδη, στρυφνὰ legi debere quemadmodum apud Hippocratem, Galenum, Paulum

Temperies.

Gyraldi error.

& Ætium legitur, quæ vox *acerba*, *auſtera*, *dentes obſtupeſcere facientia* deſignat. Utitur tamen Galenus verbo στύφειν in explicanda meſpili natura, libro ſecundo de aliment. facult. Iſaac diæt. particul. meſpila frigida & ſicca in primo gradu conſtituit; eaque ſi edantur, ante cibum ingerenda, quod habeant vim ſtomachum roborandi vomitumque compeſcendi, quæ verba Hiſpanus ſic explicat ut debeant cum per modum medicamenti dantur, ante cibos aſſumi, cum per modum alimenti, poſt cibos quia eos faciunt deſcendere. Gratia autem in mollitie eorum eſt, aliàs edendo non ſunt. Vix autem molleſcunt in arbore ſed ſubſterni paleis ſolent. Cruda minus ſalubria, cocta magis. Apponuntur autem vel ad ignem ut poma alia, vel decoquuntur in vino adjectis cinnamomo & ſaccharo, vel friguntur cum butyro recenti & ſecundis apponuntur menſis, edulio ſatis ſuavi. Parantur etiam in panificium cum ſaccharo ad robur ventriculo conciliandum. Cum autem meſpila alvum conſtringant, mirum eſt urinas movere eorum ſemina in pulverem contuſa: Certe Braſſavolus expertum ſe dicit pulvere eorum ſeminum lapillos è renibus vehementer ejici, urinas cieri, veſicæ lapidem minui: eorumque auxilio Petrum de Argenta plures quam ſexaginta è renibus lapides minxiſſe, & Andreę Rhodo adeo lapides renum comminutos, ut in pulverem redacti ſine dolore exirent.

Perſuaderé cupit, credat Iudæus Appella,
Non ego

Qui Hippocratis & Galeni doctrina imbutus, & in Pariſienſi ſchola inſtitutus, frequentique ex- Braſſavolo non fidendũ.

perientia rerum magiſtra inſtructus, nullum eſſe medicamentum comminuendis renum veſicæque calculis cognovi, quos etiam adeo duros ſolidoſque interdum deprehendi, ut inſtrumenta ferrea lithotomorum, vel frangere ſoleant, vel hebetare. Quod dictum volo, tum contra eos qui arcana quædam ſeſe habere ad calculos in veſica frangendos impudenter jactitant, tum ad monendos eos qui calculo laborant, ne ejuſcemodi impoſtoribus fidant, eorumve medicamentis erodentibus & exedentibus: ſed tempeſtivè perito lithotomo ſe committant, cum non ſit huic morbo pręſidium aliud. De differentiis & ſpeciebus Meſpili conſulere potes Dioſcoridem lib. 1. cap. 133. Theophraſtum lib. 3. hiſt. plant. c. 19. Plinium lib. 15. c. 20. Braſſavolum comment. Aph. 20. lib. 2. Hippocratis, Mathiolum ad Dioſcoridem.

De quibuſdam Aromatis ex plantis deſumptis ac primo de Pipere.

Cap. LXI.

Qvod piper eſt nigrum, non eſt diſſolvere pigrum,
Phlegmata purgabit, concoctricemque juvabit.
Leucopiper ſtomacho prodeſt: tuſsique dolorique
Vtile, præveniet motum, febriſque rigorem.

AGitur hoc in loco de triplici genere piperis longo ſcilicet, albo, & nigro. Et fructus quidem, ut lib. 8. cap. 42. de ſimpl. med. fac,

Galenus memoriæ prodidit, nuper admodum germinantis arboris, oblongum eſt piper: maturæ humiditatis ejus indicium eſt, quod facile repoſitum perforetur, ac non protinus mordicet, ſed poſt paulo incipiat, verum pluſculum duret. Fructus veluti acerbus immaturuſque, album eſt piper, nigro quidem acrius. Nam illud jam quaſi ſuperaſſatum eſt, & ſuper exſiccatum. Longum quidem piper, μακρὸν Græci, album λευκὸν, nigrum μέλαν πέπερι vocant. Sane prioribus duobus verſibus tres nigri comprehenduntur proprietates.

Prima, Quod in diſſolvendo non ſit pigrum, hoc eſt, craſſos, glutinoſos ac frigidos humores flatuoſoſque ſpiritus egregie diſcutiat. Valenter enim tum excalefacit, tum deſiccat, ordine nimirum tertio completo.

Secunda, Quod phlegmata expurget: viſcidam enim pituitam, quæ in interiore corpore, nempe in thorace, pulmone & inteſtinis reſidet, concoquendo atque extenuando diſſipat, expellitque.

Tertia, Quod plurimum adjumenti concoctoriæ adferat facultati. Hoc ipſum Dioſcorides etiam libro 2. capit. 145. his confirmat verbis: Somnum inquiens, & appetentiam cibi conciliat, concoctionem adjuvat: utimurque ob id eo ad intinctus. Porro ad eum uſum melius eſt longum: quippe quod Galeno libr. 4. capit. 10. de ſanitate tuenda teſte, flatuoſi ſpiritus craſſitudinem ſolvit, & quæ in præcordiis pigra ceſſant, ad ventrem depellit, & concoquendis, quæ ſumpſeris ſubvenit. Poſterioribus duobus verſibus quinque albi piperis referuntur utilitates.

Prima, Quod ſtomacho conferat: ipſum enim ut Galenus eodem quo antea loco teſtatur, ſupra duo reliqua genera roborat.

Secunda, Quod linctu potuque tuſſientibus opituletur: præſertim ſi ex frigido & craſſo humore tuſſis evenerit: eum namque piper album calefacit, incidit, diſſolvit. Pari modo & cunctis aliis frigidis, & pituita ortis pectoris vitiis ſuccurrit.

Tertia, Quod dolori ſubveniat, idque intelligendum vel de dolore pectoris, ut jam dictum eſt, vel de dolore flatuoſo. Potum enim cum melle & recentibus lauri foliis, flatuoſos ſpiritus & tormina diſcutit.

Quarta, Quod præſumptum febrium acceſſiones, ſive exacerbationes, παροξυσμὺς Græci vocant, avertat, & hoc quidem in febribus frigidis. Earum namque materiam excalefaciendo quodammodo diſſipat & expellit.

Animadverſio.

A Roma materia eſt luxus è cunctis maxime ſupervacui, ubi ſcilicet commendando corpori, non condiendis cibis, aut caſtigando aëri transfertur. Magnum tamen in odore momentum eſt cum tranſeuntes invitet etiam aliud agentes. Quibuſdam quoque viſum fuit eo nutriri poſſe animalia, quam fabulam ſupra nos diluimus Ariſtotelis auctoritate. Verumtamen locum habuit inter condimenta odor, cujus ſolius gratia multæ plantarum partes menſas noſtras exornant, idcirco dicta *Aromata* quaſi ſuavolentia, ab ἄει καὶ ὄζειν. Olim ſimplex erat ſine condimento, ſine ſalſa-

Noxæ aromatum.

mento, ſine odoramento cibus : Nobis ſine peregrino ſapore non ſapit. Advehimus ex Arabia, orbe novo, & utraque India odoratas merces ingentibus emptas pretiis, immenſis periculis partas : eo ſcilicet conſilio, ut carius graviuſque ægrotemus, vitæ noſtræ jucundo veneno inſidiemur. Acute quidem, ut omnia, Plinius dixit *odorum fragrantiam illico expirare ac ſuis mori horis*, quod utinam tam vere aſſeri poſſet de vitiis ab odoratis condimentis inductis, ut nimiram expirarent illico, nec tam acriter conſtanterque durarent. Vix ſufficiunt tabernæ recondendis aſſervandiſque aromatis, vix navigia hujuſcemodi mercibus advehendis paria ſunt, & ipſa mehercule natura rerum, ſatiandæ hominum libidini impotens, rerum aromaticarum inopia videtur laborare. Has tamen terræ divitias in luxum nobis natura non explicavit, ſed noſtra libido & corruptrix morum gula, quæ niſi Medicinæ ſalubribus præceptis frenaretur, in perpetuam ægritudinem vitam noſtram præcipitaret. Itaque Medicina proviſum fuit ne aromatum uſus perpetuo noxius foret : ſed tali adminiſtraretur moderatione ut pro remedio eſſet languentibus, valentibus pro alimento. Hinc enim non tantum adlubeſcentia cibi major ſumentibus oboritur, & ventriculo amplexandi cibi aviditas major : ſed & reparatio ſpirituum celerior, aſſumpti alimenti diſtributio facilior, conſervatio melior, tutior aſſumptio, perfectior elaboratio. Conditus enim cibus ſuaveolenti aliquo aromate arctius à ventriculo excipitur, tum ipſe odore ſuo intro delatus emendata ſuccorum malitia ſecurum corpori alimentum præbet, non modo non facile putreſcibile, ſed etiam aliorum prompte putrefactionibus occurrens. Quapropter

Vſus aromatum.

Dioscorides cum duos esse præcipuos Medicinæ scopos animadverteret, sanitatis conservationem, & morborum curationem, *materiam Medicam pertractaturus*, inquit Caspar Bauhinus, *censuit præstantius esse valetudinem conservare quam amissam recuperare quare ab illis exorsus est. At tum nihil sit*, inquit, *quod tam valetudinem conservet, quam spirituum calorisque nativi refectio, ea quæ cito hæc præstare queant, præponit, ejuscemodi autem sunt aromatica.* Ex quo tamen observare est, *Piper & Zingiber*, de quibus acturi sumus inter Aromatica à Dioscoride reposita non fuisse, sed inter oleracea & acrimoniam habentia: non quod duceret ea ex aromatum censu eliminanda, sed quod majorem eorum in culina quam in Medicina usum observaret. Nec sane injuria cum teste Valerio Cordo, *hæc duo inter omnia aromata plurimum acrimoniæ & minimum aromaticitatis*, ut ipse loquitur, *habeant*. Licet autem concoctrici facultati plurimum adjumenti adferant, & crassiora edulia reddant salubriora, quia tamen calida sunt ac subtilia, caloremque nativum nimis excitant, primigeniumque humorem dissolvnt, eorum usus moderatus esse debet, senibusque potius quam junenibus, pituitosis quam biliosis, hyemali constitutione verius quam æstiva familiaris magis. Gaudet certe insitus membris omnibus calor influenti quo foveri ac recreati possit. Is autem idoneo nutrimento immiscetur, cui devehendo inserviunt odorata, simulque emendandæ ejus pravitati à qua alias proventus humorum excrementitiorum & malignorum exurgeret. Experientia quotidiana testatum habemus syncope laborantes odorum fragrantia excitari, coquosque frequenter igni assistentes,

& odorem ciborum haurientes minus ægrotare, & esurire minus. Sed hæc de qdoratis generatim dicta sufficiant.

Venio ad Piper quod nativum patriæ suæ nomen non exuit : dicitur enim Græcis πέπερι & à Latinis Piper;in cujus desctibenda historia veteres omnes hallucinati sunt, Dioscorides, Theophrastus, Galenus, Philostratus in vita Thyanei, Plinius, alii, necnon ex recentioribus plerique. Unus ex priscis Arrianus in periplo maris Erythræi mihi visus est regionem, ex qua piper olim advehebatur, descripsisse. Ea autem est Malabarica piperis & malabathri ferax, ad quam navigatum fuisse, διὰ τὸν ὄγκον καὶ τὸ πλῆθος τοῦ πεπέρεως καὶ τοῦ μαλαβάθρου, tradit idem Arrianus. Imo vero convehi piper *Cottanaricum* addit, quod diversum non est à *Calecutiano*, sic vocato à Calecutio Malabaricæ regionis Metropoli. Decepti itaque veteres in assignando piperis loco natali, quem Plinius libro duodecimo capite septimo, & Philostratus libro octavo de vita Apollonii, capite primo, Caucasi montis partem Erythræo mari obversam, esse arbitrantur. Lapsi quoque in describenda arboris formâ piper ferentis,quam Junipero Plinius, Philostratus Agno similem facit, cum re vera alia figura pingatur à Clusio exoticorum libro decimo capite decimo nono, Garcia ab horto lib. 1. histor. aromatum cap. 22. Christophoro à Costa cap. 16. lib. aromatum, Ludovico Vartomanno lib. 5. cap. 14. & lib. 6. cap. 19. Joa. Fragoso cap. 12. historiæ aromatum, Auctore Anonymo Geagraphiæ Nubiensis septima parte secundi climaris, Lerio cap. 13. historiæ Americanæ. Hallucinati præterea sunt in statuendis piperis differentiis & ejus collectione.

Piperis nomē.

Locus natalis.

Arboris figura.

Differentiæ.

Nam Plinius *longum* piper quod Græci μακρὸν vocant, credit esse siliquas piperitidis arboris tostas sole decerptasque priusquam dehiscant: *candidum* vero seu λευκὸν, semen esse siliquis illis contentum, sed nondum tostum solibus; *nigrum* denique seu μέλαν καὶ κοινὸν idem esse semen, tostum sole, & calore rugisque mutatum, adeout ex Plinio ejusdem arboris sit fructus triplex illud piper; cum è diversis arboribus producatur. Constat enim *longum* piper ab arbore produci quæ non plus habet similitudinis cum arboribus *candidum nigrumque* piper ferentibus quam faba cum ovo, inquit Garcias. At inter plantam quæ piper nigrum & eam quæ candidum parit, tam exigua est differentia, ut à solis incolis discerni possint; solus fructus discriminat, quemadmodum apud nos uvæ maturæ vitem albas uvas ferentem & nigras. Quis autem Philostrato crederet profitenti simias piperis esse vindemiatrices, easque propterea maximi ab Indis fieri, & adversus leones defendi? Fabulam qui volet repetat ex ejus loco supro citato; nobis enim figmenta illa non arrident. Satius est inquirere, num fabulosum sit illud, quod de ea arbore narrat Auctor citatus Geographiæ Arabicæ ex relatione Hachi filii Charri, ut habet auctor notarum Arabicarum in Garciam, vel ut vertunt Gabriel Sionita, & Joa. Hesronita Syriacarum, & Arabicarum litterarum interpretes Regii Parisienses, ex auctoritate filii Chordadebe. Is ergo prodit, inclinari & inflecti folia ejus arboris super racemos dum pluit, eosq; defendere à pluvia, attolli vero & removeri folia à racemis cessante pluvia, neque sese inclinare, nisi rursus imber deciderit. Cujus rei rationem ut reddamus, notandum pri-

Collectio piperis.

Proprietas ejus arboris, mira.

mo eſt ex eodem Geographo, ſingulis foliis ſingulos racemos piperis protegi, ſicque ramos diſponi, ut inter duo folia unus racemus conſtituatur: dein vero obſervandum ex Cluſio quodlibet folium binas uncias latum eſſe & quatuor longum, ſatis tamen tenue eſſe: habereque excurrentes quinque nervos quorum medius & craſſus non minus quam ipſa planta ſarmentoſus ſit, hoc eſt minimè fibroſus & ſolidus, ſed rarus & fiſtuloſus. Quo poſito nemini mirum videri debet, ſi tam magna parumque firma folia fructibus impoſita, adveniente pluvia fatiſcant, & flectantur in racemos quibus directè ſuperpoſita ſunt: quodque ceſſante pluvia denuo erigantur recurrente ſcilicet & implente cavos foliorum nervos ſpiritu calido, ſoleque una cum humore folium ipſum ſurſum alliciente. A qua forſan plantæ proprietate deſumi aliqua ratio poteſt, cur piperitidem arborem à Græcis vocatam ἄγνον, τά τε ἀλλά καὶ τὸν κόρυμβον τοῦ καρποῦ, hoc eſt *caſtam ac puram cum partibus aliis, tum maxime fructuum racemis* referat Philoſtratus. Cum enim racemi folio velut veſte ſemper tegantur, non video quomodo ſordidi eſſe poſſint, mirarer potius ſi non eſſent perpetuo mundi & nitidi. Atque in eo admirabilem naturæ providentiam, ſatis ſuſpicere non poſſum, quæ ne virtus hujus aromatis in calore & eximia ſiccitate conſiſtens, humore nimio ac frigore aqnarum exoleſceret, tutum & ſecurum voluit eſſe hunc fructum ab injuriis pluviarum, & aëris humentis vitio, folioſo iſto & naturali munimento.

Cæterum piperis differentias plures non recenſeo, quam quæ à veteribus cognitæ, & in uſum quotidianum uſurpatæ ſunt, quid enim comme-

morarem *Canarinum*, *Æthiopicum*, *Indicum Occidentale*, *caudatum*, *Capſicum* ſeu *Americanum*, *Guineum*, *Braſilianum*, *Indicum* Avicennæ, cum nobis uſui non ſint? Temperiem piperis explico, quod valenter excalefacre & deſiccare habemus ex Galeno 8. ſimplicium. Ex Arabibus nonnulli calidum & ſiccum ad quartum uſque gradum eſſe aiunt, quo fit ut quidam quærant, cur calida in quarto gradu ſicut piper, venena non ſunt quemadmodum quarti gradus frigida, curve piper veluti euphorbium deleterium non ſit, quam quæſtionem legere potes apud Petrum Hiſpanum commentario in Iſaacum. Potior tamen eorum eſt ſententia, qui piper calidum & ſiccum ordine tertio faciunt. Nec enim Empirici audiendi ſunt, aut ſpagyrici qui piper frigidum arguunt, aquamque ab eo elici quæ tertianis febribus opituletur. Quercetanus in Diætico ait piper aromata cętera vincere ſalubritate & temperie minuſque aliis excalefaciens eſſe nedum incendens. Quod enim acumen & acrimonia in pipere guſtu deprehendatur, *proficiſcitur*, inquit, *ex ſale ejus aronico*, *ſubtili*, *penetrante*, *attenuante*, *incidente & diſſolvente*, *à qua tartarea omnia & viſcida ex ventriculo*, *aliiſque partibus ſoluta facile deturbantur*. Addit multos hodie in præſtantiſſimum & promptiſſimum tertianæ febris remedium habere oleum quod chymicâ induſtriâ ex pipere elicitur: *cujus aliquot guttæ cum idoneo liquore exhibitæ tartarum in quo ſeminarium morbi continetur*, *diſſolvant*, *ac ſolutum per urinas aut ſudores diſcutiant*. Quæ philoſophandi ratio veteribus omnibus Medicis ac philoſophis omnino eſt adverſa, apud quos nemo extitit, qui piper eximiè calidum non adſtruxerit. Profectò vetuſtiſſimus

Temperies piperis.

Cur piper non fit venenum.

An piper frigidum.

ctissimus Medicus Philo apud Galenum lib. 9. de compos. Medica secundum locos ob flammeum fervorem piper album ænigmaticè vocavit πυρώδες ἀργυνόν, quasi *ignitum candidum* dicas, aut *candentem flammam*. Andromachus vero senior elegiaco carmine, quo Theriacam ex viperis describit apud Galenum libro primo de antidotis, idem piper ἀγλαΐην appellavit, non tam à *nitore* quem habet, quam ab ipso *calore*; allusione scilicet facta ad Aglaïam quam Hesiodus in Theogonia scribit Vulcani esse uxorem. Vocans ergo Andromachus piper Aglaïam seu uxorem Vulcani, tacite innuebat piper cum igne maximum habere consortium & arcta necessitudine invicem esse conjuncta: quod miror nec Galeno in mentem venisse, nec Cornarium subolfecisse, dum locum illum exponerent. Cum autem piper triplex sit, non satis inter omnes convenit, quodnam genus calidius habeatur. Dioscorides l. 2. c. 89. Theophrastus 9. hist. stirp. c. 22. & Plin. l. 12. c. 7. *nigrum* piper δριμύτερον τοῦ λευκοῦ, *acrius candido* faciunt; Galenus vero 8. simplicium & lib. 9. localium cap. 4. *album acrius quam nigrum* constituit, quod verissimum esse hodierna experientia testatur. Habuit rationem gustus Galenus, alii coctionis: cum enim crederent album piper à nigro differre sola torrefactione per solem, arbitrati sunt tostum sole piper & omni superflua humiditate exhaustum validius candido nonnulla adhuc humiditate scatenti. In quo sane illis parcendum est veram piperis historiam ignorantibus. Quapropter insignem errorem apud Dioscoridem esse non diffiteor, dum scribit, τὸ μακρὸν ἐπτεταμένον τῇ ὄψει καὶ ὑπόπικρον διὰ τὸ ἄωρον καὶ ἐπιτήδειον εἰς τὰς ἀντιδότους καὶ θηριακὰς δυνάμεις; *piper longum in-*

Quod genus calidius.

Dioscorides explicatus & emendatus.

tensa mordacitate præditum esse, & subamarũ quoniam immaturum, antidotis itidem & Theriacis medicaminibus expetitum Quid hæc sibi volunt piper mordax esse & subamarum quod immaturum decerpatur? Paulo ante Dioscorides scripsit piper aliud τέλειον, perfectum & maturum; aliud ὀμφακῶδες acerbum & immaturum, & paulo post addit nigrum acrius esse ac suavius διὰ τὸ εἶναι ὡραῖον, *quia maturum est*, candidum vero imbecillius quia ὀμφακίζον, hoc est *acerbum & immaturum* existit. Jam vero cum acerrimum & subamarum dicat esse piper longum quod sit immaturum, nemo non videt Dioscoridem sibi contradicere, tum quia constat apud eum, longum piper ante maturitatem decerptum fuisse, tum quia verum est maturatione ampliorem acrimoniam comparari, immaturitate acerbitatem. Si ergo nigrum piper validius est, quia maturum; longum non erit validius quia immaturum; cum maturitas & cruditas eundem effectum non producant. Ut igitur tollatur omnis in tanto Auctore contradictio; vel sequendus est vetus codex Lacunæ, vel rejectis aliquot verbis vulgaris emendandus. Sic vero habet Lacunæ Codex: ἔστι δὲ τὸ μὲν μακρὸν, διὰ τὸ ἄβρων, ἐπιτηδειώτερον εἰς τὰς ἀντιδότους, id est *piper longum quod mordacitate careat accommodatius est conficiendis antidotis, &c.* Ego vero sic legendum duco: ἔστι δὲ τὸ μὲν μακρὸν ἄβρον καὶ ἐπιτήδειον εἰς τὰς ἀντιδότους, cæteris rejectis, hoc est, *longum piper immaturum est & expetitum antidotis*. Non dissimulabo præterea, apud eundem Dioscoridem pro εὐστομαχώτερον legi εὐστομώτερον, id est ori *jucundius*, pro stomacho *gratius*: ait enim nigrum piper albo suavius, acrius, stomacho gratius & aromaticum magis, in quo etiam à Galeno dissentit & ab experientia,

Dioscorides emendatus.

per quam album cognoſcitur nigro calidius, odoratius, ſtomacho jucundius.

Porro inter nigri piperis facultates vis diſſolvendi à Salernitanis numeratur; quod etiam probat Simeon Sethi, incidendi craſſos & glutinoſos humores ventoſitateſque ac ſpiritus diſcutiendi virtutem ei concedens. Quæ virtus tam à calore quã à tenuitate partium qua piper pollet repetenda venit. Ejus vero tria grana vel integra, vel per medium interſecta ſi deglutiantur, dolores & inflationes promptiſſime ſtomachi compeſcunt, ſic enim tutius eſt exhibere piper quam in pulverem redactum: cum ea ratione exhibitum, calorem ſuum non exerat ultra primas venas, ſed confortato ſtomacho & reſolutis flatibus ventris in prima hac regione conquieſcat, cujus rei rationem affert Alexan. Aphr. probl. 67. lib. 1. Mirum autem videri poſſit, cur facultatis ejus purgativæ Salernitani non meminerint, quam Avicenna perſtringit l. 2 cap. de pipere; & ante Avicennam Ariſtot. probl. 44. ſect. 1. quo loco quærit, cur piper large ſumptum veſicam ſolvat, parce devoratum alvum, contrario modo quam ſcamonium, quod large ſumptum alvum, parce aſſumptum veſicam movet. Ejus problematis inveſtigationem tam copioſe & acriter ſuſceperunt Petrus Aponenſis, Julus Guſtavinus, Ludovicus Septalius commentario in illud problema, idem præterea Aponenſis differentia peculiari 147. & Petrus Hiſpanus comment. ad Iſaacum, ut plura adnotare tædioſum ſit. Quærit Alex. Aphrodiſeus 30. problem. l. 1. & apud Macrobium Saturnal. lib. 7. cap. 8. Cecinna Diſarium percunctatur, cur piper cuti ſuperpoſitum ulcerare poſſit, devoratum autem ventrem non ulceret? Sciſcitatur

Piper diſſolvit.

Vſus in Med.

præterea idem Aphrodiſ. probl. 45. cur devoratum piper ſingultum excitet: ſed cum ab illis auctoribus factum ſit ſatis, à me longior explicatio tradi non debet. Non omittendum eſt, uſum piperis in condimentis paulo ante Plutarchum cœpiſſe. Scribit enim lib. 8. Sympoſ. quæſt. 9. ſe noviſſe adhuc multos ex ſenioribus qui guſtare cucumerem, poponem, malum medicum & piper non ſuſtinerent, utpote cum inſolti eſſent cibi. Certe Athenæus lib. 3. Deipnoſ. cap. 7. malum medicum ſeu citrium cepiſſe edi narrat memoria ſuorum avorum cum ad illa uſque tempora nemo inter eſculenta habuiſſet. Plinius de malo Aſſyrio agens, *Pomum ipſum*, inquit, *aliàs non manditur*. Generalem autem & particularem piperis hiſtoriam fuſiſſimam & exactiſſimam expectamus ex eo opere, quod præ manibus typis cudendum habet Jacobus Maſcardus Romanus Typographus ſub titulo rerum medicarum novæ Hiſpaniæ, in quo omnes plantæ, animalia & mineralia Mexicæ continentur, cujus quidem meminit ipſe Maſcardus epiſtola præfixa parti alteri ſtirpium minus cognitarum Fabii Columnæ, cujuſque portionem vidit & legit Petrus la Seine parte ſua ſecunda de abolendo luctu. Poſtremo loco non reticebo Hebraicam vocem *Bedolach*, quæ habetur 2. Geneſ. & 11. Numer. exponi à Thoma Malvenda lib. de Paradiſo volupt. cap. 44. de pipere aut de Gariophyllo, non de bdellio, aut carbunculo, vel margaritis, velut alii expoſuerunt.

Bedolach.

De Zingibere.

CAP. LXII.

Zingiber ante datum morbum fugat inveteratum; "
Postque datum mollit, ventris fastidia tollit. "

Animadversio.

Manuscriptus codex Tullovianus hos versus ad Zedoariam transfert & accommodat: sed sive Zingiberi sive Zedoariæ adscribantur, fateor me non satis eorum sensum assequi, nec scire quem morbum ab isto aromate fugari tradant Salernitani. Nec enim inter Zeodariæ Zingiberisve facultates tale qui ab authoribus recenseri legi, ut propterea hic conjectura & στοχασμῷ mihi sit utendum ad eruendam hujus capitis intelligentiam. Multa quidem hoc loco de Zingiberis, Zedoriæque natalibus, ex Arabum præsertim traditionibus cumulare possem, sed paucis ero contentus ad scriptores aromatum Indicorum lectores remittens. Est autem Zingiber Græcis ζιγγίβερι, radix exilis plantæ, cujus folia Iridi aquaticæ seu gladiolo Garcias assimilat, Acosta lachrymæ Jobi seu milio solis, Anton. Pigafetta arundini; adeo difficile est crotici hujus aromatis ante Dioscoridis sæcula jam usitati veram formam habere. Radix ipsa radici Iridis non absimilis, major tamen cyperi radice, cum Ludovicus Vartoman. l. 5. c. 14. referat, interdum erui quatuor, octo, ac Zinziber.

interdum etiam duodecim unciarum pondo. Temperies varia, nam dum recens est, adeo tardæ & exilis est acrimoniæ, ut concisum frustulatim cum oleo, sale & aceto immisceatur acetariis, coquaturque cum piscibus & carnibus. Siccatum calidum est in tertio ordine, siccum in secundo. Attamen occursu primo non statim excalefacit ut piper, unde verisimile est ipsum minus esse subtilium partiū, si enim in tenues solveretur partes, celerrime sentiretur calidum. Apparet inde etiam inelaboratam & crassiorem quandam ei inesse substantiam, nec eam siccam & terrestrem, sed humidam potius atque aqueam. Quo fit ut facile perforetur, ob excrementitiam humiditatem, ex Galen. 6. simpl. Hanc corruptionem ut avertant incolæ Decembri & Januario mensibus legunt, siccant terraque pingui, & argillacea operiunt, ut obturatis poris ac foraminibus quibus id totum ocellatum est, difficilius corrumpatur. Ad nos geminum advehitur, *siccatum & virens*; sic enim officinæ zingiber appellant recens saccharo conditum, *siccato* utimur in condimentis, vimque habet aperiendi, cibaria concoquendi, ventrem stimulandi, ventosque discutiendi.

Tem-
peries.

Vsus.

Quod autem dicitur fugare morbum inveteratum, id intelligendum de eo qui excitatur à frigidis, crassis viscosisque humoribus: talis enim morbus longus esse solet, nec potest alio remedio citius tolli quam calefacientibus, incidentibus, attenuantibus, dissolventibus glutinosos lentosque humores: tale autem est & Zingiber & Piper; proinde dicuntur viscerum obstructiones resetare alimentiq; per corpus distributionem omnem promovere. Bene autem addunt Salernitani ante cibum dari debere, sic enim melius sese insinuat

in tenues venas, vim ſuam magis explicat in craſſos illos ſuccos, potentiuſque excalefacit & incidit, cum immixtum cibis de ſuis viribus multum remittat.

Mollire vero alvum blande ac leniter, prodidit Dioſcor. l. 2. & poſt Dioſcoridem Avicenna & univerſa Arabum familia. Refert tamen Avicenna aſſerere Alcanzi Arabem Zingiber ventrem cohibere, quod ſane intelligendum eſt de vetuſtiori & arefacto, cujus ſiccitate mirum non eſt alvum ſtringi: at recens & tenerum, multaque adhuc humiditate præditum alvum emollit & lubricat. Aut certe dicendum eſt cum Petr. Hiſp. Zingiber *magna quantitate datum ventrem conſtringere, vel ſi detur ventri conſtipato à fæcibus duris: cum enim dura tantum eſt alvus ab humoribus viſcoſis, ipſam ſolvit incidendo ac diſſolvendo; tum etiam ratione ſuæ humiditatis lubricando, tum denique ratione ſuæ acrimoniæ inteſtina pungendo.* An molliat alvum.

Porro faſtidium ventris aufert Zingiber concoctricem adjuvando ac roborando, proinde recte admonuit Dioſc. jam olim propotiſmatis ac pulmentis admiſtum, vimque obtinere πεπτικὴν & εὐςόμαχον eſſe Avicenna aſſerit digerere & cōvenire frigiditati hepatis & ſtomachi, ejuſdemq; humiditatem exſiccare, ac mollitiem, præſertim quam eſus fructuum induxerit. Idem habet Serapio ex ſententia Abem Meſuai. Narratur à Monardo ſaporem cibis, quibus inſpergitur, conciliare, concoctionem juvare, ventriculum roborare, naturalem calorem augere, languentem ciborum appetentiam è frigida cauſâ natam excitare, colorem denique faciei commendare. Verum tempus eſt, ut hic finem imponamus longæ huic de plantis diſputationi, & gradum faciamus ad Vires.

animalia è quibus cibus homini depromitur maxime proprius & naturalis. De cibo ergo ex animalibus in ſequentibus nobis erit agendum.

De Cibis ex Animalibus deſumptis, ac primo de Avibus eſui aptis.

CAP. XLIII.

Sunt bona Gallina, & Cappo, Turtur, Starna, Columba,
Quiſquila, Phaſiades, Merulæ, ſimul Ortygometra,
Et Perdix, Frigillus, Orix, Tremuluſque Amarellus.

AGitur hoc loco de pręſtantia alimenti, quod ab avium genere ſumitur, Enumerantur autem quatuordecim, ſed ita quidem, ut inde & reliquarum judicia facile colligas.

Gallina *Primum*, Gallina eſt: quo nomine non ſolum Gallinæ juvenes mediocriter pingues, ſed galli etiam gallinacei hoc loco intelligendi veniunt. Siquidem horum omnium caro, ut copioſe admodum differentia 68. Conciliator ex Haly, Avenzoaris, Averrhois & Meſuæ ſententia probat, alimenti eſt inter aves optimi: quia facile in ſanguinem vertitur, & parum excrementoſa eſt. Caro autem Gallinarum eſt melior quam gallorum, niſi ſint caſtrati. Nigrarum quoque, & quæ nondum pepererunt, eſt melior & levior, ut gallorum qui nondum coïerunt. Miram in corpore obtinet cum ipſius temperamenti, tum humorum æquandorum facultatem. Iis maxime convenit, qui vitam in otio ac quiete degunt, quique leviori ingenio ac mente ſunt. Colorem vividum

comparat, vocem clarificat, genitali semini adjicit, & cerebri substantiam auget. Jusculum eorum optima leprosis medicina est. Ad hæc Gallorum cum Gallinis nondum coeuntium testes deperditas in morbis vires mirifice restituunt: quam ob causam hecticis marasmo laborantibus, morborumque diuturnitate macrefactis utiliter exhibentur. Insuper & semen prolificum suppeditant, & venereas roborant vires. Decrepitorum autem præcipue Gallorum caro nitrosa & salsa cibo inepta, medicamentosa est jure suo maxime; potissimum vero Gallorum ruforum, qui ad motum sint alacres, ad coitum ardentes, ad dimicandum fortes, obesorum ac macrorum medii: quoque vestustiores, eo magis sunt medicamentosi. Plura Mesues lib. 2. de medic. simpl. purgant. dist. 1. capit. 23. Simeon Sethi in Syntagm. & Avicenna 2. c. 296.

Secunda, Capo, sive Capus: hoc nomine semimarem Gallum vocant, quum fuerit castratus, sicuti à M. Varrone libro secundo capite nono, & Columella libr. 8. capit. 2. de re rustica traditur. Hic enim in cibis gratior est, utpote remoto Veneris usu pinguior atque salubrioris alimenti redditus. Quare cum voluptate assumitur à ventriculo, ac facilius concoquitur. Capus.

Tertia, Turtur: hujus quoque caro cibis annumeranda est nulla omnino ex parte damnandis, qui neque tenues, neque crassi sunt, sed veluti in συμμετρία omnisque excessus mediocritate consistunt. De ea Galenus capite 7. libro de attenuante diæta, in hunc modum scribit: Qui non exercetur, mandendæ ei erunt Turtur.

modice non modo Gallinæ, ſed columbæ etiam, ac turtures, tametſi turtur temperamento eſt ſicco, & potiſſimum quæ in montibus degit, itaque veſci quis poterit eis innoxie; recens tamen turtur non modo non eſt mandenda, ſed nec perdix, nec alia omnia, quæ carnem habent moderate ſiccam: ſed ubi unum diem ad minus ſuſpenderis, ita demum mandas licet. Porro palumbes præterquam quod carnem habent columbis & perdicibus & turturibus duriorem, difficilem etiam ad coquendum & excrementitiam habent. Perdices vero ac turtures, neque duriſſimas habent carnes, neque concoctu difficiles, neque pravo ſucco vitioſas, ſed & ipſarum durities, ſi mortuæ uno die aſſerventur, facile vincitur, fiúntque friabiles omnino atque inculpatæ. Alimentum enim corpori dant laudabile, ſanguinémque minime viſcoſum generant, & craſſi ac tenuis medium. Proinde quibus ſalubris cibus curæ eſt, eos, ut arbitror, his uti convenit. Hęc ille. Plura Galenus in libro de cibis boni & mali ſucci, cap. 5. & Rhazes Aphor. libro 3. Aphor. 17.

Sturnus.

Quarta, Quorumdam opinione, Sturnus eſt, quem ψάρον Gręci vocant: avis nigra, albis maculis diſtincta, magnitudine Merulæ. Ejus generi proprium catervatim volare, & quodam pilæ orbe circumagi, omnibus in medium agmen tendentibus, ſicuti ab Ariſtotele libro nono cap. 26. de hiſtoria animalium, & à Plinio libro 10. cap. 24. traditur. Galenus lib. ſexto cap. 16. de ſanitate tuenda, inter perdices, attagenas, merulas & turdos, quæ quidem boni ſucci eſſe ab omnibus exiſtimantur, ſturnos etiam commemorat: cum tamen à multis illaudabilis eſſe alimenti ju-

dicentur: quippe qui melancholicum atque vitiosum generant succum, & cicuta, quæ venenum esse ab omnibus statuitur, vescantur, ut est apud Galenum libr. 1. capite 2. & lib. 3. capite 17. de simpl. med. facult. Huic objectioni Aloisius Mundella sic occurrendum putat: Nempe Galenum in 6. de sanitate tuenda in calculi renum vitio sturnos tanquam tenuis alimenti approbasse, itémque palumbes, & passerculos qui in turribus nidificant, πυργίτας Gręci vocant. Vel sturnos non ita fortasse improbi succi esse, prę sertim juvenculos, ut vulgus putat: quædam namque sunt animalia quæ adhuc in tenella ætate existentia boni sunt succi, ut vituli & hœdi; si vero annosa fiant, pravi. Hæc enim, ut ait Galenus lib. 3. de alim. facul. cap. 1. & concoctionis & boni succi, & nutritionis laude carent. Multo autem magis Galeno credendum est, quam vulgo ita inconsulte aliquam generalem proferenti sententiam. Neque etiam quód veneno pascantur, ab horum esu abstinendum est. Nonnulla enim animalia sunt, quæ licet venenis quandoque nutriantur, boni tamen sunt succi: quemadmodum de sturnis jam commemoratis constat. His enim cicuta nutrimentum est, homini medicamentum, imo etiam venenum. Siquidem sturnorum natura cicutam in substantiam suam vertere potest, quod homo non potest. Sunt tamen quibus Starna hoc loco magis arrideat, ut per eam avis accipiatur grandiuscula, magnitudine anseris, colore cinereo, cujus caro succi sit laudabilis, prę sertim juvenculæ. Atque ita sane Rhazes libro tertio ad Almans. cap. 10. intellexisse videtur, ubi hanc reliquo avium generi prę ferens, in hunc prope modum scriptum reliquit: Starnæ caro in-

ter aves leviſſima, atque his qui attenuante victus ratione delectantur, convenientiſſima invenitur. Vel per Starnam avis forma & magnitudine puſillæ perdicis intelligenda eſt. Sic Rabbi Moſes accepiſſe videtur, ita ad Judęos inquiens: Parimodo nec ſtarnæ domino noſtro convenire putandæ ſunt: quia ventrem conſtringunt. Sed hanc proprietatem alii ipſis perdicibus adſcribunt. Nam carnes earum, ſicuti à Simeone Sethi & Rhaze loco paulo ante citato aſſeritur, ventrem ſiſtunt. Quinetiam Baldachus quidam non contemnendus autor ſtarnas mirifice commendans, tabula 15. de rebus non naturalibus, ita fere ſcribit: Starnæ phaſianorum, ac perdicum naturæ propinquæ ſunt, & ſecundum ordinem ſeſe in temperamento & ſubtilitate habent. Prętantiſſimæ enim ſunt ſtarnæ, mox phaſiani, deinde perdices, ut quæ reliquis excellentius deſiccent: Docet pręterea Joannes Michael Savanarola, ab harum trium eſu abſtinendum eſſe, tum iis, qui quamlibet actionem fortem ac vehementem obeunt, tum ſanis etiam: ut ſi quando morbus aliquis inciderit, habeant quod ultra conſuetudinem ad edendum invitet.

Columba. *Quinta*, Columba, avis vulgo nota, quæ cum bilioſam admodum habeat carnem, ſanguinem moderato craſſiorem & calidiorem neceſſario gignit; atque ob id febres nonnunquam facit. Quare in paſtillis potius cum aceto aut omphacio & coriandro præparata, quam aſſa mandenda eſt: ita namque exuperantia caliditatis ejus ad συμμετρίαν commoderationemque reducitur. Renes frigiditate dolentes juvat, ſemini genitali & ſanguini adjicit, ſed caput atque oculos læ-

dit. Quinetiam leporina caro, si frequentius usurpetur, generare fertur. Non minimum vero reliquis pulli ejus volucres, tum succi probitate, tum concoctionis facilitate prestant. Involucres enim calidam ac humidam habent carnem, atque excrementitiam, & maxime domestici. Ex columbis enim, ut Oribasius tradit lib. 4. ad Eustathium cap. 1. agrestes domesticis prestantiores sunt, & omnino agrestia domesticis praecellunt. Electiores quoque pulli sunt per Ver & Autumuum, quam per Æstatem atque Hyemem exclusi fotique. Porro antiquae, & annosae non solum columbae, verum & turtures, tum ob caliditatis & siccitatis excessum, tũ vero & ob coctionis difficultatem vitandae sunt. Plura Simeon Sethi in Syntag. Rhazes lib. 3. c.10. ad Almans. Avicenna lib.2. Canon. c.132. & Averroes lib. 5. Collect. cap.32.

Sexta, Quiscula: vulgare nomen à sono fictum. Neoterici Qualeam vocant. Latinis (ut Festus ait) dicta est Coturnix, itidem à voce à qua multis avibus nomina indita sunt, ὄρτυξ à Grecis appellatur. Caro ejus, juxta Averrois sententiam temperata est, ad caliditatem tamen paulo propensior, ac tenuis substantiae optimique succi: quare sanis, ac iis qui convalescunt, alimentum est ad bonam valetudinem accommodatissimum. Verum Psello, Isaaco, atque aliis quibusdam non aspernandis Medicinae scriptoribus, Coturnix avis est tum ad concoctionem, tum ad succi bonitatem inhabilis, ut quae & Veratrum comedat, & morbo comitiali corripiatur. Unde Avicenna 2. Canon cap. 153. ab ejus usu suadet abstinendum, quippe quae tetanum & spasinum inducat. Ubi notandum tamen Avi-

cennam non ob id ſolum coturnicis cibum improbare, quod elleboro nutriatur, ſed etiam quod talis facultas, ſpaſmum ac tetanum generandi, illius inſit ſubſtantiæ. Hac ratione igitur Galli coturnices cum molli ac pingui caſeo paſtillatas edere conſueverunt. Poteſt etiam per coturnicem intelligi alia quædam avis, perdice aliquantulum major, genis, roſtro & pedibus rubenti colore, reliqua vero pennarum facie ad leucophęum vergente, quæ Italorum vulgo Coturnix appellatur: eſtque de Alpinarum volucrum genere, & in Sylveſtribus & frigidis locis montibuſque verſatur, & degit, neque ab Italicis regionibus unquam recedit. Cujus avium ſpeciei apud veteres fuerit, nondum ſatis compertum habetur: ſed ex guſtu, & odoratu, & loci natura, in quo continue commoratur, & ex iis quibus paſcitur: (nam illa grati ad modum ſunt odoris) boni & laudabilis eſſe alimenti judicanda eſt, & propterea in cibis merito expetenda. Quo ſane modo Rhazes etiam libro tertio capite decimo ad Athanaſium coturnicem accepiſſe videtur, cum ei ſecundum poſt ſtarnam bonitatis locum tribuit. De utraque coturnice, cum plurima, cum cognitu pulcherrima habet Aloiſius Mundella epiſt. 6.

Phaſianus. *Septima*, Phaſianus quem à Phaſide amne apud Colchos, ubi primum cognitus eſt, ita nuncuparunt. Hæc eſt decantata omnium libris avis, quam primam fere in menſis eſſe judicant, propter carnis bonitatem, à qua Medicinæ profeſſores veluti à ſcopo, de temperamentis ciborum judicia auſpicantur: ſucci enim probitate & jucunditate cæteris antecellit, neque ſolum ad victus ſalubris rationem, verum

ad robur quoque conciliandum accommodatissima est. Caro enim juvenculi ac pinguis convalescentibus, & morborum diuturnitate macrefactis optimus cibus est. Sed ob nimium atque immensum pretium, Principum duntaxat atque magnatum mensis dicata est. Meminit Phasiani Galenus libro tertio de aliment facultat. capite decimo octavo, sic inquiens: Caro Phasianorum, quoad concoctionem & nutrimentum attinet, Gallinis est similis, voluptate tamen in edendo superat, quin & sicciore constat temperamento, ut qui in sicciore degat aëre, & magis exerceatur. Lege plura de hoc apud Simeonem Sethi & Rhazem Aphor. lib. 3. Aphor. 13.

Octava, Merula: quæ quidem avis est nigro pennarum colore, rostro rutilo, & sturni magnitudine, Κόσσυφος à Grecis dicitur. Quamquam vero hæc à Galeno, Oribasio, atque Ægineta inter optimi succi alimenta connumeretur, carnem tamen, quam perdicis & attagenis, duriorem obtinet. Quare & ipsa juvencula ac pinguis mandenda est. Turdi quoque & reliquæ id genus aviculæ montanæ, omnes in hanc classem referendæ sunt. Merula.

Nona, ὀρτυγομήτρα: ea avis est turturis magnitudine, pennarum colore nequicquam à coturnice differens: rostrum longius est & acutius; crura pedesque satis etiam pro ratione corporis longos obtinet, quinetiam frugivora est & advena antequam coturnices haud uspiam audias; neque coturnices te amplius visurus speres, ubi hæc audiri desiit. Vox mirifica est coaxantium ranarum clamori non absimilis, nisi quod subtilior multo & acutior est. Caro ejus optimum Ortygometra.

gignit ſuccum, ubi per diem ſuſpenderis. Gilbertus Longolius in eruditiſſimo ſuo de Avibus Dialogo eandem eſſe putat cum κυχράμῳ. ὀρτυγομήτρα autem Græcis dicta eſt, quaſi coturnicum matrix, quod coturnicibus per maria terraſque advolantibus dux & rex itineris eſſe ſoleat, ab ὄρτυξ, id eſt, coturnix, & μήτρα, id eſt, matrix. Plura Ariſtoteles. lib. 8. cap. 12. de hiſtoria animal. Plinius lib. 10. cap. 23. naturalis hiſtor. Solinus cap. 18. & Athenæus lib. 9. Deipnoſophiſt.

Perdix. *Decima*, Perdix: hujus quoque caro medii fere temperamenti eſt, & coctu facilis, probumque ſuccum gignit, præſertim ſi non illico poſt occiſionem, ſed unum ad minus diem ſuſpenſa comedatur. Sic enim quod durum in ſe continet abjicit & friabilis redditur, quemadmodum ex Galeno paulo ante oſtenſum eſt. Sanguinem copioſum ac tenuem generat, adeoque craſſiorem, ſi forte in corpore invenerit, extenuat: idque alæ potiſſimum præſtant: quæ ut in reliquo avium genere, ita in hoc quoque facilius concoquntur. Et uno verbo dicã, optimæ quidem alę ſunt avium juvenum ſaginatarũ, peſſimæ vero macilentarum & antiquarum. Alimentum autem perdicum optimum eſt iis, qui ſe non exercent, & qui vitam degunt otioſam, quique imbeciliores & invalidi ſunt, tum etiam attenuante victus ratione aſſuetis, & hydropitis, quique humido ſunt ventriculo: vitioſos enim & corruptos ipſius humores conſumit atque abſtergit: memoriam aſſidue manſa corroborat, impinguat, ſemen auget, & ventrem ſtimulat, ſed eundem cohibet: vnde accommodatiſſimum diarrhæa laborantibus ſit edullium: ſi aſſa cum aceto ingeratur. Medulla cum

cum vino præsumpta Ictericos sanat: Jecur comitiali morbo correptis auxilio est: Fel quoque suffusionibus oculorum à principio mirifice prodest: facit & ad ipsorum hebetudinem. Si tempora singulis mensibus eodem felle perungantur, memoriæ confert. Plura Galenus libro 3. capit. 18. de aliment. facultat. & libr. 8. capit. 2. meth. medit. & Simeon Sethi in Syntag.

Vndecima, Frigellus. Ea ex turdorum genere avis est, cujus Aristoteles lib.9.cap. 20. de historia animal. tres constituit species. Una viscivoria, quæ nisi visco & resina non vescitur, & magnitudine paulo minor quam pica est: altera pillaris, quæ sonum edit acutum, & magnitudine merulæ est: tertia, quam Iliacam vocant nonnulli, minima inter has, minusque maculis distincta, de qua sane intelligenda sunt, quæ de Frigello hoc loco dicuntur. Hęc utrinque juxta oculos, & in pectore & in ipso alæ flexu, intus & foris maculas habet latiusculas, rubras. Primum genus non nisi hyeme apud nos cernitur, aut si videatur, rarum est. Secundum per totum annum apparet, musculoso valde pectore, & cantus sui gratia à multis in caveis alitur. Tertium per æstatem apud nos nusquam videtur, sed vindemiæ tempore atque instante hyeme primum cernitur, adeoque ob id Frigellus, nempe quod adventu suo frigus instare pręnunciet, nominatur. In vineis potissimum reperitur, ac dulcium uvarum esu sępius inebriatur, velociter volat & optimi est succi, pręsertim circa festum omnium Sanctorum. Lege Gullelmum Turnerum in libello de Avibus. Frigellus.

Duodecima, Otis: quæ & ipsa in cibis gratis-

ſima, atque optimi ſucci eſt, nempe ex ſylveſtrium Gallinarum genere, Perdicum ſimilis; ſed obeſitate corporiſque pondere parum ſe alis attollit: quapropter canibus ſe obnoxiam quodammodo cognoſcens, ad eorum latratum extemplo proripit ſeſe latitans inter frutices. Lege Ælianum & Oppianum. Gilbertus Longol, eam eſſe adſerit, quam Bonoſam vulgo nuncupant: de qua Galenus lib. 3. de alim. facult. cap. 19. & Athenęus lib. 9. Dipnoſo. Sunt tamen quibus Orex hoc loco magis placeat, ut Gallina phaſiani per eam accipiatur. Alii vero Gallinam aquaticam interpretantur. Sive igitur Gallina ſit aquatica, ſive phaſiani, caro ejus bonum gignit ſuccum.

Decimatertia, Tremulus: quæ quidem avis eſt fuſco pennarum colore, magnitudine quam Gallina minor, velociſſimi volatus, alte vociferans ac clamoſa: in cujus capite criſta plumea, ex earum avium genere, quas σεισοπυγίδας Gręci vocant: caudam enim, cum pedibus incedit, aſſiduè quatit, & ob id tremulus vocatur: Semper fere juxta maria verſatur, ne quis parvam illam aviculam longæ caudæ, quæ Codatremula vulgo, ſive Moracilla dicitur, per Tremulum hoc loco intelligendum putet. Huc etiam referri poſſet (ſi non eadem eſt) avis quædam cornice minor, plumis fere viridibus & nigris per totum dorſum, caput & collum, ventre albo, longa & ſemper erecta, in capite criſta plumea, alis obtuſioribus, & inter volandum magnum ſtrepitum edentibus, unde & Vallenus à barbaris dicitur, clamoſa admodum & querula: quæ aquis vermium gratia, quibus ſolis victitat, appropinquat, ſed ipſas non ingredi-

tur, in planis & locis circa consitis plurimum degit.

Decimaquarta, Amarellus avis aquatica, forma perinde ac anas, sed minor, ab Aristotele libro octavo capite tertio de histor. animal. βόσκα appellatur. Illud porro nosse in universum expedit, quod prꝗstantius alimentum ab iis sumatur avibus quæ volatu magis nituntur, celeriusque volant. Et quemadmodum prædictarum avium caro concoctu facilis, & ad bonam valetudinem est accommodatissima, sic è diverso quarundam excrementitia est ac mali succi, multoque ad coquendum difficilior, atque inęqualis temperamenti, ejusmodi imprimis existit pavonum, anserum, gruum, ardearum, & quotquot oblongum habent collum ac rostrum: inque paludibus nutriuntur. Huc, quod ad succi pravitatem attinet, passeres etiam referendi sunt, qui in turribus nidificant, pyrgitæ appellati: nam calidissimi sunt, & longius à temperamento recedunt, ac durius alimentum dant. Veneremque impensius stimulant. Circa electionem vero alimenti, quod ab avium genere sumitur, sciendum est, juxta diversas pręstantioris alimenti proprietates, si ejus quod nutritur sanitatem vel robur spectes, carnes varie laudari. Sic Galenus ad facilem concoctionem & subtilitatem respiciens, bonitatis palmam perdicibus attribuit; Rhazes & Isaacus ob levitatem & subtilitatem starnam prętulerunt. Idem quoque Isaacus diversa ductus ratione diversarum avium carnes laudavit. Avicenna turturis carnem, quod mentis aciem atque intellectum roboret, mirifice commendat. Avium porro omnium volucrium genus paucissimum pręstat ali-

Amarellus.

mentum, si ad genus gressilium conferatur, potissimum si ad suillum, quo non aliud invenias; quod copiosioris sit nutrimenti: volucrium tamen caro ad coquendum est facilior, quare iis qui neglecto corporis exercitio, consiliis potissimum & studiis ac contemplationi vacant, convenientissima est, præcipue perdicis, attagenis, columbæ, Galli Gallinacei & Gallinæ, quemadmodum libro tertio de aliment. facultat. capite decimo octavo Galenus testatur. Sanguinem enim procreat clarum atque mundum, & spirituum generationi ac mentis exercitiis, & intellectui aptissimum. Siccius namque alimentum, quale dictarum avium est, studio contemplationique intentis convenit. Siccitas enim prudentiæ familiaris est, sicuti luculenter & perspicue docuit Galenus in libro, cui titulus: Quod animi mores corporis temperaturam sequantur, capit. 5. Lege plura apud eundem libro octavo capite secundo method. medendi, & in libro de attenuante dieta capit. 6. De Attagene pulcherrima quędam & scitu dignissima Gilbertus Longolius in Dialogo de Avibus prodidit.

Animadversio de esu carnium in genere.

CArneam, seu Carnam deam vitalibus humanis pręesse superstitiosa credidit antiquitas, ab ea enim percbatur, *ut jecinora & corda, quæque sunt intrinsecus viscera salva conservaret, ob id ei pulte fabacia & larido sacrificabatur, quod his maxime rebus vires corporis roborentur*, inquit

Macrobius Saturnal libr. 1. capit. 12. Nec ſane injuria huic tanto tamque ſalutari numini ejus rei nomen indiderunt priſci ſapientes, ſine qua viſceribus robur eximium addi nequit: Eſt enim *caro* velut vitæ noſtræ cardo, qua ſine inſalubrius deteriuſque vivitur, pręſertim in hoc ferreo ſęculo, & in iſta mundi ætate ſeneſcente, quâ Carnis laudes

> ——— Glandes atque arbuta ſacræ
> Deficiunt ſylvæ & victum Dodona recuſat; 1. Geor.

Quaque effœta tellus & diuturno pariendi labore fatigata, paucas fruges eaſque deteriores nobis ſubminiſtrat. Primo quidem aureoque illo ſęculo quod ante diluvium fuit, exiſtimatum eſt à prudentiſſimis, ſapientiſſimiſque viris mortales ab omni carne abſtinuiſſe, ſoliſque arborum fructibus & frugibus terræ vitam ſuſtinuiſſe longęvam ac diuturnam, uſumque carnium primum à diluvio introductum à Deo, ut atrocitatem vindictæ hoc ſuavi eduliorum genere emolliret. An priſci uſi carnibus.

> At vetus illa ætas cui fecimus aurea nomen,
> Fœtibus arboreis & quas humus educat herbis
> Fortunata fuit, nec polluit ora cruore.
> Tunc & aves tutæ movere per aëra pennas, 1. Metam.
> Et lepus impavidus mediis erravit in arvis;
> Nec ſua credulitas piſcem ſuſpenderat hamo

Hanc autem ſententiam è noſtris Theologis tenuere Lyranus, Carthuſianus & Toſtatus in caput primum Geneſ. rati uſum carnium ante diluvium, nec uſurpatum, nec licitum; tum quod ſufficerent homini nutriendo plantæ, inter quas & temperamentum hominis, naturalis erat eo tempore convenientia, propter excellentem

earum nutriendi vim, & firmissimam humani corporis constitutionem; tum quia deerat illa convenientia inter corpus humanum & animalium carnes, quæ tum plenius, pinguius ac solidius alimentum dedissent homini, quam ejus temperamento conveniret. Sed falsitatem ejus opinionis eleganter refutavit Cajetanus comm. in c.4. Geneseos, cujus verba, quod ad dirimendam hanc controversiam prosint, libenter subjiciam. *Conjectura est*, inquit, *adeo fuisse tum multiplicatos homines, ut opus esset grege ovium, nulla enim scriptura testatur homines ante diluvium postquam ejecti sunt de paradiso solis terræ fructibus vixisse. Berosus namque refert hominet ante diluvium etiam humanas carnes comedisse; & pastorale officium Abelis testatur gregem ovium humanis usibus servisse non solum præbendo lanas & agnos, sed lac & caseum. Nec obstat, divinam scripturam differre indulgentiam vescendi carnibus post diluvium, quoniam non indulgentia, sed necessitatis explicatio fuit illa. Ante peccatum enim explicata est materia necessaria humani cibi in vegetalibus, post peccatum autem in animalibus, unde ibi dicitur, animalia data esse homini post diluvium, sicut ante data fuerant ei olera virentia. Cum quibus stat quod medio tempore, scilicet post peccatum & ante diluvium, homines naturali jure usi fuerint vescendo carnibus animalium, & ob id Abel fuit Pastor ovium. Et confirmatur quia nisi agni tunc fuissent hominibus ad esum, nulla fuisset laus Abel ex eo quod primogenitos pingues elegisset ad divinum sacrificium, perinde enim fuisset Abeli pingues atque macilentos sacrificare, si non propter usum carnium, sed propter solum pellium usum gregem pascebat.* Deinde addit, *post diluvium promulgasse Deum esum carnium, non*

quantum ad usum, quasi prius non fuisset in usu, sed quantum ad necessitatem, quia post diluvium cœpit esus carnium esse homini necessarius, & quia tunc primum necessitas vescendi carnibus promulgabatur, propterea tunc etiam declaratus est naturalis modus vescendi carnibus, non cum sanguine, id est, non vescendi crudis carnibus. Hęc ille, ex quo tandem duas velut conclusiones eliciemus: primam, errare eos qui ante diluvium vetitum fuisse esum carnium arbitrantur, cum potius injunctum ejuscemodi esum constet ex Vatablo notula 3. in capit. 9. Genes. Justino Martyre quęst. 119. Dominico Soto lib. 5. de justit. & jure. Franscisc. de Victoria relectione de temperantia, aliisque plurimis. Alteram, graviter lapsos eos qui tum nefandum extitisse esum carnium voluerunt, tum qui alimentum deterius prębere animalia, quam plantas sibi falso persuaserunt. Prioris illius sententiæ meminit. Ovid. 15. metam his versibus.

Heu quantum scelus est in viscere viscera condi,
Congestoque avidum pinguescere corpore corpus
Alteriusque animantem animantis vivere letho. Ovid.

Damnavit Romana Ecclesia Tatianos & Encratitas apud Irenęum libro primo contra hæres. capit. 32. quod adeo carnes adhorterent, ut eas contingere pro grandi piaculo ducerent: detestata est Catharos, Manichæos, Priscilianistas, Montanistas, Albigenses, quod in simili errore versarentur, de quibus agunt Epiphanius cont. hæres. Divus Augustinus libro tertio contra Faustum Manichæum capite trigesimo primo & capite decimo quarto libri contra Adamant, Prateolus opere proprio de hęresi-

bus, & Galterus in Chronologia. Refert Beleforestus tomo secundo, Cosmog. hodie etiamnum extare Negotiatores quosdam regionis Guserathæ, quos *Baucanos* vocant, qui neque carnibus, neque ullis omnino rebus animatis utantur, & quibus piaculum sit animal etiam noxium occidere, itaut noctu lichnos accendere non audeant, ne papiliones aut culices lichni flamma comburantur: pediculos preterea ac pulices patiuntur usque ad extremam impatientiam; eorum autem minus patientes quosdam sacerdotes Eremitas conveniunt, qui eos ista lue liberant, sed ea lege, ut collecta ejuscemodi animalcula & in vasculo reposita, proprio sanguine alant. Profecto tam altis olim innixa erat radicibus superstitio illa abstinendi à carnibus, ut in examine eorum qui ad sactos Ordines promovebantur, quæreretur ab eis, *si nuptias secundas non improbarent, & carnes non haberent execratas*, quin cogebantur pregustare carnes, alioquin excommunicabantur, & de ordine sui clericatus deponebantur, ut habes expositum in can. 50. & 52. Apostolorum, can. 14. Carthaginensis conc. 1. canone primo Bracharensis primi, & refertur. de consecrat. distinct. 23. capit. qui Episcop. Posteriorem sententiam de potiori alimento plantarum, quam animalium, tennere Porphyrius libro quarto de abstinentia animal. & nonnulli apud Plutarchum duabus orationibus de esu carnium: quam tamen nemo est tam parum in re philosophica instructus, tamque tenuiter medicis rebus informatus, qui falsam & erroneam non ducat, ratione & experientia permotus, etenim si unumquodque rebus maxime similib⁹ alitur & delecta-

An carnes plãtis meliores.

tur, animalium autem carnes similiores sint hominis naturæ quam plantæ, iis homo præsertim aletur & delectabitur. Præterea alimentum temperate calidum & humidum, alimentum sapidum, alimentum minus excrementitium, optimum censeri debet; atqui carnes animalium ejuscemodi alimentum præ stirpibus præbent, optimum ergo homini subminstrant. Verum hæc nos frustra perstrinximus, nec enim hodie tanti fieri ex plantis video alimentum, ut longiorem de ea re suscipere disputationem necessarium mihi videatur.

Venio ad carnis significatum, facultatem, & delectum *Carnis* nomine intelligimus ex Aristotele, *quicquid in genere sanguineo est*, & ex Galeno *quicquid multi sanguinis est & calidum*, adeout ex hoc sensu caro tribuatur iis tantum animalibus, animaliumque partibus quæ sanguine constant. Sed cum angustior sit illa acceptio, quod fibræ, venæ, medulla, lac, ova, cartilagines, carnis nomine non audiantur; hanc locupletiorem damus, *carnem* usurpantes pro omni eo alimento quod ex partibus omnibus, certisque animalium excrementis esui aptis depromitur, quamquam & hæc nominis usurpatio paulo latior sit, quam ea quæ Theologis & Canonistis familiaris est, dum vivendi rationem præscribunt diebus jejuniorum, quibus quidem jubent ab omni carne abstinendum, carnis nomine intelligentes, *esum omnium animalium sanguineorum volatilium & terrestrium, eorumque partium, tum excrementorum, ut sunt lac, caseus, ova, & ab eo excludentes exanguia quædam animalia ut limaces, & piscium omne genus.* Nos autem, ut dixi carnem animalium nominantes subintelligi volumus, *quodlibet* Carnis nomen.

alimentum ex animalibus volatilibus, terrestribus, aquatilibus, sanguineis, exanguibus, perfectis, & ex animalium eorum partibus vel excrementis desumptum. Cujus quidem carnis sic acceptæ facultas commode explicari nequit propter varia animalium temperamenta diversamque rerum constitutionem quibus tribuitur, nisi allata distinctione & adhibitis quibusdam diorismis: Carnium enim nonnullæ calidæ, humidæ aliæ, hæ plus nutriunt, illæ minus; hæ tenuiorem, illæ crassiorem succum gignunt; quædam facilius, quædam difficilius concoquuntur, cæteræ excrementi magis, vel minus relinquunt. Ut ergo certi aliquid de carnibus definire universim possimus, has & similes circunstantias observabimus; alias *ex parte animalium*, alias *ex præparationis ratione* desumptas. Ex parte animalium sunt *genus, mores, ætas, sexus, habitus, partium situs, pabulum, locus natalis.* Animantium genera tria cum sint, *volucria, terrestria, & Aquatilia; volucria* carnes habent omnium saluberrimas, succique ad coquendum facillimi: Terrena vero difficilius coquuntur, magis tamen nutriunt, quia succum habent crassiorem, & diutius permanentem, ex Actuario lib. 2. de specieb. animal. cap. 1. *Pisces* autem quia naturam elementi retinent, in quo vivunt, minus bene nutriunt, difficiliusque coquuntur, quod longius à natura nostra absint. Ex his vero animalibus omnibus, quæ *sanguinea* sunt calidiores carnes habent, nostræque naturæ magis amicas, quæ *exsanguinea* frigidiores, coctu difficiliores, minusque naturæ nostræ convenientes.

Genus.

Mores. Ad mores pertinet *feritas & mansuetudo*, à quibus animalia *fera* dicuntur seu *ferocia, & mansue-*

ia. Illorum carnes propter ſiccitatem & fibrarum duritiem vix edules, talis eſt vulpina, urſina, leonina; Manſuetorum caro reſpectu ferocium delicatior & ſuavior; de his tamen certi quid vix proferri poteſt, cum ex manſuetis nonnulla etiam duriores eſuique minus aptas carnes habeant cujuſmodi eſt Aſinina.

Ab ætate animalia vocantur juniora, vetuſtiora, & ætate media. Juniorum vero præſtantior eſt quam vetuſtorum, & augeſcentium melior quam declinantium. Prior tamen illa, excrementia humiditate ſcatet, & laxam alvum reddit, maxime ſi ſit nuper natorum: poſterior hęc arida & prędura concoctuque contumax. At caro eorum quæ mediocrem ætatem attigerunt longè aliis ſalubrior & optimi nutrimenti cenſeri debet. Ut enim ſiccioribus animalibus adoleſcens ætas ad temperamenti mediocritatem confert, ſic humidiora quod ſibi deeſt ad probam temperiem ab ætate florenti adſumunt; ex Galen. lib. 3. de aliment. cap. 2. Obſervandum tamen has de ætate regulas potius intelligendas de volatilibus & terreſtribus, quam de piſcibus, quos ſemper vetuſtos edendos eſſe vetus gallorum proverbium docet: jure an injuria, poſtea dicetur. Ætas.

Ex ſexu petitur quoque differentia carnium. Nam carnes maſculorum calidiores fœmellarum carne, & meliores etiam ac ſuaviores, ſi fuerint caſtratorum, aliàs viroſum quid redolebunt, pręſertim quo tempore veneris furiis agitantur. Mos itaque eſt caſtrare mares ut cum teſtibus virulentiam deponant & ocius pingueſcant, quod ſanguinis portio dicata ſemini in carnem & adipem faceſſat. Ob id in urbibus Galliæ benè inſtitutis cavetur legibus municipalibus ne animalia Sexus.

quædam non exſecta, ut arietes & Tauri; in macello væneant. *Non ſolum*, ait Galen. *caſtratarum victimarum caro ſuavior eſt, quam non caſtratarum; ſed etiam qualitas ipſa carnium ſimile quid teſtium qualitati præſe fert grave, & ut ita dicam, viroſum, ad odorem uſque ſimilitudine porrecta.*

Notandum porro, ex animalibus temperamento calidioribus & ſiccioribus, fœmellas, præſertim juniores, maribus præferendas; ex frigidioribus vero mares ſalubriores fœmellis.

Habitus. Per *habitum* animalium, carnes preterea variantur: Caro minus extenuatorum & macrorum ſicca nimis & exſicca, obeſorum vero & nimis ſaginatorum, præhumida, nimis faſtidioſa, ventriculo noxia. Moderatè ergo pinguium, caro bonitate ſubſtantiæ & ſaporis ſuavitate aliis anteponenda. Huc pertinet carnis durities quæ facit ut ſero & paulatim nutriat, teſte Galen. in expoſit. aph. 18. lib. 2. Et quoniam habitus exercitio vel quiete comparatur, non erit quoque abſurdum hic aliquid de exercitatorum animalium carne recenſere: talis autem caro probatur quod careat excrementitia humiditate; improbatur vero caro otioſorum ob ſuccum eorum excrementitium. Denique monuit Theophraſtus alba omnia animalia imbecilliora & injucundiora eſſe, proinde carnes habere nutrientes minus & minus ſuaves.

Partium Situs. Partium *ſitus* non eſt omnino negligendus, conſtat enim dextras animalium partes ſiniſtris ſuaviores, palato gratiores & concoctu faciliores eſſe: adhuc ſuaviſſima habetur caro quæ oſſa ambit, minoréque negotio conficitur, ſiniſtra tamen melior eſt.

Pabulum. *Pabuli* maxima habenda ratio, cum inde tem-

periem mutari contingat. Ergo caro animalium quibus alimenta propria affatim ſuppetunt, eſt prȩſtantiſſima, contra deterior eorum quibus alimentum proprium deeſt.

Locu denique & *regiones* plurimum faciunt ad carnium ſuavitatem atque ſalubritatem definiendam. Hîc enim delicatories ſunt quæ alibi duriores. Nonne caro vervecum Grȩcorum, Hiſpanorum & Italorum dura eſt, & male olens, Biturigenſium, & Francicorum delicata & tenera ob breves & molles fibras, Neuſtricorum & Arvericorum, dura & ſicca ab longiores & duriores fibras? Optima quidem caro bubula in Gallia, ſed quæ ab Anglicana & Ungarica ſuperetur. Sylveſtrium quoque animalium carnes ſicciores ſunt, & ſalubriores domeſticorum; quamvis pinguiorum, carnibus, quia domeſtica otio plura colligunt excrementa, quæ agreſtia motu & aëre liberiore diſſipant, neque ut plurimum naturalis eſt, ſed arte & otio parata ejuſcemodi pinguedo. At inter agreſtia, quæ paluſtria ſunt & aquatica loca incolunt, carnem habent humidiorem, viſcoſiorem, excrementoſam magis, & minus coctu facilem. Regio.

Atque hi ſunt diorîſmi generales carnibus diſtinguendis inſervientes qui ex parte animalium, depromuntur. Alii jam ſuperſunt ex *carnium præparatione* obſervandi, qui nimirum earum conſervationem, teneritudinis vel firmitatis conciliationem, cocturam denique ſpectant. *Conſervatio carnium* ſale præſertim perficitur, hinc ſalita caro dicitur quæ quidem parcius nutrit quam inſulſa, quia exſiccando & tenuando, ſanguinem acriorem & deteriorem reddit, ex Avicen. 148. tract. 2. ſuis tamen non caret dotibus; minus enim Salitura.

excrementitia est, minus corruptioni obnoxia, magis vero suavis.

Non sapit esca malo, quæ datur absque sale. Docet Galenus 1. de facult. medicam. carnes quæ sale condiri debent: *Animalium corpori, inquit, quæ excrementitia carne constant, salituris sunt peridonea: excrementitias autem vocamus carnes, quæ pituitosam humiditatem in se conspersam continent.* Addit Aetius quæ ad salituram idonea sunt, tenuium partium fieri & comesta crassos ac glutinosos humores attenuare, cæterum vetera salsamenta omnia vitiosa esse. Docet preterea non modicam differentiam salsarum carnium esse, quas ab eo repete cap. 149. lib. secundo. Sunt & alii modi servandis carnibus opportuni, sed usitati minus & minus salubres: alii enim utuntur aqua vitæ, alii aceto & pulvere coriandri, alii fumo, alii clavo æreo in carne defixo, alii cumino & scordio. Circa Cusco Peruanæ regionis locum inter duos montes situm carnes integerrimæ servantur, adeo ut equi mortui per quatuor menses incorrupti persistant, quod tribuendum aëri vel tenui, vel salso: Gelu quoque & Borealis ventus servandis carnibus accommoda, refert enim Paul. Jovius in legat. Moscos carnes trium quatuorve mensium edisse, non sale sed gelu servatas.

Vt caro tenerescat.

Porro carnes animalium præsertim volatilium & terrestrium duriores, teneriores fieri exoptant; molliores vero carnes piscium, firmiores, ut sapidiores fiant ac jucundiores; Quæ enim in piscibus laudatur firmitas, vituperatur in aliis animalibus, præsertim si à durioribus & longioribus fibris fiat: laxitas ubique damnanda, cum vel à corruptela, vel ab humida superfluitate ortum

ducat. Ergo teneritas carnium conciliatur primò custodia, diuturnitate enim tenerescunt fibræ, dein verberatione qua eædem divelluntur: Plutarchus suspendit è ficu, nonnulli coquunt, vel cum lamio, vel cum alliis & lactucis, vel cum acetosa, vel cum lapatho acuto; quidam acervo tritici recondunt; cęteri dum coquuntur carnes, movent cum cochleari è ficu. Firmiores vero fiunt Pisces si in vino, aceto, sale, aromaticis rebus herbisque calidiotibus coquantur, & leviter exsiccentur, de quibus omnibus consulendi coqui, & inter Medicos Franciscus Bonamicus lib. 3. de alimento cap. 32. Cęterum *coctio* facultatem quoque carnium Immutat, nam frixæ carnes diversæ sunt ab elixis, assæ à suffocatis, quemadmodum capite de ciborum prępatatione fusiùs explicavimus. Et hęc dicta sufficiant de generali carnium differentia, quæ licet de omnium animalium carnibus dici possint, minus tamen piscibus conveniunt, sed de illis & de aliis animalibus imposterum speciatim agetur. Coctio

---

De Avibus.

HIs autem universim de carnibus expensis, supereſt ur speciales carnium differentias proferamus. Ea autem eſt ejusmodi, ut aliæ ex toto animalium aëreorum, terrenorum, aut aquatilium corpore, aliæ ex eorumdem animalium partibus ac excrementis depromautur. Voco *Aërea* animalia, quæ alarum & volatus beneficio elata è terris & aquis per aërem feruntur, licet victum in terra aut mari quęrant. Ea autem sunt *Aves*, quas quidem diximus omnium animalium salu- Carniū divisio.

berrimas, ſuccique eſſe ad coquendum facillimas; quamvis minus nutriant quam animalia terreſtria. Varium tamen eſſe ſolet alimentum quod prębent, pro ratione *temperie*, *ætatis*, *victus*, *caſtrationis*, *loci*, *cœlique* ſub quo vivunt. *Tempore* enim quo incubant, aut in venerem ruunt, minus idoneum pabulum ſuggerunt; nulla item vetus avis laudatur. Aëre libero quæ victum proprium quęrunt, anteponendæ iis quæ caveis aut carcere incluſæ impinguantur: caſtratione ſuaviores exiſtunt minuſque calidæ: paluſtres & aquaticæ humidiores deterioreſque montanis. Sed ſingularum bonitas ac pręſtantia commodius intelligetur, ſi ſigillatim eas quæ à Salernitanis hoc capite perſtringuntur breviter eximinemus, nullo alio ſervato ordine, cum ſupervacaneum eſſet poſt Ulyſſem Aldrovandum tentare *hoc opus*, neque enim à nobis ulla animalium hiſtoria expectanda eſt cum ab eodem Aldrovando fuſiſſimè explicata habeatur, adeout tranſcribendi locum; colligendi vero nullam poteſtatem reliquerit. Unum interim obſervabis ex Hippocrate libro ſexto epidemi, ſectione quarta, textu vigeſimo quarto. Videlicet per terræ ſqualores avium genus abundare, quod & probatum videtur Ariſtotel. libro octavo de hiſt. animal. capite decimo octavo, ſcribenti *avibus prodeſſe ſqualores, tum ad cæteram ſanitatem, tum etiam ad partum*: cujus rationem duplicem affert Galen. com. ad eum locum Hippocrat. priorem, quia aves ſicco conſtantes temperamento, ſicca tempeſtate rectius valent: poſteriorem, quia aridioribus cibis veſcentes & pauco potu contentæ ſiccitates deligunt. Adde quod tum tutius & deponunt ova, & fovent, & excludunt, cum imbres interficiant

Avium caro qualis.

Aves per ſiccitatem fecundiores.

ficiant & ova & pullos.

De Gallinis.

Imprimis occurrit Gallinarum genus quò nomine & mares & fœmellæ fnbintelliguntur. Mas quidem in cibum venit & tenellus adhuc dum pullus eſt, & dum ſenex eſt. Pullaſtri Gallinacei caro, ſi credimus Galeno, inter volucrum carnes enùmerari debet, quæ mediam quandam extenuandi & incraſſandi naturam habent; facile enim coquitur, laudabilem ſanguinem generat, appetitum excitat, quibuſcunque temperamentis convenit, præſertim ſinondum coierint aut cucurrerint, ſed moderatè pingues fuerint. Hos pullos Simeon vocat ὀρνιτόπουλα, unde deductum exiſtimo vocabulum noſtrum gallicum, *poules*, quò gallinas appellamus, ſeu potius à voce *pullus*, à quo barbarum illud nomen Grecum fluxit. Meurſius tamen ὀρνιθόπουλον, καὶ ὀρνιθοπουλλίτζον, non pro pullis gallinaceis, ſed pro quibuſvis avium pullis, aut pro ipſis avibus uſurpat in gloſſario ex auctoritate Demetrii Conſtantinopol. in Hieraſcophio. Quod de tanto viro miror, cum idem auctor lib. illo 2. à Meurſio citato capite ... πρὸς τὸν σπόγγον, περιστερόπουλα καὶ ὀρνιτόπουλα diſtinguat; ταῦτα ἀναμίξας, inquit, ἐξ αὐτοῦ δὸς τῷ ἱέρακι, καὶ θεραπεύσεις μετὰ περιστεροπούλου, ἢ ὀρνιθοπούλου, id eſt; *hæc omnia miſcebis, & dabis accipitri, & ſanabis cum carne pulli columbini aut gallinacei*, ut optimè vertit Petr. Gillius, nomen enim generale avium gallinaceis tribuitur more priſcorum Grecorum apud quos nomen nullum peculiare Gallorum reperire eſt, ex quo factum eſt ut Myrtilus apud Athenæum ſolas Gallinas ὄρνιθας καὶ ὀρνίθια appellaret Senex autem Gallinaceus non editur niſi à ruſticis, quod carne ſit vitioſa, ſubſalſa, dura & ingrata: ſolet tamen decoqui & jus ejus exhiberi

Carnis Gallinarum temperies.

Merufii error.

Vetus gallus.

ad alvum ducendam, lavat enim, abstergit, aperit, flatus dissipat, provocat, alvum solvit, atque melancholiam purgat ex Serapione; ex Sereno vero Sammonico,

Febribus aut longis galli nova Iura vetusti
Subveniunt, etiam tremulis medicantia membris.

Laudamus autem pullos bimestres & trimestres ante æquinoctium exclusos, qui enim post solstitium nascuntur, justam non implent magnitudinem: At Gallinæ temperamento minus sunt calido quam mares, alimentum autem prębent boni laudatique succi, non excrementitii, non morantis diu in progressu, descensuque in intestina: alimentum autem hujuscemodi nec multum est, nec multum duraturum, quippe cum ex tenui sanguine constet fluxili, labilique. Probantur gallinæ juniores, quia nondum ova ediderunt, minus probantur veteres, aut incubantes. Mihi consilium non est, omnes hoc loco recensere modos quibus saginantur Gallinæ, & quibus ad cibum coquuntur ac pręparantur. *Conchillatos*, pullos, *parthicos*, *oxyzomos*, *laseratos*, *varianos*, *frontonianos*, *tractogelatos*, *falersos*, *leucozomos*, *isicios*, *amilatos*, *oxyliparos*, *assos*, *elixos*, *frixos*, *pressos*, *distillatos*, *in pastillos*, *in minutalia*, *in gelatinam* apparatos non moror; consulantur Apitii filii, à quibus tamen Medici rescíscere debent rationes coquendi & condiendi cibos, ut dum consuluntur à magnatibus de ineunda victus ratione, quos cibos vitare debeant, aut qua ratione paratos sumere, tuto & secure pronuntiare possint.

Capus. Secundo loco occurrit *Capo* seu *Capus*, qui & ipse è gallinaceo genere est, à nonnullis gallis spado dictus; exsectis enim est testiculis, & abscissa

criſta, ne quid viroſi ex uſu veneris contrahat, ut galli ſolent. Hoc de ejus bonitate tradidit Platina: *Omnium avium laudes,* inquit, *quantum ad obſonia pertinet, una caro gallinacea comprehendit. Quid enim popinis aſſerunt reliquæ altiles, quod non unus capus in ſe habeat, ſive elixum, ſive aſſum velis? Hujus avis patina ſtomachum juvat, pectus lenit, vocem ſonoram facit, corpus obeſat.* Quis vero non mirabitur Græcos copioſos & eloquentes, res cum habuerint, vocabula non habuiſſe, nec enim Capo ſignificando deſignatam habuere vocem, quamvis apud Ariſtotelem libro nono de hiſt. animal. capite ultimo caſtrandi gallos gallinaceos ratio inſtituatur. Ab eis quidem ad Latinos caſtrationis modus defluxit, vox à Latinis adinventa, eſt uſurpata à Varrone de re ruſt. libro tertio capite nono, & libro ſecundo capite ſeptimo, atque à Columella libro octavo cap. 1. dictuſque *Capus* videtur ἀπὸ τοῦ κάπτειν, quod avide voretur & comedatur, vel quod ab eo teſtes capiantur.

Succedit *Turtur* ex tota Columbarum familia minimus, quem Ariſtoteles τρυγόνα vocat, à ſono vocis quem Græci vocant τρύζειν. De eo tradit Porphyrius libro quarto de abſtinent. animal. antiquiſſimos Ægyptios eum à menſis ſuis excluſiſſe, quod Accipitris ungues aliquando evadat. Ne igitur in eum turturem inciderent qui ſacri Accipitris ungues effugiſſet, ab univerſo genere abſtinuerunt. Adnumeratus autem fuit à Romanis inter lautiores cibos, quod conſtat ex Plauto in Muſtel. & Martiale multis in locis. Nicolaus Maſſa ſolitus eſt Turturum carnes vocare *cibum ſapientum*, quod modicum tenuem ſuccum & ſiccum, ſpiritibus animalibus generandis & peragendis functionibus intellectus aptiſſimum Turtur.

generent. Hinc Poëta.

Turtur, honorabis domini convivia nostri,
Hinc melius sapies posteriore cibo.
Siccescunt, sed calida magis tua fercula prosunt
Sic domino, ut sapiens hinc magis esse queat.
O bona avis, casta es sanctæque dicanda Minervæ,
Nos tamen in venerem, luxuriamque rapis.

Porro inter turtures laudantur juniores & pinguiores qui dum assantur involvuntur pampinis, seniores & macri difficilis sunt coctionis, alvum adstringunt & sanguinem melancholicum creant. Edi ergo debent elixi potius quam assi, hac enim ratione salubriores evadunt. Inter partes, clunes habet delicatissimas, ut patet ex Mart. lib. 3. epig. 60. & 82.

Cereus immodicis Turtur te clunibus implet,
Ponitur è caveà mortua pica mihi.

Sturnus. A Turture venio ad *sturnum*, sic enim loco *sturnæ* legendum puto, tum quod *sturna* fœminino genere pro *sturno* non reponatur, tum quod *sturni* caro inter laudabiles ac salubres ab omnibus non constituatur. Equidem apud priscos, lautiorum mensas non explevisse *sturnos* testatur Martialis libro nono epig. 55. ubi eos inopes vocat quod nullius pene essent pretii ob idque pauperibus pro cibo essent. Quapropter Platina dixit: *sturni quos vulgo diabolicam carnem habere dicimus, omnino ab obsoniis lautorum abjiciuntur; has comedat vacerra noster qui marsupio magis quam vitæ consultum vult.* Caro enim illis dura esse dicitur ventriculoque inobediens, virosum etiam quemdam odorem spirans ob cicutam quam sturni depascuntur. Scio Galenum aliter censuisse; sed quemadmodum expo-

nendus ſit vide explicatum apud Aloyſium Mandellam epiſtola ſexta & dialogo quarto. Utut ſit, *ſtarnam* hîc intelligendam cenſemus; quo nomine non ſignificatur avis illa major anſere quæ *Starda* ſive *Tarda & Otis* appellatur; ſed deſignatur minor illa perdix quæ eſt nigripes; quam (ut ait Julius Scalig.) *hetruſcus autumat ſtarnam*. De ea audiendus Plinius libro decimo capite quadrageſimo nono. *Advenerunt*, inquit, *bellis Bebriacenſibus civilibus in Italiam aves novæ, quæ adhuc nomen retinent*, *paulo infra Columbas magnitudine, Turdorum ſpecie, ſapore gratæ*. Nomen illud videtur fuiſſe *avis externa*, à quo corrupta vox *Starna* remanſit. Cum vero in genere ſit perdicum, nemo dubitat de ejus ſucci bonitate ac pręſtantia, dubitaverit vero aliquis cur laudatus ille cibus ab Elluchaſem prohibeatur exhihiberi ſanis & maximè motu utentibus? An dicendum cum Savonarola delicatos illos cibos relinquendos convaleſcentibus & ægris, quippe cum Celſi conſilio cavendum ſit *in ſecunda valetudine ne adverſæ præſidia conſumantur*? an reſpondendum potius cibos illos quia tenuiſſimum cibum facileque tranſeuntem ac diſſipabilem ſuggerunt, magno motu utentibus commodos non eſſe quod vires diu ſuſtinere non poſſint, quo factum eſt olim ut bubulæ ſuillæque carnes potius quam vitulinæ aut gallinaceæ athletis pręſcriberentur. Sturna.

Non eſt prætermittenda columba cum eam ita celebrarit Romanorum luxus, ut Plinius libro decimo capite vigeſimo ſeptimo, *multos ejus amore inſaniiſſe tradat, ſingulaque columbarum paria non ſemel mille ſeſtertiis nummi & aliquando etiam mille & ſexcentu vendita fuiſſe*. Vocant au- Columba.

tem Græci Columbam περιστερὰν vel παρὰ τὸ πέτεσθαι στερρῶς *à duro & laborioso volatu*, vel παρὰ τὸ περισσῶς στέργειν *à nimio amoris affectu*, quo mares fœmellas suas prosequuntur, ex quo commendantur ab Amasiis oscula columbatim facta. Quamquam autem multæ sint Columbarum differentiæ, eas tamen omnes ex Galeni authorit. libro decimo de simpl. medicam. ad duo summa genera revocari posse animadverto; ad κατοικίδιον καὶ νομαδικόν; hoc est *ad domesticum*, & ad *pascuum* seu *sylvestre*. Porro temperies Columbis calidissima tribuitur, eas tamen avibus annumerat Galen. libro tertio de aliment. quæ facilè concoquuntur & quæ nec tenuem nec crassum succum generant *Sylvestres* præferuntur domesticis, *Iuniores* vetustioribus, *verni* autumnalibus, *autumnales* æstivis quod eo tempore melioribus granis vescantur. Xenophon libro primo expeditionis Cyri, tradit Syros Columbas habere sacro-sanctas, nefasque putare eos violare, verumtamen dubitandum non est quin pulli columbarum sanis atque ægris maximè sint salutares. Florentinus Geopon. lib. 14. cap. 1. usum eorum necessarium esse iis vult qui à morbo convalescunt. Ruffus Ephes. secundo ordine avium laudabilium recenset, Aëtius quarto, nimirum post Gallinas, perdices & Turtures. Ex arcanis Ægyptiorum accepimus eos qui Columbis utuntur pestiferis morbis non corripi, nec aliud præter Columbam pestis tempore Regibus Ægypti in cibum oblatum fuisse. Quæ res fortasse Cardanum movit ut laudaret cibum in peste qui ex columbarum jure & carne paratur. Certè Plinius libro vigesimo octavo, capito quarto Columharum carnem recens conceptam, contra serpentes auxiliari voluit, &

Notas

Sextus Empiricus columbam incisam calidamque morsui serpentium impositam venena omnia rapere & sanare docuit. Attamen memoria tenendum est continuum earum usum improbari. Narrat Aldroandus Curtium Medicum doctissimum quod quotidie columbas esitasset vitam breviorem reddidisse. Memorant nonnulli quemdam Camsam nomine, quod ter uno die ex assa columba comedisset, periisse. Simeon Sethi prodidit *eas febrem accendere, & inflammationes procreare; caput etiam & oculos lædere & si nimium usurpentur lepram generare.* Etenim cum præfervido sint ventriculo ex Arist. 3. de partib. animal. cap. septimo, sanguine calido & adusto & crasso, non mirum si corpora calefaciunt & adurunt, & ad elephantiasim disponunt. Unum notari velim, cum mirum in modum delectentur Columbæ semine cannabino, stercus ipsæ excernunt, quo si stercorentur agri, tam eximiam pretiosamque cannabim proferunt ut magnus inde quæstus comparetur. Nota.

Sequitur *Quisquila*, ab Antonio Gasio *Quaquila*, à Blondo *Quatea*, à Latinis *Coturnix* à Grecis ὄρτυξ dicta, quam tanto odio olim habitam commemorat Plinius, ut despui soleret propter morbum comitialem quem credebatur inducere. Eam tamen nobilitavit Judæorum natio quæ Coturnicibus à Deo missis diu in eremo viam lautissimam sustentavit. Hinc rectè cecinit Grapaldus. Coturnix.

In pretio nunc sum olim damnata Coturnix,
Vox nomen, pretium dat sapor ipse mihi.

Editur enim hodierna die Coturnix, & lautissimè & salubriter si modus adsit, alias pituitosos morbos gignere opportuna est. Fuit quondam

Romanorum cibis damnata quod veratro vesceretur & pinguesceret, quodque sola animantium præter hominem epilepsiam sentiret Galen. com. 5. in libro 6. epidem. in Doride, Boeotia, & Thessalia novit plurimos ex esu coturnicum musculorum distentionibus correptos, atque idem quibusdam Athenis contigisse qui coturnicibus largius sese impleverant. Galeno subscribunt Arabum nonnulli, quibus tamen refragatur Averroes existimans carnem coturnicis laudabilem quia sapidam. Epilepticum etiam morbum eam non excitare, contra Galenum probat Ulysses Aldrovandus lib. 13. orni holog. & Goclenius de vita proroganda. Et certè non observamus in Gallia tale quid à Coturnicum esu contingere, verisimile tamen est, earum carnem excrementitiam esse, putredini obnoxiam, febri excitandæ opportunam; quo sit ut tempore pestis abstinere ab eis debeamus; vere etiam & æstate, quod sint siccæ
Nota. & exsuccæ, melancholicis humoribus generandis aptæ. Meliores sunt Autumno quia pinguiores & succulentæ; sed earum pulli lauti & delicati sunt succumque meliorem præbent.

Phasianus. Major gloria *Phasiano* quam Coturnici, forma & plumarum venustas longè præstantior, cum etiam sapientissimus Solon Phasiani elegãtiam ac pulchritudinem purpureis auratisque Crœsi vestibus anteposuerit. A Phaside amne *Phasianum* dictum credibile est; unde advectus primo fuit, si credimus Martiali in Xeniis.

Argoâ primum sum transportata carinâ,
Ante mihi notum nil nisi Phasis erat.

Tanto olim honore habitus fuit, ut Rex Ptolomæus se nunquam Phasianum degustasse, sed

tanquam quoddam κειμήλιον conſervaſſe glorietur. Pertinax & ipſe Imperator, ſi fides Julio Capitolino habenda, Phaſianum numquam privato convivio comedit aut alicui miſit. Severo Imperatori majoribus tantum feſtis poſitum obſervat Lampridius. Neque profecto raritas pretium facit, ſed bonitas carnis & laudabile quod ſuggerit nutrimentum. Averroës & Aponenſis omni avium generi eum præferunt, alii poſtponunt perdicibus & Gallinis, alii medium conſtituunt non ſine ut opinor injuria. Etenim Ulyſſes Aldrovandus cæteris eum avibus anteponit tum ratione ſuavitatis, tum ratione exercitii, tum ratione conſtitutionis & temperamenti; quod quidem tale eſt ut non patiatur, durum, fibroſum, ſalſum, nitroſumve evadere Phaſianum ſicut accidit Gallinaceis qui tales evadunt niſi tempeſtivè caſtrentur. Phaſianus autem etiam non caſtratus innocuus ſemper eſt, gratus & acceptus, quod argumentum eſt eum & temperatiorem eſſe, & corporis conſtitutione elaboratiſſima. Quod quidem tacitè innuere viſus eſt Martialis in Xeniis pullos Gallinaceos Amico offerens cum Phaſianos non poſſet. Laus.

Si lybicæ nobis volucres & Phaſides eſſent,
Acciperes: at nunc accipe corris aves

Sed ſine ambage: alter Poëta id protulit.

Phaſida jam vehat Argos avem, quaſſata retardat,
Debuerat primo diſcubuiſſe thoro.
Illa levis ſtomacho eſt, ſuaves imitata tepores,
Non volet in menſas, ruſtica turba, tuas.
Vix ſicca eſt, voluerum primi huic debentur honores,
Nec male, cum fuerit regius ante puer.

Formoſiſſimam avem excipit invenuſta, quia

Merula. nigra. *Merulam* dico, quam Varro, quasi *meram* id eſt, ſolam volantem dictam voluit. Iſidorus antiquitus *Medulam* vocatam fuiſſe ſcribit eo quod moduletur. Ego vero *Merulam* voco quaſi *meram* hoc eſt ſinceram, eſt enim ſincera, tota videlicet nigra; unde Plautus *merucum* dixit pro nigrum. Græci eam κόσσυφον, appellant, non ſatis nota origine, fortaſſe ἀκόσω quod celeriter ſignificat; Celeriter enim illa Avis nidulatur omniumque avium prima parit, ſed ejus primi partus pereunt frigore hyberno, ut docet Ariſtoteles libro quinto hiſt. anim. capite decimo tertio Memorabile eſt quod Gaudentius Merula libro ſecundo memorabilium cap. 23. de generatione aviculæ Merulæ ſimilis in hunc modum refert. *In facie leonis*, inquit, *prima luna conſtituta ſalviam contuſam in vitreum vas indito & orificio hermetis ſigillo obtuſo in fimo caballino ſepelito & intra lunarem circulum enatum Merulis ſimile animal reperies.* Porro laus olim in pectore merulæ poſita fuit.

Et leporum avulſos & multo ſuavius armos
Quam ſi cum lumbis quis edat,tum pectore aduſto
Vidimus & Merulas poni, & ſine clune Palumbes.

ait Horat. lib. 2. ſerm. Non video jam in deliciis eſſe: nec ſane Medici multum illi bonitatis tribuunt, quod vermibus & locuſtis veſcatur. Duriorem ei carnem tribuit Galenus, laudatam tamen & ſalubrem; quod intelligendum eſt de *merula* pingui, obeſa, & laqueis, vel retibus capta. Cavendum ab ejus eſu peſtilentiæ tempore monet Alexandr. Benedictus; quia fortaſſe cum vermibus muſcis, & araneis alatur, qui ex aëre infecto ac peſtilenti & generantur &

Nota.

vivunt, trahit ex eo cibo veneni aliquid & deleterii.

Notæ omnibus aviculæ paucis cognita succedit *Ortygometra*, Aristoteli ὀρτυγόμητρα, quæ Hesychio exponitur ὄρτυξ ὑπερμεγέθης *Coturnixve grandis*. Est enim μητρα vox Græca in compositione magnitudinem & in suo genere principatum significans. Fallitur Commentator noster, dum refert ex Isidoro eam avem coturnices comitari abeuntes, esseque earum rectricem ac ducem. Ait quidem Aristoteles 8. de hist. animal. abire una cum coturnicibus, Lingulacam, Otum, Ortygometram & Cychramum qui etiam noctu eas revocat, sed eas deducere ac regere non scribit. Porro cum de hac ave inter auctores minimè convenire advertam, nec ipse eam umquam, vel degustarim, vel viderim, præterea cum ejus usum apud Gallos rarum admodum esse animadvertam, nec valdè quæsitum, judicium meum non interpono ad Aldroandum curiosos lectores remittens, qui licet pauca, verisimilia tamen de ea ave opere suo ornithologico congessit. Ortygometra.

Supra de minori perdice actum quam Galli *perdicem griseam* vocant, nunc de majori agendum quam *rubram* appellant. Non est vero ut diffusius in ejus laudes decurram, cum nemo sit qui carnis ejus suavitate delectatus optimum ex ea nutrimentum accedere nostro corpori non affirmet. Infantes autem pulli maxime commendantur. Imo & juniores perdices ac pingues, vetulæ durioris sunt carnis, difficiliorisque digestionis; vulgo tamen apud nostrates dicitur tredecim anni mensibus perdices bonas esse & suaves. Tradit Simeon carnem earum bene Perdix.

concoqui bonique ſucci eſſe, ſi non ſtatim poſt interitum, ſed poſt unum aut alterum diem comedatur, quod ex Galeno deſumpſit.

Frigillus eſt Turdus.

Qui ſequitur *frigillus* omnibus Ornithologis ignotus eſt, ac pene innominatus; unus Villanovanus comment. in hunc locum avem interpretatur, *quæ veſcatur uvis & inebrietur etiam, velocis volatus, ſturno ſimilis, ſed melioris nutrimenti, circa vineas frequens & circa feſtum Sanctorum eligenda.* Cum autem *Turdus Iliacus* pene has omnes notas obtineat non male commentatores de *Turdo* hanc avem intelligendam cenſuerunt. Turdus vero triplex eſt. Major, Ariſtoteli ἰξοβόρος *viſcivorus* Gallis *Criva* dictus, minor ἰλλὰς Græcis, Gallis *Malvizius* vocatus, medius τρίχας, ſeu pilaris, Gallis *litorna* appellatus. Minor ille à barbaris frigilli nomen videtur habuiſſe, quod frigore cantet, & vigeat, vel quod ingruentis frigoris ſit quodammodo internuntius. Non contemptum à veteribus video, cum ſaginatum olim magna cura fuiſſe tradant Varro & Columella ut jucundior evaderet & ſuavior, adeout ſinguli Turdi altiles ternis denariis emptitarentur, Galenus ipſe lib. de cibis boni & mali ſucci Turdum laudatis annumerat cibariis : nonnulli calidiorem Merula Turdum faciunt, graviuſque redolentem, alii anteponunt; laudat eum Mercurialis lib.3. variarum lect. capit. 2. Athenęus Turdorum turmas atque greges in primis menſæ ferculis admiſſos teſtatur, Alexander ab Alex. ova cum Turdis & leporinis carnibus ac mellitis placentis ſecundæ menſæ frequentius appoſita fuiſſe commemorat, quod obmiſſum nolui ut candidus inde lector

deprehendat, non sine exemplo & auctoritate Salernitanos Turdum inter laudata alimenta reposuisse.

Ordine venit *Orix*, quæ alia non est à *Gallina Corycorum* quam Galli vocant *Celinottam*, seu *Gallinam sylvaticam*. Videretur autem ea ex Perdicum esse genere nisi major esset, longioremque caudam haberet. Mavult Bellonius eandem facere cum *Rustica Gallina* Romanorum, quam Varro ait in urbe raram fuisse nec fere mansuetam, similem facie non his villaticis Gallinis nostris, sed Africanis, aspectu & facie incontaminata; quæ soleret in ornatibus publicis cum Psittacis & Merulis albis poni, item aliis id genus rebus inusitatis. Gesnerus cibum prorsus nobilem & ferarum avium omnium laudatissimam hanc avem prædicat; itaut principibus etiam interdum postridie quam cocta est apponatur, sola avium aut omnino animalium fortassis. Sunt qui in probitate succi Perdici eam comparent, alii preferant. Albertus carnem foris nigram intus candidam habere observat, teneram vero & gratissimi saporis. Observabis autem hic à nonnullis non *Orix*, sed *Otis* legi, quæ quidem sic dicta videtur ab insignibus & memorandis aurium meatibus. A Latinis vocatur *Tarda*, *quod tardo & gravi volatu detenta nequaquam ut cæteræ volucres velocitate pennarum attollatur*, inquit Isidorus, qua etiam de causa à Gallis *Oustarda*, vel *Outarda* appellatur. Galenus otidum carnem mediam esse ait inter gruum carnem & anserum, minus duram scilicet quam sit gruina, duriorem vero anserina. Quamvis autem Galeno Simeon Sethi assentiatur; dissentit tamen Xenophon apud Atheneum

ſcribens Oridum carnes ſuaves eſſet. Jul. Alexandrinus eas ſępe ſeſe deguſtaſſe memorat, guſtu, ut in ave magna non peſſimo, ſed nigras & duriores, itaut concoctu pervicaces exiſtimari facile poſſint & excrementis redundantes, melancholicoque humore procreando aptæ. Ex quo ſane concludere licet, Salernitanos de avibus boni ſucci loquentes, non tam de Otide quam de Gallina Corylorum hic eſſe intelligendos.

Tremulus. Tremulus quo in genere ſit avium prorſus ignoro, ex deſcriptione autem quæ à Villanovano profertur ſuſpicor eſſe, vel *Gallinam aquaticam*, vel potius *Vannellum* vulgo dictum, quem ad depopulandum vermes Anglos ſæpe in hortis alere tradit Guillelmus Turnerus. In cibo commendari notat Geſnerus, ſibique aliquando guſtanti & boni ſaporis & alimenti probi, ſed levis ac tenuis, ejus avis carnem viſam eſſe.

Amarellus. Reſtat *Amarellus* avis aquatica quæ ex anatum genere eſt, videtur autem dicta Ariſtoteli βόσκας, *Paſculam* vertit Scaliger anati ſimilem avem, ſed minorem, quæ quod avidior ſit βόσκας appellata fuit. Eam vocat Nyphus *Sartillam* à Gallis deducta voce qui ejuſcemodi avem *Sarcellam* nuncupant, auctore Scaligero. Quodnam vero nutrimentum afferat, dicetur in anare, jam enim tempus eſt, ut huic prolixo capiti finem imponamus.

De Anate.

Cap. LXIV.

O Fluvialis Anas quanta dulcedine manas!
Si mihi cavissem, si ventri frana dedissem,
Febres quartanas non renovasset Anas.

Animadversio.

Στεγανόποδας aves vocant Græci *Palmipedes*, quibus nimirum latiores dati sunt pedes ad natandum. Inter ejuscemodi aves aliæ grandiores sunt, aliæ minores. Inter grandiores habentur *Anates & Anseres* de quibus hoc & sequenti capite breviter agimus. Universim autem velut pro fundamento memoria tenendum est, aves omnes in aquis degentes carnem habere malam, terri odoris, & excrementitiam; cum enim piscibus nutriantur, cum in cœno & luto ut plurimum degant, cum pauco utantur exercitio, cum recrementa multa colligant ob frigus aquæ cutis meatus occludens, carnem habere salubrem non possunt, sed inelaboratam, difficilis coctionis, stomachoque adversam. Quod si quis inquirat utrum aves Aquaticæ aliis avibus calidiores sint, vel frigidiores; utar distinctione cum Petro Hispano, dicamque cum Aristotele nonnullas aves inhabitare aquas propter caliditatem suam maximam, ut est corvus piscator, alias propter nimiam suam siccitatem, ut cygnus; alias

Palmipedes.

Avis Aquaticæ bonitas.

denique ut alimentum ſuum in aquis quærant, ut ardea: prioreſque illas dubio procul campeſtribus avibus calidiores eſſe, quo ſenſu audiendus eſt Rhazis affirmans Aquaticas aves calidiores eſſe, vel hoc uno ſigno ductus, quod ſint odoris gravis & horribilis, talis autem odor caliditatem ſiccitatemque indicat.

Eſt porro *Anas* ſic à nando dicta Latinis, Græcis *νῆσσα*, ſeu *νῆττα κατοικίδιος domeſtica*, ſeu *cicur*, *καὶ ἀγρίας & ſylveſtris*. Carnem ea habet calidiorem omnibus carnibus avium domeſticarum, humidam, craſſam, duram, concoctu difficilem, excrementitiam; faſtidium inducentem, peſtis tempore fugiendam. Attamen M. Cato Cenſorinus ægrotos jejunio macerari prohibens ali jubebat oleribus & modica carne anatis, palumbi aut leporis. Colorem & vocem clarificare, flatus tollere, corpuſque roborare, dixit Serapio ex Aben Meſvæo; necnon ipſe Avicenna qui excalefacere illam carnem, & aliquando febrem inducere voluit. Laudat tamen Anatum ventres & alas, ut pote quæ meliorem & leviorem ſuccum contineant, quod videtur deductum ex Martialis hoc epigrammate.

> Tota quidem ponatur Anas, ſed pectore tantum
> Et cervice ſapit, cætera redde coquo.

Sunt ergo ſuaves & lautæ illæ Anatis partes; maxime junioris, ſed ut innuunt Salernitani, opportunæ generandis longis morbis, velut quartanis febribus: cum enim craſſiorem ſuccum & melancholicum generent, venas meſenterii atque ipſum lienem implent, & infarciunt, unde fœtura morborum. Obſervatum præterea eſt eò deteriores carnes anatum, quo viſe ſunt inter-

dum

tum bufones integros devorare, relatumque à nonnullis, assis vel elixis earum carnibus æstivo tempore diutius asservatis serpentes vermiumque colluviem innasci. Inter cæteras eligendæ quæ libero cœlo, aquisque fluentibus fruuntur, fugiendæ quæ in urbibus degunt, quæ spurcissimis ac fœdissimis cibariis aluntur, quęque cœno perpetuo immorantur. Pulli earum sunt in delitiis, vocanturque à Gallis *Hallebrani* duobus mensibus nati.

De Ansere.

CAP. LXV.

Aucha sitit Coum mensis, campis Acheloum. «
Aucha petit Bacchum mortua, viva lacum. «

Animadversio.

Nefas apud Romanos quondam fuit *Anseres* violare, quod eos sacro-sanctos ob capitolium servatum existimarent, ob idque Censoribus magistratum ineuntibus præscribebatur, ut eis alimenta locarent. Tandem relicta superstitione in primarias mensarum epulas translati sunt, & eorum sagina instituta. Narrat Lampridius Alexandro Severo anserem festis diebus appositum fuisse, Diod. autem Sicul. tum elixum, tum assum anserem quotidie Ægyptiorum mensis adhibitum commemorat. Attamen notissimum est eorum carnes super- Anseres.

fluitatum & excrementorum productrices esse; difficulter coqui domesticisque cunctis avibus crassiores, calidiores, humidiores. Numerantur à Celso inter cibos valentissimæ materiæ & plurimi alimenti, & ut docet Savanarola, sunt ex iis qui febrem propter nimiam humiditatem excitant. Albertus Magnus non calidam anseris carnem, sed frigidam, siccam, duram atrabilariam & concoctu difficilem statuit, qua ratione motus non video, cum omnes alii medici contrarium sentiant, & ipse sibi ipsi non consentiat, cum addit esse atrabilariam, hoc est bili retorridæ & ex adustione nigræ generandæ aptam. Est autem dictus *Anser* Varroni à voce quam emittit; Isidoro vero ab anate per derivationem, vel à similitudine, vel quod & ipse natandi peritiam habeat ab assiduitate natandi. Barbari vocant *Ocham*, nomine à Græco deducto atque composito ex articulo masculino ὁ & voce χὴν Anserem designante, aliqui a in au diphtongum commutantes dixerunt *Aucha* quemadmodum docet Joa. Tortellius. Inter Anseres fœmellæ maribus potiores: pulli magna sunt in gloria, verum adultiores commendantur magis, & ad saginam idonei habentur, farcturæque destinantur. Manditur & salita anserum caro & fumo exsiccata, quæ quia frequenti est Judæis in usu ruborem vultus creditur eis conciliare. Inter cęteras partes *collum*, *alæ*, & *jecur* commendantur, laudatur & *jus anserinum*, non solum ad cibos, sed adversus venena efficax. Non reticebo unguentum ex ansere, quo restitutos multos arthriticos commemorant. Descriptio habetur apud Antonium Guainerium commentariolo de ægritudinibus junctu-

Vnguentum anserinum.

tarum capit. 18. facta Leonino carmine hoc modo.

Anser sumatur veteranus qui videatur
Mox depluvetur, vitalibus evacuetur;
Intus ponantur quæ subterius numerantur.
Trita cato tota, triti mox pelle remota,
Vnctum porcinum, thus, cera, sagmen ovinum,
Pondere sint æquo, sal, mel, faba, sitque siligo.
Post hoc assetur, tamen assus non comedatur.
Vas supponatur sic ut liquor accipiatur;
Quo membris unctis sic gutta solvitur omnis.
Certe hoc unguentum præstat super omne talentum
Sic per dictamen cum scripseris hoc medicamen;
Fac laus ampla Deo solito de more superno;
Anseris edicto & ejus medicamine scripto
Sit laus ergo Deo finito in tempore libro.

Auctor unguent vocabatur Anser.

Narrantur autem anseres ab æstate in autumnum morbo conflictari æque ac corvi. Improbantur ova, cum tamen dicantur à Simeone Sethi proprietate quadam peculiari ἀφυΐαν, hoc est *ingenii præstantiam*, prȩstare iis qui cum fonte filiarum tauri, id est, *cum melle & cum butyro* assidue esitaverint.

Porro quod aiunt Salernitani Anserem in mensis *sitire Coum, in campis Acheloum*, mortuumque expetere *Bacchum*, vivum vero *lacum*; significant, anseres dum vivunt, aquis, fluminibus, lacubusque delectari, dum comeduntur vero & à nobis esitantur, postulare vinum generosum, quale erat Coum, ut nimirum vini beneficio coctio carnis anserinæ duræ promoveatur, ejus crassities attenuetur, humiditas contemperetur, malitia frangatur; distributio juvetur. Hildegardis libr. 4. Physices parte secunda capit. 8. de apparando ad esum ansere sic habet. *Si*

quis, inquit, *anserem comedere vult, eum per tres aut per duos dies valde esurire permittat, & deinde frumento nutriatur. Et postquam occiditur ad ignem assetur; & salvia & aliæ bonæ herbæ ei imponantur, ut succus earum ipsum pertranseat & etiam vino aut aceto cum flabello semper aspergatur, ut sagimen ejus effluat: & qui sanus est, hoc modo eum assatum comedat; sed qui infirmus est, modice ex eo comedat, coctus autem in aqua ad esum hominis malus est.* Hęc illa.

De Carnibus Animalium terrenorum & quadrupedum, ac primo de Porco & Ove.

CAP. LXVI.

EST caro porcina abs vino tibi pejor ovina.
Si tribuis vina, est hæc & cibus & Medicina
,, Carnes porcinæ cum cepis sunt Medicinæ.

PRiore versu carnis porcinæ instituitur cum ovilla comparatio; nempe quod porcina absque vino sumpta, quam ovilla pejor habeatur. Porro quod prava sit ovilla, Galenus libr. 3. de aliment. facult. capit. 1. his confirmat verbis. Agni carnem habent humidissimam ac pituitosam, ovium vero excrementosior est ac succi deterioris. Hac ipsa tamen suillam quæ bonum alioqui succum generat, pejorem esse, si absque vino edatur, hoc loco asseritur. Idque non aliam certè ob causam, nisi quod & ipsa pituitosam ha-

beat ſubſtantiam, quæ quidem vino corrigitur, & ad συμμετρείαν perducitur. Altero deinde verſu innuitur, eandem cum vino ſumptam, ſupra quam quod valentiſſime nutrit, facultatem etiam habere, ceu medicamenti, ut quæ humectando corpus inalteret. Id de porcellis aſſis potiſſimum atque apris pulcherrimè apparatis intelligendum eſt. Cæterum carnes porcinæ quæ ſale condiuntur, ac Sole deinde, vel fumo exſiccantur, quemadmodum apud nos in annum reponendæ à ruſticis ac plebeiis hominibus apparantur, ovillis nihilo meliores cenſendæ ſunt, ſive cum vino, ſive abſque vino mandantur. Quare de aſſatis porcellorum carnibus, ſive aprugnis, hoc ipſum quod hic traditur, eo videlicet quo diximus modo, accipiendum eſt.

Animadverſio.

TErreſtrium animalium carnes ſupra monuimus magis quidem ac potentius alere, quam avium carnes, ſed minus probum ſuccum ac laudabilem ſuppeditare, meliorem tamen quam piſces. Quærit autem Petr. Hiſpanus an volatilia calidiora ſint ambulantibus, reſpondetque terreſtria animalia calidiora eſſe vivifico calore, cujus quidem beneficio majora evadunt quam volatilia, minus vero calida calore elementari ad miſtum concurrente, & poſt mortem in eo remanente, qua ratione corpora avium ad nutrimentum concurrunt. An quadrupedum caro calidior.

Porrò hic agitur de carne ſuilla & ovilla, de quibus multa in medium afferri poſſent, niſi recordarer longam diſputationem à commentato-

ribus institutam fuisse de suilla superius, ad caput nimirum quartum hujus sectionis, quo loco demonstratum fuit ex Galeno suillam carnem humanæ carni admodum similem, homini nutriendo valde accommodatam, ac cæteris etiam carnibus anteponendam. Quod cum ita statutum sit, non alienum erit à ratione, investigare, Primò cur suilla caro præ aliis bene nutriat, cum hoc animal semper in cœno & sordibus nutriatur. Secundò cur hoc capite suilla caro improbetur, nisi vinum superbibatur. Priori difficultati satisfacit Simeon Sethi his verbis, *Nisi*, inquit, *bene temperatum foret suis corpus, nunquam malum nutrimentum in bonam carnem verteret, sed quemadmodum homines, qui corpore benè temperato sunt & sano, rebus mali succi & pravi alimenti non multum læduntur, quod paulatim vegeta illorum natura quod noxium est in bonum succum vertat: sic & sues faciunt, malum illud nutrimentum in bonum succum convertentes.* Alteri difficultati sic respondeo, hoc capite non de suilla, sed de porcina carne tractari. Quænam autem sit differentia inter suillam carnem & porcinam, aperuit Isaac particula quarta libr. diæt. particul. quo loco pro ætatis varietate diversum assignat suillis carnibus temperamentum: Aut enim illæ sunt *lactentium porcorum*, aut *adolescentium*, aut *juvenum*, aut *decrepitorum. Lactentes porci*, quos δέλφακας ϗ λακτευδοτέλυς vocat Sethi, humidiores sunt, superfluitatum abundantes, seu ut loquitur idem Sethi, περιττωματικοὶ, succi minimè boni, sed convertibiles in malos humores & in putredinem, præcipuè si invenerint stomachum refertum malis humoribus, cæterum humidis naturis om-

Suilla an bona.

Porcina caro varia.

nino pessimi. *Adolescentes* porci meliores sunt, beneque nutriunt. Juvenes cæteris præstant, maxime castrati, quos *Maiales* vocamus: *decrepiti* autem, à Græcis χοῖροι dicti, pessimi existunt: sunt enim frigidi, duram habentes carnem, ligneam & insipidam, quæ potest & melancholicos morbos, & diuturnas febres excitare. Hoc ergo capite non agitur de suilla carne, quæ videtur de porcis adolescentibus & juvenibus, sed de porcina quæ est *lactentium* vel *decrepitorum*, quæ profecto cum excrementitia sit, tamque in salubris, videtur vino indigere, quo ejus pravitas aliquo pacto emendetur; id ni fiat, non erit melior ovilla carne quæ saporis est ingrati, pravi succi, excrementitii difficilisque digestionis. Eam carnem Simeon Sethi appellat περιττωματικὴν κακόχυμον, δύσπεπτον βλαπτοῦσαν, καὶ τοὺς ὑγροστομάχους καὶ τοὺς φλεγματικούς. Petrus Crescentius carnem ovium sapore esse ingrato, nimium humidam, neque convenientem nisi forte rusticis assuetis, qui continuis laboribus exercentur, prodidit. *Ovem arietem*, inquit Platina, *dentibus ne attingas, non modo enim ejus caro non prodest, verum etiam vehementer obest.* Si vero post solstitium elixetur, graviter olet, gravius etiamsi assetur, quocirca dum coquitur operculum ollæ auferre, aquam copiosam infundere, & condimenta quoque addere præcepit Rufus. Reddi ovem suaviorem & teneriorem si à lupo dilaniata sit, tradit Plutarchus; & ejus rei rationem inquirit libr. 2. sympos. quæst. 9. In summum Gal. libr. 3. de aliment. facult. agnorum carnem humidissimam ac pituitosam facit ovium vero magis excrementitiam ac succi dete-

Ovilla caro.

rioris. Quæ cum ita ſint, abſtinere debemus ab ovilla carne, velut ab alimento pernicioſo, fugere quoque debemus porcellorum lactentium, & porcorum vetulorum carnes, quæ accedunt ad malitiam ovillarum, niſi ſequi voluerimus conſilium Salernitanorum, qui vel bibendum vinum præcipiunt edendo carnes illas porcinas, vel cœpam admiſcendam, & cum illis comedendam. Quod ad vinum attinet, improbandam eorum eſſe ſententiam non exiſtimo; cum vinum potum ex Gal. comm. ad Aphor. 31. ſect. 6. attenuare, vacuare, & obſtructiones liberare poſſit, ventriculum præterea roborare, coctionem juvare, pituitoſos ſuccos coquere, craſſos incidere, calefacere, denique & deſiccare. Quod vero de cœpis additur, id minime amplexandum duco, licet enim cœpa calefaciat, incidat, attenuet, humiditates exhauriat, flatus diſſipet, quibus fortaſſe emendari carnium porcinarum vitium videri poſſit, attamen cum ſint exigui, pravique nutrimenti, difficiliſque coctionis, non video quid inde commodi humano corpori accedat, quodve ex earum eſu emolumentum accedat.

An vinum ſuperbibendum.

Cæterum dum in porcorum mentionem incidimus, abs re non erit monere *Suem* tam marem quam fœmellam ſignificare *verrem* marem non caſtratum, *maialem* caſtratum porcum; *porcam*, ſeu *ſcropham* fœmellam, *aprum* porcum ſylveſtrem, *porcellum ſubrumum* lactentem, *ſacrem* qui à partu decimo die, vel quinto habetur purus, & ad ſacrificia idoneus: *nefrendem* qui amplius non eſt lactens. Quamquam autem hic porcellos damnemus, magna tamen fuere olim in gloria, & etiamnum hodie toſta eorum

cutis in delitiis habetur. Cœlius Apicius porcellum lacte pastum mirifice extollit, de quo cecinit Martialis. Porcellorum caro.

Lacte mero pastum pigræ mihi matris alumnum
Ponat, & Aetolo de sue dives edat.

Fuit enim caro δελφακίων inter cæteros delicatos cibos enumerata ab Eubulo poëta apud Athenæum; quamquam ut dictum est, parum alat, tarde concoquatur, stomacho, capiti, oculis, atque hepati noceat, vel ipso Hippocratis testimonio, qui sect. 4. de art. vict. in morb. acutis porcellorum κρέα ait esse χολώδεα καὶ ταρακτικά, *bilem generare, & alvum perturbare*, quod suo damno expertus est Bias, pugil. libr. 5. epidem. Hoc in loco conabor corruptissimum & depravatissimum Simeonis Sethi locum de Suillarum carnium facultate restituere, hujuscemodi autem est capite de porco, οἱ δὲ δέλφακες ἅπινα ἐνομάζουσι λακτενδόπυλα ὑγροὶ εἰσὶ καὶ περιττωματικοὶ, καὶ οὐχ οὕτως εὔχυμοι, διοῦδὲ καταχρῆσθαι δεῖ τούτοις, ὥσπερ οὐδὲ τοῖς παλαιοῖς τῶν χοίρων, ὡς ἔφην εὔχυμος ὑπερέχει δὲ τῆς τῶν ἡμερῶν τὸ μὴ περιττωματικὸν εἶναι μηδὲ γλίσχρον χυμὸν γεννᾶν, τὰ δὲ τούτων δηλονότι σκευάσια, πάνυ δύσπεπτα καὶ δυσκατέργαστα καὶ διὰ τούτων ἀπέχεσθαι χρή. Quibus verbis hunc sensum interpres afferre conatus est hoc modo. *Suum vero qui δέλφακες, hoc est porculi nuper nati, qui & λακτενδόπυλι vulgo dicuntur, humidi sunt & superfluitatum abundantes, nec boni succi; quæ ex re haud bonum est eis uti: quemadmodum nec vetustis suibus, quippe quibus malus insit succus: Aprorum vero caro melior est quam suum domesticorum, quod tantarum non sint superfluitatum præditi, nec glutinosum gignant humorem. Quæ vero in-*

ter hos σκυτάεια *dicuntur, hoc est, ut docti quidam putant, talli aprugni, difficulter concoquuntur & perficiuntur, atque ab his ideo abstinendum.* Sed meo judicio tentavit solum curationem Lilius Geraldius quam ego hac lectione perficiam. οἱ δὲ δέλφακες ἅ τινα ὀνομάζουσι λακτινδόπουλα, ὑγ εἰς καὶ περιττ. καὶ οὐχ. εὐτ. εὔχυ. διὸ οὐδ. καταχρ. δεῖ τούτ. ὥσπερ οὐδὲ τοῖς παλαιοῖς τῶν χοίρων, οἳ ὡς ἔφην ἄχυλοι. ὑπερέχει δὲ κάπρος ὑῶν ἡμέρων τὸ μὴ περιττω. εἶ, μηδὲ γλίσχρον χυμὸν γεννᾶν, τὰ δὲ τούτων δηλονότι μετὰ χοιρα, πάνυ δυσπ. Quam sententiam sic reddo, *Porcelli quos lactentes vocant, humidi sunt & excrementitii ac proinde boni minime succi, quibus idcirco uti non oportet, quemadmodum neque vetustis porcis, qui, ut dixi, insipidi existunt. Aper vero anteponitur suibus domesticis tum quod nec ita excrementitius sit, neque viscosum succum progeneret. Inter illos (porcellos) vero, qui omnino ob læsionem in utero factam sero nascuntur, concoctu prorsus sunt contumaces ac difficiles, ob idque ab iis abstinere oportet.*

Enimvero cum infamis sit vel ipso nomine *porcus*, nulliusque dum vivit, homini usus, *non alio tamen ex animali post interitum numerosior materia ganeæ quinquaginta pene sapores, cum cæteris singuli. Hinc censoriarum legum paginæ, interdictaque cœnis abdomina, glandia, testiculi, vulvæ, sincipita verrina*, ait Plinius libr. 2. capit. 21. Quidam apud Livium & Plutarchum cum apud hospitem suum cœnaret, & copiam reprehenderet ferculorum, stuperetque unde tam variam venationem comparasset, audivit ab hospite omnia *ex mansueta sue* facta, paratu tantum & condituris discrepantia. Non commemo-

rabo *sumina, ſpetilia, callos, nulnas ejectitias, taxeam, lucanas, faleſcos, farcimina, pernas Tomacinas, Taniacas, Cerretaneas, Italicas, Moguntinas, Rutenicas, bilas, polimenta, Imbricem, Iſicia, omaſa, Tuceta ſarta, Mediolonenſia*, & id generis cupedias, quas in apparandis porcis, eorumque partibus ad cibum condiendis ingenioſa coquorum gula excogitavit.

De Carnibus Vitulinis.

CAP. LXVII.

SUnt nutritivæ multum carnes vitulinæ.

LAudibus hic efferuntur carnes vitulinæ, eo quod alimentum corpori ſuggerant, non mediocre; & hoc ſatis ex Avicenna conſtat. Nam 3.1. doct. 2. cap. 7. inter cætera præcipit, ut cibus ſanitatis tutelæ conveniens, ſit talis quales ſunt carnes, & proprie hœdorum & vitulorum lactentium parvorum, & agnorum anniculorum, ut quæ conſimilis fere ſint naturæ & facile in ſanguinem commutentur. Galen. quoque lib. 3. cap. 1. de aliment. facult. carnes vituli lactentis ſex vel octo hebdomarum aſſatas, ut optimas tum ad coquendum, tum ad ſuccum bonum generandum, tum ad nutriendum commendat, ſed de his abunde dictum eſt ſupra cap. 4. Ideo non eſt, cur hic plura referantur.

Animadversio.

QUodnam momentum habeant ad immutandam animalium temperationem ætas, sexus, castratio, insigne argumentum habemus in bove, Tauro, juvenco, vacca & vitulo, quæ etsi eadem animalis specie contineantur, inter se tamen plurimum differunt, quoad carnes quas in alimoniam nostram convertimus. *Taurinam* enim carnem nemo est qui probet; præsertim cum in venerem furiasque Tauri ruunt, qui servantur ut plurimum admisturæ: hujuscemodi enim caro calidior & siccior existit, virosa præterea ac tetri odoris, sanguinique crasso & adusto generando opportuna, difficilis etiam concoctu est, dura & fibrosa, non minimum tamen cum superatur à calore nativo, nutriens. *Bubula* caro, puia castrati est animalis, melior censenda: est autem ea duplex: novelli bovis una, alia vituli. Caro novellorum, quoniam nondum laboribus fracti sunt, mediæque sunt ætatis, utilior habetur, raro tamen ducuntur ad lanienam nisi crure fracto, vel cum aliàs ad aratrum inepti judicantur: vetulorum vero caro frequenti est in usu, atque olim fuit non solum apud vulgus, sed apud heroas ipsos, si credimus Homero. Agamennon enim Rex convivio excipiens Ajacem ac Nestorem costas boum assas ponebat: Menelaüs Telemacho Ulissis filio costam quoque babulam apponebat, videlicet *ut frugalis vitæ exemplum Adolescentibus præberetur*, inquit Athenæus lib. 1. Deipn. Hercules apud Eubolum delicatioribus cibis recusatis dixit velle se satiari quibus vires roborantur qui-

Bubula.

quæ ad bonam valetudinem conducunt, *qualis,* inquit, *est caro bubula elixa.* Extitit insigne hoc tamen frugali in victu luxus argumentum, in eo scilicet quod boves integri appositi interdum fuerint. Refert ex Herodoto Athenæus, apud Persas diebus natalitiis fuisse morem ut divites bovem, asinum, equum & camelum apponerent totos in clibano aut camino coctos. Quin & eum morem ad nostra usque sæcula traductum notat Struchius lib. 1. Antiquit. convivial. de Maximiliani secundi epulo, & Paul. Jovius lib. 25. de Caroli V. coronatione. Verum hæc sint principum virorum aut luxu diffluentium hominum ludicra: Medici, quia ad unam sanitatem consilia sua dirigunt, in definiendo bubularum carnium temperamento occupentur. Cornelius Celsus ex domesticis animalibus bubulam plurimi alimenti & stomacho aptissimi existimavit; atque inter ea enumeravit quæ minimè corrumpuntur: Hippocrates difficulter eam concoqui, choleram siccam inducere, atrabilarisque affectiones parere voluit, quod sit insuperabilis ejus natura neque cujusvis ventriculi sit ipsam concoquere. Suggerit, Galeno teste, alimentum corpori non mediocre neque dissipatu facile sed sanguinem gignit quam conveniat crassiorem. Plura superiùs ad cap. 4. dicta quibus pro coronide hęc de ejus esu & pręparatione adjungo ex Bruyerino. *Porro,* inquit, *nullo non tempore hæc caro epulas præbet mortalibus, verùm hyeme magis placet, & frequentior est. Elixatur & assatur, atque utraque coctura est gratissima, præsertimque opima ac præpinguis. Aulicæ culinæ vocant frusta regia quæ ampla & pinguitudine refertiora sunt; quasi regia mensa digna. Hæc autem prima ferè apponuntur elixa, magna-*

tum ac lautiorum epulis. Sed hic gula morosior irritamentum quoque vini avidioribus juvenit. Quippe sale modico imbutam bubulam magis commendat, editur ex sinapis intinctu elixa, rarius assa. Nam præter costas ex toto bove nihil verubus torreri vidimus: verum & hæ inter elegantiores hyemis escas reponuntur, quas salvia confixas aliqui expetunt. Crebrius eduntur ex condimento atro, quod vini acetique momento, pipere ac sale temperatur: piperatum condimentum vocatur lautioribus. Hæc ille.

Juvencorum caro. Quoad juvencorum carnes, rarius eduntur, quia raro mactantur juvenci, sed servantur ad agriculturam. Juvencæ vero bimæ & trimæ, semestres & anniculæ venerem non expertæ, laudabilem carnem habent, nondum enim dura est & sicca: qualis est *vaccina*, quæ est boum fœminarum vetularum: quæ quidem cum sterilescunt, aut usui amplius esse non possunt ad esum mactantur sordidorum tantum hominum ac pauperum; cum carnes obtineant insalubres, duras, crassioris succi & atrabilarii.

Vaccina.

Vitulina. Restat ut qua dote præ illis omnibus donata sit *vitulina* caro, paucis absolvamus. Vituli nomine boum primæ ætatis fœtus intelligimus, sumpta Ethymologia vel à *viridi ætate* ut vult Isidorus, vel à *vitulando*, id est lasciviendo, *vel à vita*, quia potens est vitæ tolerandæ vitulus. Certè Nonius *vitulantes* gaudentes à veteribus dictos putat, à bonæ vitæ commodo, quod eum vivere dicamus, qui in summa versatur lætitia. Galenus lib. de cibis boni & mali succi, carnes vetulorum animalium, duras, siccas & concoctu difficiles statuit, juniorum contra, humidas, molles, quæque commodius concoquentur, nuper vero editorum mucosas! ut agnorum & suum; at hœ-

dinas ac vitulinas melius coqui ac nutrire, quod hœdi ac vituli natura ſint ſicciores. Eſt ergo vitulina caro temperata, boni ſucci, ſanis ægriſque conveniens, facilis concoctu ſalubriſque iis qui vitam ducunt otioſam, quo factum eſt ut Poëta cecinerit,

Aſſiduos habeant vitulos tua prandia in uſus
Cui malida & ſapida eſt juncta repore caro.

Iſaac in diæt. univerſalib. cap. 21. *docet maſculum bovem lactentem meliorem & laudabiliorem eſſe non lactente; quod humiditas lactis complexionem ſuam temperet.* Addit in diæt. particularib. lactentem laudabile generare nutrimentum, atque ſapidum, facilis eſſe digeſtionis bonumque generare ſanguinem, quod bilem flavam è ſtomacho expellat, maximè ſi comedentibus uaturalis calor vigeat.

Eſt autem apud Medicos controverſum an *vitulina* caro *hœdina* ſit præferenda. Hœdulinam quidem Rhaſes 3. ad Almanſ. cap. 9. temperatam agnoſcit, nullam in ſe habentem malitiæ admixtionem, temperatum generantem ſanguinem, hoc eſt qui ſit inter ſubtilem & craſſum ac inter calidum atque frigidum. Hally Abbas quoque temperatam eſſe in humido & ſicco, citæ digeſtionis, temperatumque generare ſanguinem profeſſus eſt libro quinto Theoricæ capite vigeſimo primo: ſed Averroes quinto coll. cap. 32. pronũtiavit carnes hœdulinas meliores vitulinis, quod producant meliores humores. Hanc difficultatem conatus eſt diluere Donat. Anton. Ferrus apud Aldrovandum, libro primo de quadrupedibus biſulcis, his verbis: *Vituli*, inquit, *præſertim lactentes, apprimè laudantur cum temperatæ ſint*

An vitulina hœdinę præferēda.

complexionis, & propterea quocumque anni tempore comedi possunt. Verum à partu tribus quatuorve mensibus remoti sint atque annum unum non diu transeuntes, velut qui surrentini nuncupantur, sunt enim gustui grati, optimi succi, ac facilis concoctionis; bonum generant sanguinem, ac temperatissimum nutrimentum. Et multi horum carnes hœdinis laudabiliores esse sentiunt, quoniam melioris sunt nutrimenti, cum in hœdinis quadam sit muccilago, quando decoquuntur. Et hoc est quod asserebat Averroes. Et carnes vitulinæ sunt bonæ carnes, propterea quod dum habent illam viscositatem; frigiditatem; siccitatemque quam habent carnes bovinæ veteres, & eorum carnees sunt magis odoriferæ aliis carnibus, & quantum est in hoc meliores sunt carnibus hœdulenis. Et hinc salvi potest controversia quæ inter Medicinæ auctores in carnium electione reperitur. Quamplurimi enim hœdinas extollunt, & ipsæ quidem sunt præstantiores aliis, si ex parte facilioris digestionis ac temperatæ complexionis considerentur; meliores porro generant humores: si vero ex parte minoris viscositatis ac melioris odoris earum, sic vitulinæ laudabiliores existunt: si denique ex parte majoris, robustioris ac irresolubilioris nutrimenti, suillæ carnes cæteris sunt meliores.

Hœdina. Hucusque ille; cui hoc addam, elaboratam esse magis vitulinam quam hœdinam; ac propterea temperatiorem, proindeque tanti non esse faciendam hœdinam, ut ei vitulina postponatur. Est quidem tenera iila nec contumax, quod tamen acceptum non refero temperamenti probitati, sed nimiæ ejus humiditati, cujus opera fibræ mollescunt & indurari prohibentur. Fatua quoque caro illa est; & nisi assaretur, insipida ac pene aquea; cum vitulina & odore, & sapore, & teneritudine nulli quadrupedum cedat; quo fit ut cum

Salernitanis præ bovillis carnibus vitulinam concludam optimè nutrire, præ hœdina vero eam ſuadeam & eligendam & edendam. Cæteras carnes à Salernitanis non nominatas, nec ipſe commemoro, multa ut dixi ad caput 4. ſect. 2. hujus operis, à commentatoribus annotata huc transferri poſſunt & debent.

De Carnibus Piſcium & eorum electione.

Cap. LXVIII.

SI piſces molles ſunt, magno corpore tolles:
Si piſces duri, parvi ſunt plus valituri.

Hic duæ traduntur laudabilium piſcium notæ. Piſces enim aut dura carne ſuapte natura ſunt, aut molli. Ex his igitur qui molles ſunt, vetuli junioribus præſtant. Carnis namque mollities pro modo humiditatis reſpondet, quæ crudior in novello piſce, in vetulo vero concoctior exiſtit. Quare novelli piſces lento ac pituitoſo ſucco magis quam vetuli abundant. Atque hac certè ratione nonnulli anguillam etiam vetulam juniori præferunt. Ex iis vero qui dura carne pręditi ſunt, juniores longe præſtantiores & concoctu faciliores habentur: ejuſmodi porro luci cum primis ſunt; & percæ. Carnis enim durities concoctioni reſiſtit. Quæ ſane ſententia ex 2. Cano. cap. 553. Avicennæ deſumpta eſt, ubi ſic ferme ſcriptum reliquit: Ex piſcibus dura carne præditis eligendi ſunt minores, ex molli vero majores ad terminum aliquem. Plura Galenus libro tertio de alim. facultatibus capite vigeſimo nono & trigeſimo.

Vu

Animadversio.

POstremo loco de Piscium carnibus disputamus, quod eas videam ad omnibus penè Medicis in re cibaria deterioris conditionis haberi, & avium, quadrupedumque omnium carnibus postponi. Quamquam, ut verum fatear, primas partes in conviviis delitiisque ab omni tempore obtineant, nec sumptuosius aliud cariusve priscorum mensis appositum sit. Cato ille Censorinus conquestus est apud Polybium, non posse salvam esse urbem in qua pluris piscis quam bos veniret. Alexis apud Athenæ. Dolet piscarios regia plane vectigalia exigere & ementium facultates decimare. Accusat Martialis epig. 31. lib. 10. Calliodorum, quod hominem non piscem vocaret, propterea quod servum vendidisset, ut emeret piscem.

Luxus in piscibus

Addixti servum nummis here mille ducentis
  Vt benè cœnares, Calliodore semel
Nec benè cœnasti. mullus tibi quatuor emptus
  Librarum, cœnæ pompa, caputque fuit
Exclamare libet, non est hoc improbe, non est
  Piscis, homo est; hominem, Calliodore, voras.

Eo ferme sensu nobiliores pisces Antiphani Comico vocati sunt ἀνθρωποφάγοι, quod scilicet impensarum magnitudine opes Comedentium absumerent. Cum quis apud Plinium legit mullum unum mercatum esse octo millibus nummum, cum quis audit ætate nostra unum unius piscis condimentum quinquaginta aureis coronatis emi: cum quis videt lurconum convivia selectissimis piscibus apparata ingenti pretio æstimari,

nonne cum Antiphane exclamare debet, ἐὰν ἴδω γὰρ ἡλίκον.

Ἰχθὺν, ὅσου τιμῶσι πήγνυμαι σαφῶς.

Cum video quantulum piſcem quanti æſtimant, obrigeſco planè. Ceſſabit tamen ea admiratio, ſi meminerimus tam ſalubrē eſſe piſcium eſum, ut præter hunc ſolum alios faſtidiat Ichtyophagorum natio prope Gendroſiam, & circa promontorium bonæ ſpei habitans & ſaluberrimè vivens. Atque profectò non abſurdum viſum fuit ſapientiſſimis viris revocare in dubium deterioresne eſſent carnes aliorum animalium, quam piſcium. Ac inter alios Ferdinandus Rodericus Cardoſus cap. 30. de reb. nonnaturalib. quæſt. 5. probl. 5. rem ita examinavit, ut penè à piſcium partibus ſtare videatur. Ab eo Ludovicus Nonnus opere proprio de piſcium eſu, ſalubres eſſe piſces probat, eorumque rationes diluit, qui etiam veritatem oppugnare totis viribus contenderunt, quæ quia luculenter ab eo cap. 8. 10. & 11. diſputata ſunt, à me ſilentio involvuntur. Hoc unum monēdum non ita pravum eſſe ex piſcibus alimentum, viſum Græcis auctoribus, quin eos ægris ſuis præſcriberent: ac recenti memoria Joan. Alphonſus Complutenſis Academiæ Profeſſor publicus, ſpeculum Medicinæ Chriſtianæ conſcripſit, in quo eximinat quibus in morbis, ægritudinibus, corporis affectionibus aut debilitatibus abſque periculo veſci piſcibus poſſimus, paucoſque omnino recenſet morbos quibus eſus piſcium non conveniat.

An piſcium caro deterior quadrupedum carne.

Verum enimvero ut ſincerè ſenſum meum aperiam, longe inferior ac deterior eſt alimonia piſcium quàm aliorum animalium. Etenim imprimis non ita copiosè nutriunt atque animalia: ſuccus

eorum fluidior ac liquidior, ſubſtantia frigidior & excrementitia magis, minus quoque ſapida & odorata ſi abſque condimento edantur. Non ita tamen deteſtandi ſunt, ut quaſi ſanitati omnino adverſentur, nullum laudabilem ſuccum ſubminiſtrent, coctioni repugnent, putredinem acceſſant, vitæ denique officiant, eamque breviorem reddant. Ex piſcibus enim nonnulli εὔχυμοι ſunt, εὔπεπτοι καὶ εὐκατέργαστοι, ſi Græcis auctoribus fidem habeamus: at hi pauci omnino ſunt, ſi cum pravi ſucci piſcibus conferantur, qui non tales tantum natura, & origine, ſed caſu quoque ut vetuſtate, & cuſtodia. Olim Galeno aliiſque Medicis probabantur piſces quod recentiſſimi comederentur. Ad hoc autem tria obſervabant, quæ noſtro ſæculo deſiere, aut ſegniùs obſervata fuere. Primum eſt quod haberent priſci Bajulos ſeu gerulos piſcium qui captum piſcem properantiſſimè Romam deferrent. *Mirabamur*, inquit Seneca lib. 3. quæſt. natural. cap. 18. *tantum in illis eſſe faſtidium, ut nollent attingere niſi eodem die captum piſcem, qui, ut aiunt, ſaperet ipſum mare. Ideo curſu advehebatur, ideo gerulis cum anhelitu & clamore properantibus dabatur via.* Imo vero ut idem paulo ante monuerat; *In cubili nutabant piſces & ſub ipſa menſa capiebatur qui ſtatim transferretur in menſam. Parum videbatur recens mullus, niſi qui in convivæ manu moriebatur. Vitreis ollis incluſi offerebantur & obſervabatur morientium color, quem in multas mutationes mors luctante ſpiritu vertebat, alios necabant in garo, & condiebant vivos.* Ad hæc, vetitum piſcatoribus erat piſcibus aquam affundere, nè ſcilicet in multos dies ſervarent: ut Xenarchus Comicus apud Athenæum notavit. Alterum fuit lex præſcripta in ἐχθυοπώλας, ne ſcilicet inter

Græci piſces laudantur.

vendendum ſederent, ut ſtandi tædio laſſitudineque confecti, recentiſſimos venderent piſces: quam legem Athenæus ex Alexi Comico *νόμον χρυσοῦν aurean legem vocat.* Poſtremum eſt piſcium conſervatio per nivem, cujus meminit. Galen. libro de cibis boni & mali ſucci cap. 19. quo loco ait *piſces nive circundatos ſi duritiores fuerint, præſtantiores evadere, cum caro ipſorum reddatur friabilior uti & caro aſelli & eorum qui in ſaxis degunt. Nam quod in his naturaliter ineſt, id ii qui duræ ſunt carnis, à nive ſumpſerunt.* His itaque auxiliis conſervati Galeni tempore piſces ſalubriores dubio procul evadebant, ſed ea ipſa cum ætate Arabum deſierint, fecêre ut ab Arabibus piſces neglecti ſint, maximè quidem cum obſervarent magnam piſcium partem deterioris eſſe ſucci, eoſque piſces qui laudabiles habebantur, ob æſtum Mauritaniæ & Hiſpaniæ ubi detegebant, diu illęſos non ſervari, ſed facili negotio putreſcere atque cotrumpi. Arabes piſces vitupe-rarunt.

Cæterum ut ferre judicium poſſit Medicus de Piſcium bonitate vel malitia, nonnullæ regulæ hîc apponendæ ſunt quæ generales piſcium facultates, temperaturas & uſus ſtudioſis medicinę aperient. Eas autem regulas à *loco* in quo degunt piſces, à *ſubſtantia*, ab *ætate*, & à *pabulo* deſumemus. *Locus* quadruplex, *lacus*, *fluvius*, *mare*, *terra*, à quibus piſces denominantur *lacuſtres*, *fluviatiles*, *Marini*, & *terreſtres*, qui & *foßiles* dicuntur; Gręcis *ὀρυκτοὶ*. *Lacuſtres* duorûm ſunt generum: *τελματιαῖοι paluſtres*, & *λιμναῖος*, *lacuſtres*. Qui in paludibus degunt ac ſtagnis, quia cœnoſi ſunt & lutarii, ideo improbantur, velut graves, excrementiſque ſcatentes, difficilis coctionis ac mali ſucci, cum enim victu deteriore utantur, minuſque exer- Cautela obſervandæ. Lacuſtres piſces.

ceantur, excremẽtitiam carnem cœnoſamque cõgerunt qua inſalubrius eſſe nihil poteſt. Paulo meliores ſunt lacuſtres, præſertim qui ingentes lacus incolunt, cœnoſam urbium populoſarum illuviem non admittentes, ſed è fontibus & fluminibus ſponte promanantes, quoſque magna flumina præterfluunt. Tales ſunt Lemanus lacus, Benacus, Larius & Verbanus qui piſces ſatis laudabiles nutriunt, facta comparatione ad paluſtres; non ad fluviatiles, quibus in univerſum inferiores cenſentur.

Fluviatiles. *Fluviatiles* quos Græci ποταμίους appellant, duplici differentia comprehenduntur: alii enim in fluviis puris & limpidis paſcuntur, alii in turbidis, cœnoſis, & urbium magnarum ſordes excipientibus; hi mali ſucci ſunt & ventriculo noxii; de quibus audiendus eſt Hippocrates lib. de affectionibus fluviatiles vocans βαρυτέρους *graviores*, nec non Xenocrates ſcribens fluviatiles & qui in ſtagnis degunt, eſſe κακοστομάχους, παχυμερῆς ὕλης, δυσεκκρίτους, *ſtomacho adverſos, craſſioris ſubſtantiæ, quique difficulter excernantur.* Illi vero, quia aquis perpetuo recentibus meliorique pabulo fruuntur, præterea quia aſſiduò exercentur, ob continuum aquæ fluxum boni ſunt ſucci, ſalubres, lacuſtribus præferendi.

Marini. Marinorum duas tantùm ſpecies fecit Hippocrates, *Petræorum* & *Erronum*, tres præcipuas Galenus *Pelagiorum*, *litteralium* & *ſaxatilium.* Marini quidem cæteris aliis præſtantiores, quod ſalſus æquoris liquor, & fluxus inter ſaxa colliſio viſcidum eorum mucorem attenuet ac digerat: ſalſedo enim maris humiditatem nimiam piſcium, & frigiditatem attemperat & conſumit. Obſervat tamen Simeon Sethi θαλαττίους ἀπεπτοτέ-

ρους esse: verum *δυσαναδότους melius concoqui, sed difficilius reddi*, fluviatiles vero *δυσπεπτοτέρους*, sed *εὐαναδοτέρους difficilius concoqui, verum melius reddi.* Cum autem plures sint marinorum piscium species, nonnullum ideo inter eos discrimen intercedit. Πελάγιοι quidem qui in imo profundoque maris communiter vivunt, dura sunt carne, difficilè conficiuntur, sed copiosum corpori alimentum subministrant. Eos Diphilus Siphnius idcirco vocat *δυσφθαρτοτέρους*, *πολυτρόφους*, *δυσοικονομήτους* Littorales qui & *αἰγιαλώδεις* & *ἀκταῖοι* dicuntur, litoribus terræque proximas sedes elegerunt vitamque sustinent muco eluviéque maris, iisque purgamentis quæ in continentem undarum fluctibus propelluntur. Tales autem ratione nutrimenti improbari possunt, sed ratione loci laudantur : loca enim à sole illustrata qualia sunt littora, temperata magis sunt ex calido & humido, corpora itaque educant & meliora & teneriora; quo fit ut caro istorum piscium firmior sit & melior, quam pelagiorum quæ humida mollisque existit. Ad hæc cum isti pisces errones sint & hac & illac vagentur, jugi illa exercitatione sicciores durioresque evadunt, quicquid enim excrementitium ex pabulo colligitur, frequenti motu dissipatur, unde à quibusdam *σκληρόσαρκοι*, id est, *duræ carnis* appellantur. Quapropter antepositi semper fuerunt Pelagiis, sed Saxatilibus postpositi. Sunt autem dicti *Saxatiles* *πετραῖοι*, quod in saxosis locis aut asperis promontoriis ubi saxa frequentia sunt, delitescant, domiciliaque deligant saxis proxima : hi omnium piscium suavissimi & saluberrimi sunt; alimentum enim ex eis sumptum teste Galen. lib. 3. de aliment. facult. cap. 20. *non modo ad concoquendum est facile, sed*

Pelagii.

Littorales.

hominum etiam corporibus est saluberrimum; ut quod sanguinem mediæ consistentiæ generet, qui scilicet neque admodū tenuis, neque admodum crassus est, ex quo factum est ut idem Galen. lib. de attenuante vict. ratione cap. 8. eodem censu pisces posuerit quo montanas aves. Hippocrates 2. de diæta, saxatiles vocat κούφους, id est, *leves* carnemque eis tribuit ἀφαιὴν καὶ κούφην, *raram ac levem*. Diphilus Siphinius apud Athenæum lib. 8. appellat εὐφθάρτους, εὐχύλους σμηκτικοὺς, κούφους, ὀλιγοτρόφους *concoctu faciles, boni succi, abstergentes, leves, & parum nutrientes*: Quo loco observabis nos cum Ludovico Nonno εὐφθάρτους exposuisse per concoctu faciles, quod nonnulli veterum chylosim fieri existimarent per putrefactionem, sic ut apud illos idem esset πέψις καὶ σῆψις, ut videre licet apud auctorem definitionum medicarum, & Plutarchum de placitis Philosophorum. Ab hac mente Diphilus εὐφθάρτους dixit pro εὐπέπτους, nemo enim est qui non dixerit saxatiles pisces facilis esse concoctionis, ut patet ex Galeno loco citato, & ex Simeone Sethi, à quibus hi pisces nominantur εὔπεπτοι καὶ εὔχυμοι. Duæ aliæ difficultates occurrunt apud Athenæum lib. 8. cap. 14. ex Mnesithei Atheniensis lib. de eduliis. Illic enim scribitur ex interpretatione Dalechampii, *pisces qui vocantur saxatiles & his similes, nostris corporibus alimentum siccum præbere, molem corporis augere, largius nutrire, ocyus coqui, nec excrementa multa relinquere, nec flatus generare*. Primo enim objicitur; quomodo pisces saxatiles molem corporis augere possint, cum à Galeno inter cibos attenuantes collocentur? 2. quæritur qua ratione dici possint à Mnesitheo largius nutrire, cum à Diphilo parum nutrire statuantur. His duabus difficultatibus satisfieri potest

εὔφθαρτος quid.

Athenæus explicatus.

adducto Athenęi Gręco contextu qui sic habet: τὰ δὲ κυλλήμενα πτίβαια καὶ τὰ ὅμοια τοῖς τῶ σώμασιν ἡμῶν ζηέαντι δίδωσι τροφὴν, ἔυογκα ᾗ ἐστι καὶ ἄτροφα, καὶ πέπτεται ταχέως, κ᾽ οὐκ ἐγκαταλείπει περιττώματα πολλὰ, πνευμάτων τε οὐκ ἐστι ποιητικά. Interpres duo ex ea sententia vocabula perperam interpretatus, ἔυογκα scilicet & ἄτροφα: putavit ἔυογκα designare eos cibos qui molem corporis adaugent, cum eos significent qui non distendunt ventriculum nec malè habent. Id doctissimus Casaubonus ante me animadvertit & docuit capit. 5. libr. 3, animadvers. in Athenęum; cujus verba, quia medicam materiam illustrant, libenter hîc subjiciam. *Apud Philosophos ac Medicos*, inquit, *multis diversisque modis vox* ὄγκος *accipitur, quod fusè probamus alibi plurimis Theophrasti, Galeni & aliorum id genus magnorum scriptorum locis illustratis. Interdum* ὄγκος *est cibus in stomachum admissus, qui sua mole illum impedit si majore copia sit sumptus, Galenus* ὑγιεινῶν *lib. 6.* παχυώσεως *curatione,* ὄγκους ἐδεσμάτων ὀλιγοτρόφους ἐδίδουν. *Intelligit cibos qui mole implerent ventriculum, non multum tamen alerent. Catalogum* ὄγκων ἀτρόφων *ex Erasistrato habet in libro Galeni de mißione sanguinis contra Erasistrateos, in eo albo ponuntur & caricæ. Simeon Sethi de anetho;* διαφορητικὸν ἐστι καὶ ὠμῶν ὄγκων πεπτικὸν, *id est crudos in ventriculo cibos concoquit. Libr. 2. dictum est de aceto;* καὶ τὰ ἐν κοιλίᾳ τὰ ἐν τῷ ὄγκῳ διαλύει, *verba sunt Heraclidæ Tarentini qui novo loquendi genere sic expreßit illa quæ sua mole stomachum (abutar ea voce cum multis) habent impeditum. Libro 9. dicuntur Athenæo succi è carnibus caprinis;* πολυχρόνιον ὑπομένειν ἐν τοῖς ὄγκοις. *Hic* ὄγκος *aliter accipitur pro corporis mole, id est corpore ipso & ea quam* ἕξιν *vocat ali-*

ἔυογκος quid.

bi ut diximus libr. 1. capit. 20. Philo legatione ad Caium; ἐπὶ πλήρεσι τοῖς ὄγκοις ἀπλήρωτοι ἐπιθυμίαι. *A priore significatione dicuntur cibi* εὔογκοι, *qui non distendunt ventriculum nec malè habent. Libro 8. ait Auctor pisces saxatiles esse* εὐόγκους καὶ πέπτεσθαι ταχέως. *Errat Dalechampius qui putat dici* εὐόγκους *quod molem corporis impleant: quod est contra ejus artis, quam magna cum laude profitebatur vivus, principia. At cibos illos qui ventriculum complent, nec multum tamen nutriunt,* ὀγκώδεις *dicunt Græci.* Artemidorus *lib. 1. de albis oleribus, puta rapa, napis, cucurbita aliisque id genus: Sunt*, inquit, *hæc omnia* ὀγκώδη καὶ ἄτροφα. Hactenus ille. Ex his liquido constat perperam factum à Dalechampio quod interpretatus sit εὐόγκους *pisces qui corpus augerent*, cum debuisset interpretari *stomachum non distendentes*, vel *stomacho molestiam non inferentes:* quod sane proprium est eorum ciborum qui boni sunt succi & facilis coctionis; quales ut dixi pisces ab omnibus esse perhibentur. Atque ex hac explicatione liquidum est Athenæum Galeno adversum non esse, annumeranti libr. de attenu. victus rat. capite octavo pisces saxatiles cibis ad extenuandum accommodatis, quo modo primæ difficultati satisfactum puto.

Dalechampius reprehensus.

Alia difficultas fluxit quoque ex minus apposita verbi τρόφιμα interpretatione: Dalechampius enim ratus εὔογκα significare molem corporis augentia; credidit quoque τρόφιμα designare *multum & copiosè nutrientia*, quod illa duo sese subsequantur, & ex probo copiosoque alimento molem corporis augeri contingat. Nec sane diffiteor interdum eo sensu usurpari τὸ τρόφιμον, sed non perpetuo; sæpenumero enim significat tantum id quod probe & benè nutrit; non est au-

Alius Dalechampii error.

tem neceſſarium, ut quod benè nutrit continuo etiam multum & copiosè nutriat, quod confirmare poſſem ex infinitis Galeni locis, niſi rem notam omnibus & perſpectam in memoriam revocarem. Priuſquam vero ab hac diſputatione de ſaxatilibus piſcibus recedam, explicandus eſt locus Celſi difficillimus, qui hactenus medicorum ingenia fatigavit. Enumerat ille libro ſecundo capite vigeſimo primo inter res mali ſucci, *piſces ſaxatiles omneſque qui ex tenerrimo genere ſunt, aut hos qui rurſus nimium duri viroſique ſunt, ut ferè quos ſtagna, lacus limoſive rivi ferunt, quive in nimiam magnitudinem excreverunt.* Fruſtra eſt Balduinus Ronſſæus cum pro ſaxatilibus fluviatiles aut ſtagnatiles, pro tenerrimo, valentiſſimo ſubſtinendum putat: reclamat enim rerum ſeries, & omnium exemplarium conſenſus. Loci elucidatio pendet ex eo quod Medici omnes dixerint ſaxatiles piſces ciboſque alios ſubſtantiæ tenerrimæ imbecillibus hominibus atque convaleſcentibus accommodatos eſſe, nempe quia imbecillis iſtorum hominum ventriculus talia concoquere ac ſuperare poſſit alimenta. Id ut demonſtrem uno Simeonis Sethi teſtimonio ero contentus, qui capite de piſcibus hæc habet: ὠφελοῦσι γὰρ οἱ δηλωθέντες ἰχθύες τοὺς ἀγυμνάστους, καὶ τοὺς τὴν δύναμιν ἀσθενεῖς, καὶ ἀνακομιζομένους ἀπὸ νόσου. *Proſunt vero*, inquit, *jam demonſtrati piſces* (*loquitur de teneram* carnem, ſquamoſam & non glutinoſam habentibus) *non exercitatis hominibus, imbecillitate laborantibus, & ex morbo convaleſcentibus.* Hoc cum Celſo ante oculos propoſitum eſſet, validæque ac integræ ſanitatis hominibus victus rationem præſcriberet, æquè teneræ carnis piſces damnavit atque duræ & viroſæ, cum illi ob

Ronſæus refutatus.

Celſus expoſitus.

calorem vegetum ventriculi facile corrumpantur; hi propter contumaciam non concoquantur. Quod vero cibi teneri & concoctu faciles, facile corrumpi possint, testatus est Galenus cum alibi, tum maximè libr. 1. de alim. facult. capit. 1. *Quæ*, inquit, *facilè concoquuntur, facilè item alterantur ac corrumpuntur: contra, quæ concoctu sunt difficilia, non facilè quoque tum alterantur, tum corrumpuntur. Hæc certè si in multum calorem inciderint, coquuntur magis quam si moderato occurrerint, atque hac ratione profecto accidit ut nonnulli bubulam facilius quam pisces saxatiles conficiant.* Hæc ille. Quoniam ergo calor ventriculi cibum optimè conficit, sibi proportione respondentem, quemvis vero alium non coquit sed corrumpit; idcirco cibi tenuiores qui in ventriculum benè valentium incidunt, cito corrumpuntur & alterantur: quia calorem nanciscuntur seipsis majorem ac superiorem: Illi etiam qui duriores sunt, occurruntquè ventriculo sano quidem, sed non multum robusto, confici & elaborari nequaquam possunt, quia sunt ventriculi illius calore superiores ac potentiores. Quamobrem Celsus tres quidem hominum sanorum differentias agnoscebat, imbecillium, robustissimorum, & medio modo sese habentium. Hanc unam tamen postremam differentiam, mediam scilicet ac moderatam sibi proposuit in describenda victus ratione, aliis neglectis, utpote quæ facile ex dictis intelligerentur: cui differentiæ mediæ, mediam quoque victus rationem præscripsit, constantem videlicet ex cibis nec nimis tenuis nec nimis duræ substantiæ, cum priores illi ad priorem sanitatis differentiam, posteriores hi ad postremam valetudinis spe-

ciem accommodati ſunt. Triplex hoc ciborum diſcrimen copioſius ille explicavit eodem libr. capit. 18. ubi primum genus vocat imbecillis materiæ, ſecundum mediæ, tertium valentis, videturque ad imbecillis materiæ cibos revocare *piſces ſaxatiles*, ad cibos mediæ *limoſos piſces per arenam degentes*, ad tertiæ *limoſos piſces*: ſic enim breviter ſcribit; *levior piſcis inter ſaxa editus. quam in arena, levior in arena quam in limo.* Celſus igitur cum non ignoraret ſaxatiles piſces (ut loquitur Galenus 3. de alim. capit. 30.) alimentum hominibus otioſis, ſenibus, imbecillibus & ægrotis proprium eſſe, cibos vero firmiores accommodatos iis qui exercentur, quique integra valetudine fruuntur; ſaxatiles dixit mali eſſe ſucci, hoc eſt facilis corruptionis, in iis ſcilicet validis quibus victus legem præſcribit, non quod exiſtimaret ſaxatiles piſces abſolutè conſideratos, nulloque reſpectu habito ad temperamentum, ætatem, tempeſtatem, conſuetudinem, mali eſſe ſucci, ſed comparatione tantum facta ad ſanos validos in quorum ventriculo ſtatim corrumpuntur ac putreſcunt: qua de cauſa factum eſt ut teneros piſces inter ea quæ facilè intus corrumpuntur capit. 28. ejuſdem libri repoſuerit; capit. vero 24. *duros ex media materia* revocaverit ad res ſtomacho idoneas. Quod ſi quis noſtram explicationem minus probaverit, eum Celſi locum emendare ſic poterit & legere: *piſces quoque ſaxatiles, non omnes, ut qui ex tenerrimo genere ſunt, at hi qui curſu nimium duri, viroſive ſunt, & ferè quos ſtagna, lacus, &c.* Quæ lectio ſignificat non omnes piſces ſaxatiles eſſe pravi ſucci, qui enim ſunt tenerrimi, boni ſucci habentur ab omnibus Medicis, ſed ex ſaxati-

libus qui duriores ſunt, aut mali odoris, omnes illi mali ſunt ſucci. Quod autem piſcium ſaxatilium duo ſint genera, ex diverſis auctoribus probari poteſt: alii enim propriè ſaxatiles & ſunt & dicuntur, qui quidem ex definitione Galeni 3. de aliment. capit. 30. nec alimenta, nec loca mutant, nec dulcibus aquis utuntur, ob eamque cauſam omnes perpetuo ſunt inculpati, carnem enim habent & mollem & friabilem: alii autem impropriè ſunt ſaxatiles, quia alimenta & loca mutant, poſſuntque proprie Hippocratis vocabulo vocari πλανῆτα, hoc eſt *errones*, ſeu cum Ariſtotele περιγεῖοι, id eſt, *littorales*. Hippocrates enim 2. de diæta duo genera ſaxatilium viſus eſt conſtituere. Primum eſt ἀτρεμιζόντων *quieſcentium*, *ſeu ſtabilium*, in eodem loco verſantium, qui leviores ſunt, rariorem carnem habent, hoc eſt poroſam & aëre plenam. Aliud genus eſt πλανητῶν, erronum atque vagantium, qui propter motum aſſiduum & fluctuum verbera carnem acquirunt ſolidiorem: & hi ſunt quos ex Celſo voco *curſu nimium duros*. Ariſtoteles 8. de hiſt. animal. capit. 13. vagos illos piſces ſaxatiles agnoſcit quoque, ſcribens ſaxatile genus eſſe in genere littoralium, quaſi diceret ſaxatiles quoſdam piſces eſſe qui perpetuo non degerent in petroſis promontoris, ſed per vices verſus littora vagarentur. Hanc ſaxatilium diviſionem admiſit nobiſcum Hieronymus Tamburinus capite primo, quod premiſit libris de Piſcibus Ulyſſis Aldrovandi, quos poſt mortem in lucem emiſit. Atque ab illa diviſione colligimus primò ex ſaxatilibus alios eſſe teneræ & mollis carnis, alios vero carnis duræ quemadmodum ipſemet Celſus innuit capit. 18.

ejuſdem libri, ubi ſaxatiles quoſdam piſces nominat, *qui*, inquit, *quamvis teneriores, duri tamen ſunt.* Secundò, ſaxatiles molles & teneros boni eſſe ſucci, teneros vero, ſed duros mali ac pravi, de hiſque Celſum audiendum, non de illis qui omnium conſenſu & experientia teſte ευχυμοι ſunt.

Reſtant terreſtres piſces quos *foßiles* diximus appellari. Id Ariſtoteles retulit libr. de mirabilibus & libr. de reſpiratione capit. 9. confirmavit Theophraſtus libr. de piſcibus, Plinius aſſenſus eſt libro nono capite quinquageſimo ſeptimo; ſubſcripſerunt Strabo libr. 4. & 12. Geog. Athenęus libro 8. Ælianus libr. 10. Pomponius Mela libro ſecundo; Seneca libr. 3. naturali quęſt. & ex recentioribus Simon Majolus opere de diebus caniculatibus colloquio 9. de piſcibus, Maſſarius & Dalechampius in capit. 57. libr. 9. Plinii, Rondeletius, Aldrovandus, Guillandinus de Papyro, & Licetus libr. 4. de ſpontaneo vivent. ortu, ne plures recenſeam. Cujuſmodi autem illi ſint ſucci, nemo definivit. Ariſtoteles quidem libr. de mirabilibus capit. 71. ait *in Paphlagonia piſces inveniri defoſſos locis profundis, qui ſint virtute praſtantes*: quod confirmatur à Theophraſto, & à Plinio, qui eos piſces cibos gratiſſimos aſſerit. Pręterea narrat Ælianus libr. 10. capit. 44. apud Ægyptios fieri piſcium illic meſſem, ubi arationes fiebant, id eſt terrenos piſces tanta multitudine in Ægypto reperiri, ut eorum fiat quaſi meſſis, iis enim velut ad eſum aptis Ægyptii urebantur. Veruntamen Geog. Agricola lib. de animal. ſubterraneis ſcribit piſces foſſiles duram nec admodum jucundam guſtu habere carnem, refertque ex

Terreſtres piſces.

Seneca in Caria circa Idimum urbem piſces qui una cum aqua ex terra exiliiſſent, tam pravos & exitiales fuiſſe, ut quicunque illos ederant omnino perierint. Quapropter conſulo ab illis omnibus piſcibus prorſus abſtinendum, cum impoſſibile ſit aliquid ſanum ac temperatum eſſe, quod contra naturam in loco minime proprio ac convenienti retinetur. Nemo vero eſt qui neſciat piſces in terra degentes extra locum ſuum naturalem eſſe.

Aliæ differentiæ à loco.

Porro licet quatuor illæ piſcium differentiæ à *loco* deſumptæ, pręcipuæ ſint ac velut unicæ: attamen nonnullæ aliæ velut miſtæ ſuperſunt, à quibus bonitas vel pravitas piſcium deſumitur. Sic piſces qui modo mare, modo dulces fluviorum aquas incolunt, ποταμοθαλάττιοι dicuntur, mediæ naturæ inter marinos & fluviatiles, ex quibus quidem qui relicto mari dulces fluviorum aquas ſubeunt ἀνάδρομοι, qui vero ex fluminibus ad mare deſcendunt κατάδρομοι appellantur. Sunt autem hi piſces meliores quidem fluvialibus, ſed marinis inferiores, ut colligere licet ex Galen. libr. 3. de alim. facult. capit. 24. At vero qui ex mari in lacus aſcendunt, λιμνοθαλάττιοι nuncupantur, mediæ quodammodo habentur naturæ inter fluviatiles puros & fluviatiles marinos. Pręterea qui flumina ſimul & lacus frequentant, λιμνοπόταμοι dicti, deteriores ſunt fluviatilibus, ſed potiores lacuſtribus. Tandem nonnulli ſunt ἀμφίβιοι qui in aquis partim, partim in terra degunt, quos ad ſanitatis tutelam vix probo, propter cibi & motus varietatem quibus utuntur.

Nota.

Sunt autem hic duo animadvertenda. Primum, piſces marinos qui in mari vivunt ventorum procellis agitato, & ad boream ſpectante, carnem habere

bere omnium optimam: cum enim exercitationes, ut loquitur Gal. 3. de alim. facult. proprie non parum ad ſucci probitatem omni animanti conferant, puritas adhuc venti borealis qui aqueæ miſcetur ſubſtantiæ, ipſorum bonitatem auget. Alterum eſt piſces ejuſdem generis & ſpeciei non eſſe ubique ejuſdem bonitatis vel malitiæ, ſed differentiam obtinere pro ſalubritate, vel inſalubritate loci in quo vivunt. Sic nonnulli piſces meliores ſunt in mari mediterraneo, quam in Oceano & contra, quidam meliores in Ligeri quam in Sequana, rurſum nonnulli in Benaco lacu pręſtantiores quam in Lemano; ſed has particulares differentias, ut longum, ſic difficile eſt ad unguem exequi.

Hactenus à loco deſumptas piſcium differentias attulimus, ſequuntur quæ à ſubſtantia peti ſolent. Subſtantia autem piſcium ex Galeno capit. 8. libr. de atten. vict. rat. quadruplex eſt: *dura*, *mollis*, *lenta*, *friabilis*. Piſces *duræ carnis* improbantur, maxime vero ſi *lenta* quoque fuerit, tales enim piſces omnium deterrimi; laudantur illi qui ſunt *mollis*, ſeu teneræ carnis, præſtantiſſimique habentur qui *teneram* carnem ſimul & *friabilem* obtinuere. Mediæ naturæ ſunt qui *friabilem* carnem habent, ſed non *mollem*, quales ſunt mulli. Atque ex hac regula explicari poteſt noſtrum hoc caput, in quo Salernitani ex duris piſcibus juniores & parvos præferunt, ex mollibus ſeniores & magnos. Qui enim duram carnem habent exercitio & ætate duriores evadunt, ſumendi itaque dum parvi ſunt, quia tum plus mollitiei obtinent ac teneritudinis: Qui vero molliores ſunt, ætate prima mucoſam aliquo pacto carnem ob-

tinent, ab iis ergo abſtinendum, donec augmentum ſumpſerint, motu enim & ętate mucoſa illa humiditas abſumitur, remanetque caro quidem tenera, ſed non excrementitia; ſicca, ſed non dura.

Differentiæ ab ætate.

Non eſt autem quod quis exiſtimet ſe poſſe, quoad *ætatem* certum quid definire de piſcium facultatibus, aut cum Ariſtotele libr. 8. hiſt. animal. capit. 30. ſtatuere deteriores omnes ſenectute fieri, vel cum Xenocrate aſſerere, omnes parvos & juniores piſces facilius coqui & digeri: qui enim, ut diximus, duriori ſunt carne, meliores ſunt ætate prima; qui molliori, pręſtantiores in ſenio. Attamen non refragarer Cornelio Celſo quoad piſces boni ſucci, affirmanti mediam ętatem quæ nondum ſummam magnitudinem implevit, laudandam ac præ omnibus eligendam eſſe, ut enim piſces illi, nec ob infantiam mucoſi excrementitiique ſunt, ſic nec ob ſenium ſucco ſuo ac carne deſtituti: certum quippe eſt ętate illa ſenili πολὺ συντήκεσθαι τῆς σαρκὸς, *multum carnis abſumi*, ut loquitur Ariſtoteles loco proxime laudato.

Quæ ætas laudanda.

Pisces à pabulo denominati.

Cæterum non recenſeo piſces qui ex alimentorum varietate denominantur χυμοφάγοι, μονοφάγοι, σαρκοφάγοι, ευκοφάγοι, διόζοφοι, πολλυφάγοι, de quibus integro capit. 14. libr. 1. de piſcibus tractat Rondeletius. Sufficiat cum illo annotare ex capit. 11. ejuſdem libri, *piſces qui muco veſcuntur, ſubſtantia eſſe glutinoſa*, ut ſunt anguillæ, tincæ fluviatiles & paluſtres: contra *qui radices, herbas, aliaque ſicciora temperatiorave pabula depaſcuntur*, quod omnes fere ſaxatiles faciunt, *non glutinoſa, ſed friabili molliqúe & temperata carne præditos: alios duriore ſiccioreve*, quales Sar-

cophagi: *alios media quadam inter eos ſubſtantia*, ut eſt lupus, aſellus: *cæteros denique alia atque alia ſubſtantia, pro ratione pabuli quo utuntur: quæ enim intus ſumuntur continuo appulſu adhæſioneque qualia ipſa ſunt, talia efficiunt corpora quæ nutriunt:* Cætera repete ex Geſnero, Aldrovando, Bellonio, Salviano, Paulo Jovio, Maſſario, Nonno, Rondeletio, Bruyerino, & iis qui de tuenda valetudine ſcripſerunt. Sed & nonnulla habentur in commentario proximi capitis, quæ tu velut aliena huc transferre potes.

De quibuſdam Piſcibus particulatim.

Cap. LXIX.

Lucius & Perca, & Saxatilis, Albula, Tinca Gornus, Playïti & cum Carpa, Galbio, Trutta.

Hic decem recenſentur piſces, quorum alimentum hominum corporibus ſaluberrimum eſſe putatur.

Primus, Lucius eſt, piſcis vulgo notus, qui quod non modo in alterius, ſed ſuæ etiam ſpeciei piſces graſſetur, tyranni appellationem vulgato verſiculo ſortitus eſt. Lucius.

Lucius eſt piſcis, rex atque tyrannus aquarum.

Natatu velox ac duræ carnis eſt, ſed omnium Medicorum judicio, εὐπέπτος atque optimi ſucci.

Secundus, Perca: qui branchiis ſubrufus eſt; Perca.
dorſo ſpinis armatus, unde ἀκανθοστεφῆ εἶ) κ) ποικι-

λόχγοα, ex Ariſtotele Athenęus ſcribit, lib. δειπνοσοφ. 7. Duræ quoque carnis eſt, & vulgo cognitus. Porro alimentum quod ex eo ſumitur, non modo ad coquendum eſt facile, ſed guſtui etiam gratum, atque hominum corporibus ſaluberrimum, ut quod ſanguinem medium conſiſtentia generet, ut ſupra dictum. Unde maximo in precio hic piſcis ſemper eſt habitus. Auſonius in Moſella ſic de eo canit:

Nec te delicias menſarum Perca ſilebo,
Amnigenos inter piſces æquande marinis.

Quanquam certe τὸ πέρκη antiquiſſimis etiam Grecorum uſitatum ſit, reperiuntur tamen quibus per ἀντίφρασιν quod nulli piſcium parcat, à parcendo ſic dictus eſſe videatur: ut qui iratus alios piſces pinnis ſuis, quas ſupra dorſum habet vulneret. Qua ratione à Lucio quoque immunis eſt: imo, ut Albertus refert, naturalis quędam Lucio cum Perca amicitia eſt. Lęſus enim Lucius non tam facile à quovis alio piſcium ſanatur, quam à Perca.

Solum igitur liquidis Percam laceratus in undis
Veſtigat, luſtrans ſolam hanc medicamina poſcit.

Qui ſic inventus vulnera ejus tangendo lenit atque ſanat.

Saxatilis. *Tertius*, Saxatilis: quo quidem nomine piſcis à nonnullis hoc loco accipitur ex eorum numero, qui parvi perpetuo manent: cujus alimentum, licet ſquammis careat, ad voluptatem, coctionem ſimul ac diſtributionem & ſucci bonitatem pręſtantiſſimum eſt. Multos tamen invenias quibus
Saxaulis. Saxaulus potius ſive Saxaulis hic legendum eſſe videatur, ut hoc nomine ex planorum piſcium

genere eum intellegamus, qui βούγλωττος καὶ βλεύγλωσσος à Græcis dictus, hodie γλῶσσα nuncupatur à Varrone & Plauto lingulaca, à linguæ figura, quę Gręcis est γλῶττα, cui βου particula addita est, ut magnitudinem potius quam bubulæ lingue figuram significet. A Plin. Solea, itemque ab Ovid. in Halieutico:

> Fulgentes Soleæ candore, & concolor illis
> Passer.

A figura Soleæ quæ solo pedis subjicitur. Hic vero inter marinos pisces alimenti est haudquaquam contemnendi, Galenus libro tertio de aliment. facultat. capit. 29. similes quodammodo inter se Passerem & Soleam scribit, non tamen omnino ejusdem esse speciei: Soleam enim molliorem esse, ciboque suaviorem, ac in totum Passere præstantiorem. Suavitate quidem, alimenti copia, succi bonitate Solea pręstantior est: at carne duriore solidioreque esse experientia sensusque convincunt. Plura Guillelmus Rondeletius libr. 11. capit. 11. de piscibus marinis.

Quartus, Albica, qui & ipse marinus reponendus in numerum sale conditorum, & in fumo deinde vel in aëre exsiccatorum, qui deinde baculo ante cocturam contunduntur. Albica autem ex eo dictus videtur, quod molli, humida atque candida admodum sit carne, Italis Mollo à carnis mollitie, Gallis *merlus*. Asellus est veterum, vel ei omnino cognatus ex Gesneri sententia, & pro bono gratoque cibo habetur. Albica.

Quintus, Tinca vel Tencha: piscis aquæ dulcis notus pelle lubrica, mucosa, ad nigredinem Tencha Tinca.

tendente, ac carne dura: unde ab his tribus, nempe lucio, perca & tinca post coctionem pellis auferri solet. Auson. in Mosell. vulgi solatium vocat, quod pauperibus tantum apponatur. Excrementitius est, & totus lutosus.

Gornus. *Sextus*, Gornus, gornatus, sive gurnadus: piscis marinus albus; atque minimus, medii digiti longitudinem non excedens, una cum capite ac spinis manditur.

Plagitia. *Septimus*, plagitia: piscis marinus planorum generi subjiciendus, rhombo figura similis, sed contractior, lingulaca latior. Hic piscis supina parte albicat, prona fuscus est & terrei coloris, instar passerum avium, unde à Latinis passer etiam dicitur, à Græcis ψῆττα. Guillelmus Rondeletius lib. 11. c. 7.

Carpa. *Octavus*, Carpa, sive Carpio: Cyprinus quorundam opinione: piscis fluviatilis notus; squamosus. Hujus caro excrementitia est ac mucosa, quare à magnatibus in vino decoquitur. Ita namque multo quam ante prestantior evadit: quicquid enim mucosum aut virosum gustu refert, id totum deponit.

Galbio. *Nonus*, Galbio: piscis marinus notus, cartilagineus, corpore tenui & in amplissimas alas expanso, Raia Latine dicitur, & à quibusdam Rochetus sive rochus, à Græcis βάτος καὶ βατὶς, à rubi, quem βάτον vocant similitudine. Quemadmodum enim spinosus est aculeatusque rubus, ita Raia omnis aculeis aspera non quidem toto corpore, sunt enim λειόβατοι, id est, læves raiæ, quibus nulli sunt in corpore aculei: sed sive leves sint raiæ, sive asperæ, omnes uncos aculeos in cauda gestant, sicuti in rubo, cinosbato & rosis cernuntur. Piscis est duræ carnis,

concoctu difficilis, ſed alimenti firmi & ſani. Vide Guillelmum Rondeletium libro duodecimo capite tertio. Nonnulli Galbionem referunt in baculo contundi ſolitorum piſcium claſſem, ut eum hoc nomine intelligamus, qui & ipſe duræ carnis eſt ac ſanus Alii textus habent Gobio, de quo Galenus libr. 3. de aliment. facult. capit. 28. Gobio, inquit, littoralis eſt è piſcium eorum numero, qui parvi perpetuo manent, ſuaviſſimus ac concoctu facillimus; ſimulque ad diſtributionem & ſucci bonitatem optime comparatus. Gallice *Goujon*.

Decimus, Truta: Hic omnium qui in dulcibus aquis generantur piſcium æquali cunctarum gentium judicio longe nobiliſſimus habetur. Varius admodum eſt, purpureis guttis ſive maculis totum dorſum ſpecioſe pingentibus, carne interius rubra, quemadmodum in ſalmone etiam conſpicitur ut proculdubio is piſcis ſit, qui Auſonio in Moſella Salar vocatur, cum dicit.

Purpureiſque Salar ſtellatus tergora guttis.

Celebratur apud homines, tanquam voluptate cibos reliquos ſuperet: Carnem habet valde friabilem, ut in qua nihil neque lentoris neque pinguedinis inſit; quo fit ut alimentum quod ex eo ſumitur: hominum etiam corporibus ſaluberrimum eſſe cenſeatur. Huc quod ad ſucci bonitatem attinet, aſchiæ etiam & auratæ referendi ſunt. Porro Truta Gallicum eſt: nam vulgo *Truitte* vocant, Verum hactenus ſingulatim de piſcibus: nunc generatim etiam atque univerſe nonnihil de præſtantia ipſorum dicemus.

Sciendum igitur imprimis, alimentum quod

Pisciũ electio. ex piscibus provenit, quemadmodum ad ipsum libr. 3. capit. 25. de aliment. facult. Galenus attestatur, sanguinem gignere consistentia tenuiorem quam quod ex pedestribus animalibus sumitur, adeo ut non affluenter nutriat, & celerius discutiatur; magis tamen excrementitium est. Phlegmatici enim, id est, frigidioris humidiorisque temperamenti sunt pisces. Ob eandem tamen causam quidam ipsos concoctu difficiles esse ac tardi transitus censuerunt: quippe ratione frigiditatis lenti etiam sunt, atque diutius ob id ventriculo immorantur, & concoctioni repugnant: quo fit ut sępius corrumpantur, & putrescendo sitim generent; Carnium itaque laudabilium alimentum hoc nomine, quam piscium salubrius est.

Secundo vero, hoc etiam sciendum: nempe pelagicos, id est, marinos (modo cæteræ bonæ notæ consentiant) in victus salubris ratione quam qui in aquis dulcibus nati sunt, esse meliores. Alimentum enim quod præstant, minus excrementitium est, & carnium naturæ propinquius. At vero cum pelagici (cæteris paribus) quam fluviatiles sint carne duriore, consentaneum est eosdem difficilius etiam concoqui & resolvi, ac magis nutrire, sanguinemque gignere puriorem. Ægris tamen ob concoctricis facultatis imbecillitatem fluviatiles accommodatiores sunt.

Tertio sciendum, ex piscibus tam marinis, quam fluviatilibus eligendos esse, qui carne sint minimum mucosa aut lenta, sed alba, suavi, subtili, friabili, odorata, quæ tarde putrescat: & qui non degunt in paludibus lacubusque, atque id genus locis limosis ac sordidis, nec in aquis limosas her-

bas & mali ſucci radices habentibus. Peſſimam enim habent carnem qui in ejuſmodi locis degunt.

Eligendi vero non admodum juvenes, neque prægrandes, neque pinguedine multa reſperſi, ſed ut in ſuo genere carnoſi, & celerrimi curſus.

Ex marinis præſtantiores habentur, qui in fluminibus longius à mari diſtantibus capiuntur, utique ſi cæteræ laudabilium piſcium notæ non abfuerint. Iiſdem quoque notis conſentientibus, quanto ſpinis adnatis ac ſquāmis horridiores fuerunt, tanto prȩſtantiores etiam eſſe par eſt. Spinarum enim & ſquāmarum multitudo ſubſtantiæ puritatem arguit. Prȩterea optimi ſunt ex pelagicis, qui vivunt in mari puro ac profundiore, ventorumqne procellis magis agitato, & quod fluvios multos & magnos excipit. Quare in mari Pontico & Baltico nutriti iis prȩſtant, qui in mortuo ſive Meridionali capiuntur.

Eorum autem qui in fluviis gignuntur, ſalubriores ſunt qui in iis gignuntur, in quibus aqua rapide defluit, ac copioſa eſt. Ex quibus jam dictis liquido conſtat, qui piſcium probi malive cenſeri debeant.

Cetacei enim ac beſtiales; cujuſmodi porcus & canis marinus, delphinus, & morhua potiſſimum habentur, cum laudabilium piſcium notis, nimirum albedine, ſubtilitate, ac friabilitate careant, in cibo ſunt prorſus injucundi, & ad coquendum difficiles: exiguumque boni quidem alimenti: excrementi autem plurimum reddunt, & prȩſertim recentes. Quare mirum non eſt, ſi pravum ſuccum in eorum corporibus qui quotidie illis veſcuntur, congerant. Attamen eos ſi quando meliorum non ſuppetente copia, edere

cogamur, magnopere cavendum, ne illico à captu ingerantur, ſed ſervandi ſunt per dies aliquot, dum caro eorum molleſcat, adeoque citra ſubſtantiæ corruptionem tenereſcat. Id quod fieri ſolet, ubi leviter ſale conſperſi fuerint: quomodo ſapidiores etiam ac multo quam ante prꝰſtantiores evadere, libro tertio de aliment. facult. capite vigeſimo quarto & quadrageſimo Galenus auctor eſt. Quicquid enim mucoſum aut vitioſum guſtu referunt, id totum deponunt.

Ex piſcibus marinis Raia & Gornus in laudabilium claſſe cenſentur, carnem enim habent conſiſtentia puriſſimam. Deinde vero Paſſer & Solea, quorũ tamen caro lentior eſt, minuſque tum alba, tum friabilis, & craſſior, ſapore etiam atque odore minus commendabilis. Merlango tamen, ſive merlano, ἀφ ύλω Grꝰci vocant, ſecundus forte à Raia deberetur locus: minore enim participat craſſitie ac lentore, quam paſſer & ſolea, & ſubſtantia utcunque friabilis eſt: ſed ſi odorem, ſaporem, calorem, ſubſtantiæ puritatem & mollitiem ſpectes, bonitate nonnihil è gorno ac raia deficere videbitur, idem de harengo judicium eſt. Morhua juvenis bonitate prædictis ſatis propinquat, ſed ſi diligentius ad præſcriptas laudabilium piſcium notas exigatur, craſſior multo atque lentior invenietur. Salmones autem, rhombi (vulgo Gallorum turboti) ſcombri, vulgo maquerelli ſive macrelli, longè à reliquis bonitate deficiunt: ſunt enim multo craſſiores, magiſque lenti, & concoctũ difficiliores, neque competunt niſi vehementiore exercitio fatigatis, robuſtis ac juvenibus; idque magis etiam ſi quid ſalſedinis ipſis commiſceatur, quo lentor, craſſities, & frigiditas eorum remittantur ac corrigantur.

Ex piſcibus autem aquæ dulcis, Lucius & Perca mediocres laudatiſſimi ſunt, prẹſertim ſi prẹter dictas bonitatis notas pinguedinis non omnino expertes fuerint. Secundum poſt illum locum obtinet Vendoſia: carnem tamen habet non perinde albam, ſubtilem & friabilem, ſẹpiuſque in ſtagnis quam fluviis reperitur.

Illud porro ſummatim noſſe etiam expedit, quod piſces fluviatiles, modo cætera conſentiant, tum ad bonos humores gignendos, tum etiam ad guſtus ipſius voluptatem cẹteris multo ſint prẹſtantiores, ſi in aqua profunda, petroſa aut aſpera ad Boream ſpectante, ac rapide fluente degant: præſertim ſi urbis alicujus ampliſſimæ latrinarum, balneorum, culinarumque loturæ & purgamenta in illam non defluant, neque veſtes & alia ejuſdem generis in ea abluantur. Multo vero magis, ſi præterea & herbarum ac bonarum radicum copia abundet. Cancri vero tam marini quam fluviatiles, ſicuti l. 3. de aliment. facult. cap. 33. à Galeno traditur, dura in totum carne conſtant, ideoque & ad coquendum ſunt difficiles, & firmi alimenti, ægre tamen in ventriculo corrumpuntur.

In piſcibus quoque id communiter memoria tenere oportet, quod recentes valde nutriant & humectent, mammas lacte repleant, ſemen prolificum ſuppeditent, adeoque venerem excitent, & bilioſis corporibus ſint accommodatiſſimi. Cẹterum abſtinendum ab ipſorum eſu poſtquamlibet actionem fortem ac vehementem: qui namque id temporis ingeruntur, eos & male concoqui, & dum in jecur ac venas diſtribuuntur, ſuccum generare crudum, qui non facile in probum ſanguinem mutetur, à ratione alienum non eſt.

Pręterea vero cum hæc ipſorum etiam natura ſit, ut tardius pertranſeant, cura non minima adhibenda eſt, ne in ventriculum incidant debilem aut pravis ſuccis vitiatum, quippe qui tum non belle concoquantur, & facilius fere una cum aliis in ventriculo exiſtentibus corrumpantur. Neque item una cum carnibus, aut lacticiniis, neque ſummo poſt alios cibos loco, ſi quid Avicennæ credimus, edendi ſunt.

Poſtremo vero hoc etiam ſciendum, quod craſſioris ſucci piſces infra mediocritatem ſaliti recentibus ſint pręferendi. Verum recens ſaliti Galeno lib. 3. de aliment. facultat. cap. 24. teſte jam diu ſalitis ſunt meliores: piſces etiam laudabiles exiguo ſale conſperſi atque moderate ſumpti, appetentiam, ſi quis eis delectetur, revocant, & roborant.

Animadverſio.

EX univerſo piſcium grege quos Plinius libro trigeſimo ſecundo ad centum ſexaginta ſex computavit, demptis Ovidianis ab illo auctore non nominatis; quoſque ad duo millia in adventitia cœna Lucius Vitellius fratri Imperatori appoſuiſſe dicitur à Suetonio, quorumque innumera eſſe genera profitetur Divus Ambroſius capite tertio libri quinti hexam. hos paucos velut vulgares & frequenter in eſum venientes enumerarunt Salernitani, idque indiſcriminatim non ſeparatis marinis à fluviatilibus, nec à paluſtribus lacuſtres.

Lucius. Primus autem non dignitate aut præſtantia, ſed cognitione & frequentia occurrit, *Lucius*,

quem ignoranter cum lupo confundunt Simon Jenuensis & Franciscus Philelphus libro trigesimo epistola vigesima septima, proindeque inepte ἀπὸ τοῦ λύκου, id est *à lupo*, deducunt; cum potius *à lucendo* dictus sit *Lucius*, quod noctu luceat, vel à *luto* Lutius, quod dorsum illi ex subflavo nigrescat, à quo lineæ plurimæ latæ, flavæ & conspicuæ deducuntur. Sed fortasse satius erit *Luteum* appellare à *luto*, hoc est cœno, quo gaudet, ex quo forsan locus Ausonii in Mosella explicari potest, sic vero se habet. Ausonius explicatus.

> Hic etiam latio risus prænomine, cultor
> Stagnorum queralis vis infestissima ranis;
> Lucius obscuras ulva cœnoque lacunas
> Obsidet.

Significat Ausonius Lucium sic dictum à Latiuis per risum, quasi à luce sic denominatus sit, quemadmodum pręnomen hoc Lucius datum est iis qui ipsa luce nati sunt, cum revera lutius appellari debeat à luto, ut pote qui

> ——— obscuras ulva cœnoque lacunas
> Obsideat.

Is piscis Græcis olim ignotus, & à nemine descriptus, magnæ est apud Gallos gloriæ; maxime cum insigni est magnitudine, quæ tanta aliquando est, ut viginti ac vigintiquinque sit librarum. Hinc solet vulgari sermone circunferri eligendum esse Lucium sine Tono, & Cyprinum sine aqua, hoc est non probari Lucios & juniores & exiguos qui dicuntur *Brochetons*, nec infantes ac exiles cyprinos qui appellantur *Carpeaux*. Sapiunt quidem palato Lucii nostri, sed ingratos esse narrant Italicos. Solitus erat dicere Pogius homo exquisiti gustus, Lucio etiam ex Ci-

mino lacu eique pręgingui, nullam unquam inesse gratiam nisi cum solus in maxima connivarum inedia apponeretur, quemadmodum refert Paulus Jovius c. 4. de piscibus. Ansonii certe tempore popinarum fuit esus, non cœnarum nobilium.

——— Hic nullos mensarum lectus ad usus
Fervet fumosis olido nidore popinis.

Quapropter in Italia non venit in mensam nisi marinorum piscium inopia, idque etiam ad honestandam potius patinam, quam ad convivas eo edulio conciliandos. Nec vero eis credendum est Medicis, qui saluberrimum omnium piscium contendunt: est enim duræ carnis coctuque difficilis, non teneræ ac friabilis. Ejus tamen esu si quis delectetur, fluviatilem potius minus pinguem & grandem, quam lacustrem vel grandem & obesum eligat: lacustres enim cœno & ranis delectantur, minusque corpus exercent. Mirum quod de Lucio viri probatæ fidei tradunt. *Anglia*, inquit Goclenius libro de vita proroganda *præcipua nobilitatis ostentat, ventribusque eorum cultro apertis sevum pingueque vendentes ementibus ostendunt, & si non emantur (mirum dictu) in aquas eos rursum conjiciunt, nec intereunt, sed vulnus celerrime coalescit, quod quidam tincarum contactui adscribunt: tinca enim glutinosa admodum est: alii rectius eam vim iis inesse à natura affirmant, inventum enim est interranei Lucii coagulari lac, ac glaciari æquè ac coagulo.* Tantum ille. Vide Cardanum, Gesnerum, Aldrovandum Jovium.

Caro Lucii.

Perca.

Alter piscis est *Perca*, sic dicta à Græco πέρκη, vel περκὶς ob colorem quem vocant περκὸν & πέρκον, is autem color aut niger est, aut nigris distinctus maculis, quo sensu Hesychius περκώματα

exponit τὰ ἐπὶ τῦ προσώπε ποικιλμάτα, id eſt, *faciei maculas*. Huc quoque verbum περκάζειν, quod eſt nigreſcere, defluxit, quo uſus eſt Callimachus, Philo, & Siracides; quemadmodum obſervat Ritteushuſius ad librum primum halieut. Oppiani Eſt vero Perca duplex: marina & fluviatilis. *Illa* inter ſaxatiles enumerata à Dioſcorid. Ariſtot. Galeno; dicitur eſſe à Diphilo Siphnio apud Athen. libr. 8. ἁπαλώτατος, ἀβρόμος, καὶ εὔθαρτος, id eſt, *tenera, minime viroſa, coctu facilis*, ſic enim ut ſupra τὸ εὔφθαρτον expono, nec enim credibile eſt voluiſſe Diphilum, piſcem hunc ſaxatilem qui ab omnibus Medicis boni ſucci & facilis coctionis perhibetur, eſſe facilem corruptu. Reclamat enim Galenus libr. 3. de aliment. facult. capite 28. *Scarum*, inquit, *Merulam, Turdum, Iuliam, Fucam, Percam à locis in quibus verſari comperiuntur piſces ſaxatiles appellant. Inter hos autem ſcarus excellere ſuavitate creditur, ſecundum hunc Merulæ ac Turdi: Tertio loco Iuliæ, Fucæ ac Percæ. Porro alimentum quod ex iis ſumitur non modo ad coquendum eſt facile, ſed hominum etiam corporibus eſt ſaluberrimum, ut quod ſanguinem medium conſiſtentia generet.* Percam Matronparodus atticam cœnam deſcribens apud Athen. libr. 4. δειπν. vocavit αἰθεόχροα, *florida cute piſcem*; Ariſtoteles γραμμοποίκιλον *variegatum*, πλαγίαις τε ταῖς ῥάβδοις κεχρημένον *variiſque lineis ac obliquis* notatum. Mirum autem eſt inſuavem eſſe percam nec ſaporis gratia valere, cum ſit ſalubris, ſapida tamen redditur, ſi farina conſperſa in ſartagine frigatur, vel in craticula aſſetur.

Fluviatilis Perca longè deterior eſt marina,

ſed multo ſuavior. Idcirco cecinit Anſonius in Moſella.

> Nec te delitias menſarum Perca ſilebo
> Amnigeros inter piſces dignande marinis
> Solus puniceis facilis contendere Mullis:
> Nam neque guſtus iners, ſolidoque in corpore partes
> Sequentis coëunt, ſed diſſociantur ariſtis.

Non eſt tamen ea inſalubris, *nam etſi friabilem carnem non habeat* (inquit Salvianus) *cum tenera tamen ſit, neque difficilis eſt concoctu, neque mali ſucci.* Ubi ergo ſaxatilium penuria eſt, citra noxam à valetudinariis edi poterit, ſi pręſertim è fluviis aut lacubus majoribus ac purioribus petatur. Nonnulli referunt ex D. Ambroſio in hexam. percam imminente periculo aperire guttur quod amplum habet, & ſuos fœtus abſcondere, ſed nec ego hoc apud D. Ambroſ. inter legendnm deprehendi, nec ipſe Aldrovandus proprietatis illius meminit.

Saxaulis. Tertius piſcis eſt *Saxaulis* qui è genere eſt τῶν σαυτάλων, ſeu ut loquitur Marcellus Sidetes fragmento de piſcibus τῶν ἐκταδίων, hoc eſt *planorum* piſcium delicatiorum: ejuſcemodi enim piſces vocas Matronparodus τὰ σανδάλα ἀθανάθων· *Deorum immortalium ſandala*, alluſione facta ad calceamenti genus quod vocatar σανδάλιον diſtinctum ἀπὸ τοῦ ὑποδήματος quemadmodum apud latinos ſolea à calceo: de qua re vide quæ annotavit doctiſſimus Salmaſius ad Tertulliani librum de pallio. Idcirco latini vim Græci nominis exprimentes *ſaxaulem* dixerunt *Soleam*, à figura nimirum ſoleæ quæ ſolis pedis ſubjicitur. Græci à linguæ ſimilitudine quam piſcis ille exprimit

primit, γλῶτταν dixerunt; & additione particulæ, βὲ πᾶσιν denotantis, βούγλωτταν nonnulli ex Varrone lingulacam reddunt. Magnæ est Solea marina apud omnes gloriæ, tantęque suavitatis ut Perdix marina vulgo nuncupetur. Aliquot quidem Solearum differentias exponit Rondeletius; sed unam curamus marinam eamque saxatilem, quam passere molliorem ciboque suaviorem agnovit Galenus libr. 3. de aliment. facult. cap. 29. Athenęus libr. 8. vocat, εὔχυλον καὶ ἡδεῖαν. Carne esse dura post Xenocratem affirmat Rondelitius ac etiam nonnihil glutinosa, *quæ ob id*, inquit, *difficile corrumpitur, diutius servatur; neque longa vectura putrescit, imo melior efficitur & salubrior.* Id verissimum esse judicabunt ii qui diligentius omnia expendunt, quibusque sapit palatum. Hinc fit ut Lutetiæ sapidiores melioresque sint quam in ipso littore. Nam caro omnis calore externo primum tenerescit, ejusque sapor ille dilatus, & ut ita dicam ferè insipidus, acrimoniam quamdam ingratam acquirit, postremo putrescit, molestaque acrimonia linguam palatumque torquet. Licet autem dura sit caro, tamen delicatissima est, alba, firma, boni saporis & facilis concoctionis. Alexander Petronius libr. 3. de victu Pop. Rom. probari eam hyeme narrat, & frixam laudat aurancii mali succo pipereque conspersam, additque leviter nutrire, facile coqui, in secundis venarum & jecinoris digestionibus nulla fermè noxiarum superfluitatum excrementa relinquere, quod transcripsit ad verbum ex capit. 26. Jovii. Qui quidem ex ingenioso circa popinales delitias nobili comparat Rhombum cum Phasiano, soleam cum externa ave, lampetram cum cotur-

nice, lupum cum altili capo, ſturionem cum pavone. Bugloſſum impoſitum ſpleni, & faſcia alligatum naturali quodam modo eum imminuere, ſi poſt tres dies ad fumum ſuſpendatur, credidit Kiramides inepta prorſus ac ſuperſtitioſa obſervatione.

Quartus piſcis ſi vulgarem lectionem retineamus *Morüa* noſtra erit, ſi vero vel *Albica*, vel *Albula* legatur, longè diverſus ab ea erit. Ut ut ſit non eſt nec Albica nec Albula inter piſces ſalubres bonique ſucci enumeranda. *Albica* quidem Aſellorum ſpecies eſt, quæ à Gallis *Merlucius* & *Molüa* appellatur. Aſellus quidem apud veteres ὀνίσκος Græcis dictus, poſt Accipenſerem nobiliſſimus fuit piſcium, optimi ille alimenti nec injucundi ſaporis ex Galen. libr. 3. de aliment. facult. Non ubique tamen ſibi Galenus conſentit; modo enim non minus laudandum ipſum quam ſaxatiles prędicat, modo vero non æquè ac ſaxatilium caro, friabilem: frequenti autem eſt apud nos in uſu *Merlucius* tum toto quadrageſimali tempore, tum reliquis anni diebus aſarcis. Saliri autem conſuevit & ad nos advehi partim ex Molucis ut vocant inſulis, partim ex mari Scotico, ubi copioſus eſt; ſed quam ex Molucis minor. Recens autem ſuaviſſimus eſt & pinguiſſimus, quod expertus ſum in illo mari: frequentem enim eum illic vidimus & hamo captum eſitavimus: intra namque horam unam aut alteram dum placidum ſtaret mare penè octoginta piſcati ſumus, eos exciſa è dorſo ſcombri carnis portione allicientes. Recens vero captum piſcem nautæ ſaliunt, ne obeſitate nimia citò corrumpatur: aſſentiorque Rondeletio ſtatuenti meliorem eſſe

Albica

ejus carnem recentem quam ſalitam, licet aliter viris quibuſdam doctis videatur. Salſurâ enim reddi glutinoſam carnem putat tenuis humoris conſumptione. Quemadmodum in farina multa aqua diluta evenire videmus, quæ ſi aliquandiu coquatur, tenuioribus partibus ab igne abſumptis tam ſpiſſa glutinoſaque redditur, ut ea ad multa ferruminanda utamur. Quercetanus in diętetico polyhiſtorico qualitatem iſtius piſcis non noxiam eſſe ſtatuit, ſed quantitatem: idcirco ſobriè aut perquam raro illis utendum ſuadet. *Craſſi enim*, inquit, *ſunt ſucci, viſcidi, duri, ac difficilis concoctionis, valentioribus ventriculis & bitioſis potius quam debilibus & pituitoſis exhibendi.*

Albula vero lacuſtris piſcis aut fluviatilis nomen eſt, quo convenit cum *Alburno* Auſonii quem cum *Tinca* conjungit, quemadmodum Salernitani. Albula.

Quis non & virides vulgi ſolatia Tincas
Norit, & alburnas prædam puerilibus hamis?

Multi quidem piſces ab albo colore denominati ſunt, ſed quod à Geſnero fuſiſſimè exponantur, à me perſtringuntur minimè. Sat ſit monere *albulam* à Gallis *ablettam* vocari, ſolaſque pauperum menſas ingredi, cum vix ulla condiendi ratione ſapiat. Ejus hiſtoriam repete ex Salviano.

Quintus piſcis eſt *Tinca*, quæ ſeu marina ſit ſeu lacuſtris ac fluviatilis in cibo nullomodo commendatur. *Marina* quidem *Phycidis* nomen obtinet apud Rondeletium, vel *Callariæ* apud Salvianum, ineptè tamen Aldrovandi judicio. Ut ut ſit, non eſt eſu ſuavis, ideoque ubique ferè ple- Tinca.

beius & parvi pretii piſcis: carnem habet ſatis mollem, ſed non friabilem, concoctu facilem ſed excrementitiam: frixus aut aſſus minus quam elixus, palato ingratus eſt, ſicuti refert Salvianus hiſtoria octogeſima ſeptima. *Fluviatilis* vero & lacuſtris *Tinca* apud Græcos appellationem non invenit, nomen id ſortita videtur Latinis à maculoſo tergore quaſi *tinctam* dixerimus. Uni veterum Auſonio in Moſella commemorata & appellata *vulgi ſolatium*, tantæ dicitur eſſe pravitatis ut ejus eſus febres inducat. Quapropter magnus fuit eorum ſtupor qui *Tincam* definierunt Medicum omnium piſcium, niſi hoc traducere velimus ad lucios, quorum ut diximus vulnera affrictu tincarum cicatrice obducuntur. Vitæ præterea eſt adeo duræ ut per longitudinem corporis diſſecta, exenterata, in ſartaginem conjecta, & in oleum fervens demerſa, adhuc palpitet, è ſartagine exiliat, quod ſignum eſt viſcoſiſſimæ ejus carnis, duriſſimæ, & coctu contumaciſſimæ.

Lucios ſanat Tinca.

Gornus.

Sextus piſcis barbare vocatur *Gornus* ineptéque à Commentatore deſcribitur tanquam minimus piſcis, cum interdum tres libras exuperet. Gorni autem appellatio à vulgari deſumpta eſt, quæ Gallis eſt *Grenaut*, Germanis *Gornart* vel *Gaernaert*. Hunc piſcem Græci κόκκυγα vocant, Latini *Cuculum* quem nemo melius Bellonio aut diſtinxit aut deſcripſit. Duo enim genera Cuculi agnoſcit, minorem, qui à Gallis *Rouget*, & majorem qui appellatur *Grenaut*; ex quo eos errare conſtat qui majorem cuculum *lyram* eſſe contendunt. Præter magnitudinem duo illi Cuculi diſtinguuntur per pinnas quæ minimo cuculo rubræ ſunt; unde à Numenio apud Athen. libr.

7. ἐρυθρὸς nuncupatur, majori vero cęruleæ; Nigriori præterea cute contegitur major quam minor. Vocalis eſt (quod mireris) piſcis à grunnitu quem dum càpitur edit. *Grenoti* nomen aſſumens quamvis malit Geſnerus à craſſo naſo id nominis derivare. Docet quidem Ariſtoteles ἀφώνους eſſe piſces, nonnullos tamen recenſet libr. 4. de hiſt. animal. capit. 9. vocales, inter quos Cuculum reponit. Piſcis ille uterque ſuaviſſimè editur apud Gallos, carne enim eſt firma, ſolida, ſicca, dura quidem ſed friabili, alba, ſapida, odorata. Piſces vocales.

Septimus piſcis dicitur à Salernitanis *plagitia*, ſeu potens, quemadmodum lego, playitia, hoc enim vocabulum magis exprimit noſtram *plyam* de qua hîc eſt ſermo. Dicitur piſcis ille Græcis ψῆττα generali nomine, ad planos piſces quos Columella libr. 8. capit. 17. nunc *jacentes* nunc *proſtratos* vocat, eos *erectis* opponens. Latinis vocatur *Paſſer*, ſoleæ candore concolor. Plagitia.

> Fulgentes ſoleæ candore, & concolor illi
> Paſſer

ait Ovidius in Halieut. quod nomen illi tributum fuit à paſſere ave, cui ferè aſſimilis eſt ſolo capite excepto. Auſonius epiſtola 1. ad Theonem à figura plana nuncupavit *Plateſſam*.

> ———Lethalis Trigon, molleſque Plateſſæ.

Duas apud nos continet differentias *Paſſer*, eam quæ in majorem molem excreſcit *Plya* dicta, & eam quæ minor eſt, *Carletum* vocant quod ad quadrangulum proximè accedat. Eſt & *paſſer* fluviatilis qui vulgo *flezus* nuncupatur, qui paulo longiore eſt quam paſſer corpore, ac dum

adolevit crassiore. Commendatus olim fuit passer primi generis, atque à Philotimo apud Galenum inter molles pisces & qui facile concoquuntur revocatus: Xenocrates tamen, & Diocles apud Athenæum inter pisces duræ & siccæ carnis eum recensent: Galenus libr. 3. de alim. cap. 29. μαλακοσάρκοις annumerat, inferioremque solea constituit. Trallianus superfluitate eum carere voluit, Simeon Sethi meminit τοῦ ψισίου quem non diffiteor esse passerem: eum vero commendat iis qui de morbo se reficiunt & confirmantur: meliorem autem succum habere quam cæteros pisces & concoqui, licet ipse affirmet, facilè non credo. Psellus quoque libr. 1. de victus ratione ad Constantinum Imperat duobus in locis Psisii meminit, semperque Buglosso conjungit, tribuitque illi succum medium inter bonum & malum, quique attenuandi vim habeat. De *limanda* nostra quæ asper est sive squamosus passer, non est quod aliquid hîc dicam, cum à Salernitanis non commemoretur. Vide Rondeletium lib. 10. cap. 9. & Aldrovandum lib. 2. de piscibus c. 46.

Psisius piscis.

Limanda.

Octava occurrit ordine *Carpa*, quod nomen non tantùm vulgare sed latinum Cassiodoro libro 12. epist. 4. usurpatum: *In principali*, inquit, *convivio hoc profecto decet exquiri, quod visum debeat admirari. Destinet Carpam Danubius, à Rheno veniat Anchorago enormis.* A Latinis tamen veteribus *Cyprinus*, à Græca appellatione κυπρῖνος, vel κυπριανὸς dictus fuit, non satis cognita origine. Nemo autem piscem eum lacustrem ac fluviatilem non novit, auratis magnisque squamis conspicuum, unde à Dorione λεπιδωτὸς nuncupatus est. Eum Ægyptios coluisse

Carpa.

refert Herodotus & inter sacros retulisse, ab ejus proinde esu abstinebant, ut, & ab aliis piscibus propter celeste piscium signum ex Luciano dialogo de Astrologia; frequentissimo vero hodie est in usu apud omnes nationes quibus grandiores atque pinguiores magis commendantur. Paul Jovius capit. 38. troctas centum librarum pondere in Lario lacu inveniri narrat, carpas quas Barbaros vocat ducentarum! easque retibus non capi, sed sagittis arcubalista emissis transfigi. Succi quidem bonitate cedit Cyprinus saxatilibus piscibus, insuavis tamen non est nec insalubris, licet enim flumine sordido ac cœnoso lacu nutriatur, habetur tamen innoxius, quia carnes humidiores obtinet aqueo potius humore quam tenaci dilutas. Laudatur autem maximè qui in rapidis & puris aquis nascitur & vivit. Ejus adipem Kiramides ad venerem excitandam usurpat quod Jovius linguæ tribuit. Carpa sacer piscis.

Nonus piscis est *Galbio*, seu ut nonnulli legunt *Gobio*, uterque enim hîc intelligi potest: cum pisces sint marini & maritimis populis, quales sunt Salernitani, usu frequentes. Et Galbio quidem *Raya* est, licet ejus appellationis rationem ignorem. Vulgaris ea notitiæ & usus quadragesimali præsertim tempore, tantæque fœcunditatis, ut ea nunquam fora nostra careant, etiam in aliorum piscium marinorum inopia: cujus fœcunditatis causam aperuit Rondelet. libr. 12. capit. 4. vilis autem omnino est cibus nec majori in gloria fuisse apud priscos animadverto; cum Dorion cuidam Raïam optimum piscem esse asserenti, non secus quam si quis eli- Galbio. Raia.

xum comederet pallium reſponderit. Et certe Galenus libr. 3. de alim. capit. 36. *Raiam* & *Læviajam* duriores eſſe, & concoctu difficiles adſtruxit; copioſius tamen nutrire quam torpedinem & paſtinacam. Laudatur tamen βάτος ab Eupoli, Epicharmo, & Sannyrione Comicis apud Athen. 7. Deipnoſ. capite nono & à Timocle capite duodecimo. Attamen ſic definit Athenæus libro octavo capite decimo quarto *Raiæ* facultates ut βατὶς quæ pro Raia aſperæ cutis ſumitur, εὔστομος ſit & *ori ſuavis*; λειόβατος vero qui pro Raia lęvem miniméque aſperam cutem habente; δυσκοιλιώτερος καὶ βρωμώδης *alvum difficilius permeet, & virus oleat*; βατὶς vero ἀστερία *ſtellata Raia*, ἁπαλωτέρα καὶ εὔχυλος *tenerior & boni ſucci exiſtat*. In ſummum Mneſitheus apud eundem Athenęum hęc de Raia habet. *Quæ piſcium*, inquit, *genera* δαρτὰ *vocant ſic in univerſum appellantur, quibus cutis innaſcitur aſpera & ſine ſquamvis, quales ſunt Raiæ & ſquatinæ. Si omnes carne molli ſunt & laxa, alimentum corpori humidum præbent, & ex omnibus piſcibus qui elixantur alvum maxime ducunt, cum aſſantur deteriores*. Obſervavimus vectura meliores fieri Raias, quo fit ut non omnino injucundæ ſint apud Pariſienſes, quamvis tetet earum odor in vulgare abierit proverbium.

Gobius. *Gobio* vero, *Gobius*, & *Govius* duplex eſt; maridus & fluviatilis. Ille inter ſquamoſos & ſaxatiles recenſetur, quamvis alius quoque littoralis ſit, alius in ſtagnis marinis degat. Saxatilis aliquo in honore fuit apud Priſcos ut patet ex Anaxandride, Antiphane, & Machone apud Athenæ. Necnon ex Martiali in Xeniis.

In Venetis sint lauta licet convivia terris,
Principium cœnæ Gobius esse solet

Vilissimum tamen fuisse præ *Mullo* indicat Juvenal. saty. 11.

Nec mullum cupias cum sit tibi Gobio tantùm
In loculis.

Mirum autem quod de Gobio tradunt Ælianus & Oppianus : ille lib. 2. cap. 50. de animalib. hic lib. 2. Halieut. illum pungendo venenum, licet non lethale immitere, cum Ovidius adstruxerit eum Innocuum.

Ælianus & Oppianus excusantur.

Lubricus & spina nocuus non Govius ulla.

Excusari possunt Ælianus & Oppianus si eos venenum usurpasse per dolorem dixerimus, quem certum est induci à quacunque punctura. Carnem Gobionum Galenus duriorem carne asellorum, molliorem vero mullorum carne prodidit, mediocremque succum inter crassum & tenuem generare : præstantissimam præterea esse tum ad voluptatem tum ad concoctionem digestionemque & ad probum succum gignendum, quod intelligit de eorum carne qui in arenosis littoribus aut inter saxa vivunt, cæteri enim nec æquè jucundi sunt saporis, neque etiam succum tam bonum prestant. Cætera repete ex Aldrovando.

Cæterum fluviatilem Gobionem agnovit Ausonius in Mosella & descripsit his versibus.

Tu quoque flumineas inter memorande cohortes
Gobio, non major geminis sine pollice palmis
Præpinguis, eres ovipara congestior alvo
Propexique jubas imitatus Gobio Barbi.

Bonitate conferendus non est cum saxatili, carnem enim mollem habet, insipidam, virusque nonnunquam resipientem & cœnum; teste Rondeletio : quamvis Gesnerus si elixetur, solidam fieri,

in ciboque minimé contemnendam astruat. Alter est Gobio fluviatilis à crasso capite *Capitatus* dictus, Gallis *Chabot*, non modo coctu facillimus ut vult Mathiolus, sed etiam ori suavissimus atque gratissimus; pręsertim cum ovis turget, sed cum de marino Gobione solum intelligendi sint Salerlernitani, de fluviatili plura non addo.

Capitatus.

Trutta.

Ultimus piscis superest *Trutta*, seu *Tructa* veteribus Gręcis & Latinis innominata; qui enim ab Aeliano lib. 12. cap. 53. τρώκτης, dicitur *Amia* est Pelagius piscis. Non crediderim tamen tam delicatum & salubrem piscem veteribus ignotum fuisse. Fortasse ille est quem apud Athen. lib. 8. Mnesitheus πυρῶτα, vocat, aut quem Ausonius in Mosella *Salarem*. Truttam nominant D. Ambrosius lib. 5. hexamer. cap. 3. Isidorus Hispal. in Ethymol. Plinius Valerianus lib. 5. de remed. cap. 43. & Gregorius Turonensis de Lemano lacu agens. Est Truttarum multiplex differentia, à loco enim aliæ fluviatiles aliæ lacustres ut quæ *Salmonata* cognominatur: à colore aliæ albę, & minores, aliæ flavæ & majores, aliæ subnigræ quæ seniores: à magnitudine aliæ *Salmonatæ*, quod Salmonibus magnitudine ferè æquales sint, aliæ simpliciter Truttæ. Fluviatiles salubriores existunt, lacustres autem suaviores. Consule Salvianum, & Aldrovandum.

De Anguilla.

Cap. LXX.

Vocibus anguillæ pravæ sunt si comedantur;
Qui Physicen non ignorant hoc testificantur.

Caseus, Anguilla, nimis obsunt si comedantur;
Ni tu sæpe bibas, & rebibendo bibas.

ANguillam vocibus nocere hoc in loco traditur, idque rationibus tum Medicis, tum Philosophicis comprobatur. Limosus enim piscis est, crassique & lenti succi, obstructiones facit, longiusque à memoratis paulo ante probi piscis indiciis recedit: quod Galenus etiam in libro de cibis boni & mali succi cap. 15. in hunc modum scribens attestatur. Anguillæ nunquam boni succi sunt, tametsi puro in humore versentur, nedum in eo qui urbium sordes & purgamenta in se recipit. Idem fere & in lib. de attenuante diæta cap. 6. confirmare videtur: Anguillæ, inquiens, & mollium pars maxima, tametsi carnem habent mollem, quod tamen succo lento & pituitoso abundant, iis qui salubri victus ratione uti volunt, plurimum est noxia. Pari modo de mustellis quoque, quæ vulgato jam nomine lampetræ dicuntur, sentiendum est. Nam & ipsæ nihilo secius quam anguillæ plurimum crassi succi gignunt: tametipsi parvulæ lampetræ non perinde malæ & periculosæ sint. Minore enim, ut sensus ipse judex est, crassitie & lentore participant. Quo fit ut hi pisces, licet non ingratum ori saporem offerant (quod salva tamen eorum reverentia dictum velim, qui in eorum usu diu perseverant) admodum sint periculosi. Siquidem generatio eorum in aquis serpentum generationi in terris respondet, non sine veneni suspicione. Unde etiam M. Varroni lib. 4. de lingua Latina nomen habent, quod anguibus adsimilentur. Atque hac certe ratione capita & cauda, ac similiter interior spina, ut quæ venenum in se conti-

Anguilla.

Anguillæ coctio.

neant, nullo modo edenda ſunt. Conveniens autem erit ob ſucci craſſitiem ac lentorem ut in optimo vino immerſæ necentur, atque cum juſculo deinde optimarum ſpecierum, ſicuti ab Apitianæ ſcholæ ſectatoribus ſolent pręparentur: ac primo quidem duabus ebullitionib. in vino & aqua prębulliant, illiſque rejectis tandem ad perfectionem coquantur. Vel gelu inde in patina fiat, vel paſtillatura, vel aſſatura, idque cum ſalſamento competenti: in hyeme quidem cum ſalſamento viridi, fortibus ſpeciebus, & vino: in æſtate verò cum debilibus ſpeciebus, omphacio & aceto. Commodius tamen ab ejuſmodi piſcium eſu abſtinetur. Stomacho enim & renibus ſunt inimici, ſed pręcipuum ſentiunt nocumentum ex eorum obſoniis qui arenulas mingere conſueverunt, quoniam illæ anguillari glutino in calculos cogi & adſtringi videantur. Podagra quoque laborantibus manifeſte officiunt, nec ullis morbis medentur, ſic ut inique natura feciſſe videatur, quæ tam ſuavem refutandis expuendiſque piſcibus indiderit ſaporem. Medici omni ex loco omnique tempore, & pręſertim circa ſolſtitium anguillas deteſtantur.

Anguillæ eſus calculoſis noxius.

Sequitur deinde caſeum, atque, anguillas plurimum nocere, ſi comedantur: quod ſane de iis quæ magna mole ingeruntur, intelligendum eſt, Cauſæ quidem de caſeo cap. 4. de anguillis vero in pręſenti capite habentur.

Poſtremo loco hoc etiam adfertur, nempe gravitatem eorum uberiore ac frequentiore vini potu corrigi atque emendari: quod minime tamen de vino ſubtili ac penetrante, neque item de eo quod in potus delativi vicem ſubſtituirur intelligendum eſt. Tale namque cum cibis mali ſucci

bibendum non eſt, quemadmodum 3. 1. doct. 2. cap. 8. Avicenna ſic ferme ſcribens diligenter admodum monuit. Neque vero cum cibis pravi ſucci, neque ab eorundem concoctione vinum protinus bibendum eſt: quippe quod mali chyli cibos in omnia ſtatim corporis exteriora membra, quo fortaſſe citra vini adminiculum minime penetraſſent, non ſine ſanitatis diſpendio ſecum trahat. Intelligendum igitur de vino forti, non admodum penetrante, quod ſępius atque modice commodæ ciborum permiſtionis gratia ſumitur. Hoc enim pravitatem eorum corrigit, concoctoriam facultatem roborat, frigidoſque & phlegmaticos humores concoquendo benignos reddit: quo fit ut ad caſei atque anguillarum, quæ ægre admodum conficiuntur, concoctionem non parum proficiat.

Cæterum neque illud ſilentio hoc loco involvendum, nempe vinum non in anguillarum modo, ſed quorumlibet etiam piſcium eſu exhibendum: quippe frigidioris humidioriſque temperamenti ſunt omnes, adeoque difficilius ob id ipſum conficiuntur, tardiuſque tranſeunt: vino igitur ſępius ac modice ſumpto facile emendantur, atque ad συμμετρίαν perducuntur. Hinc non temere hactenus hoc uſurpatum eſt: Ex piſcibus vivos quidem aqua foveri, mortuos vero vino condiri oportere.

Animadverſio.

Cum *Anguilla* aſpectu horrenda ſit propter anguium figuram quam refert, cum prętere a tam mali ſit ſucci ac interdum etiam ubi angaibus Anguillarum laus.

commiſceri dicitur, venenati: ſubit admirari cur nonnulli veterum eam τὴν δείπνων ἑλένην *cœnarum Helenam*; βασιλεύειν καὶ ἡγεμονεύειν ἡδονῆ *Reginam ac principem voluptatis*; κρατίστην *præſtantiſſimam*, ἰσόθεον καὶ πολὺ τῶν θεῶν τιμιωτέραν *ſimilem imo præ Diis honorandam*; παρθένον *virginem*, νύμφην ἀπειρόγαμον, *innuptam Nympham*; λευκόχροα *carne candidam*; μέγα φῶς ἐναργὲς *magnum & ſplendidum jubar*; ἅγιον θήριον *ſanctam beſtiam*; μέγιστον δαίμονα *maximum numen*; θεὰν denique hoc eſt *Deam* ſuperbo titulo nuncuperaverint. Equidem non ignoro apud Herodotum habitam *Anguillam* ab Ægyptiis inter eos piſces quos colebant? uſuque veniſſe apud Beotos, ut *Anguillas Campaïdas* raræ magnitudinis, hoſtiarum modo coronarent, aſperſaque mola ſalſa cum precibus diis immolarent. Ab illo uſu deduci potuit *Anguillarum* commendatio; ab eſu non debuit, quamvis apud Athenæum lib. 7. Hiceſius libro de alimentorum materia ſcribat: ὡς αἱ ἐγχέλεις εὐχυλώτεραι πάντων ἐστὶν ἰχθύων, καὶ ὅτι εὐστομαχίᾳ διαφέρουσιν τῶν πλείστων, πλησμιαι γὰρ εἰσι καὶ πολύτροφοι, id eſt, *ſucci bonitate anguillas omnes alios piſces antecellere, eſſeque ventriculo gratiores plurimis aliis piſcibus, multum ſatiare, ac corporis efficere plenitudinem, abunde nutrire*: narrentque Eraſiſtratus & Anaxaudrides Edulium hujuſcemodi, quod ad guſtum ſpectat univerſis prevalere, eſſeque obſonium multo lautiſſimum. Alia fuit Hippocratis, Galeni & omnium recentiorum ſententia; nam Hippocrates lib. 2. de dieta graviorem anguillam ait; propterea quod ab aqua & luto & in his naſcentibus alimenta ſumat. Addit lib. de internis affectionibus ex anguillarum eſu inflammationem pulmonis precipuè oriri, quod illæ pinguedinem ho-

minis naturæ maximè infensam habeant. Galenus vero lib. 3. de aliment. *Anguillas* nunquam boni esse succi scribit, tametsi puro in humore versentur, ne dum in eo qui urbium sordes & purgamenta in se recipit: prę terea affirmat *Anguillas*, quamvis carnem mollem habeant, cum tamen succo lento ac pituitoso abundent, non esse edendas ab iis qui tenuante dięta uti volunt, plurimum enim noxiæ sunt. Cęteri Medici à Galeno non dissentiunt, imo vero quidpiam intus *Anguillis* inesse clamant, quod non exemptum vescentibus pestem affert; imo mortem crebro. Caro quidem mollis & dulcis, sed glutinosa admodum & pituitosa, vitæ periculum afferens vel subitum si copiosiua edatur, dulcedo autem carnis vescentes allicit ad largius edendum, quo nihil perniciosius. Credunt nonnulli noxam omnem amitti coctione & conditura; sed Platinæ fidendum est, qui ubi pręparationem eximiam Anguillarum dedit, subjungit acutissimè, *sic paratas hostibus apponendas, quod nihil boni in se habeant.*

Cęterum Salernitani nonnullas *Anguillarum* noxas, & earum prę sidia hoc capite perstringunt. Prior noxa est vocis, quam esus anguillæ, ex acuta gravem; ex leni asperam, ex limpida & sonora, turbidam & crassam facit. Cum enim Galeno teste lib. de arte parva cap. 69. vox acuta fiat ex tracheæ arteriæ, atque gutturis angustia; gravis vero ex earumdem partium amplitudine, quęcunque humectant emolliunt, madefaciunt, qualis est anguillæ caro, humida, pituitosa, & mollis, ea asperam arteriam ex angusta amplam, ex stricta laxam faciunt, proindeque acutam vocem in gravem mutant. Similiter cum vox

lenis fiat ex inſtrumentorum vocalium æqualitate ac lenitate, aſpera vero ex inęqualitate & aſperitate, quęcunque exaſperare nata ſunt & organa vocalia reddere inęqualia poſſunt, eadem commutare lenem vocem in aſperam ſolent. Inter ea autem Ariſtoteles lib. 5. de gener. animal. recenſet humorem aſperæ arteriæ infixum, & ut loquitur Turrianus *humoris redundantiam:* ſic Ariſtoteles probl. 11. ſect. 11. cauſam inquirens cur qui noctu vigilaverit mane aſperam edat vocem, reſpondet id fieri ob humiditatem corporis maximè circa ſuperiorem locum: humiditate vero circa aſperam arteriam redundante neceſſe eſt aſperiorem fieri vocem, aſperitas enim propter inęqualitatem. Cum ergo *Anguillæ* caro ejuſcemodi ſit, ut ſuperfluam humiditatem partibus quas alluit, affundat; dubium non eſt quin conciliata inſtrumentis vocalibus inęqualitate, aſperæ vocis ſit cauſa. Denique cum vox limpida & ſonora ab arteriæ ac pulmonum moderata ſiccitate, turbida & craſſa ab earumdem partium infarctu per craſſum, pituitoſum, viſcoſumve humorem: nemo neſcit opportunas eſſe anguillas ad turbidam potius ac tenebroſam vocem reddendam, quam ad limpidam atque ſonoram efficiendam.

Anguillæ venenum. Altera noxa anguillarum, mors eſt, ob venenum ſcilicet quod creduntur in ſe continere: Nonnulli enim arbitrantur, capiti, caudæ, ac interiori ſpinæ oſſeæ quā Euſtathius πυρῆα vocat, deleterii nonnihil ineſſe, nec eſſe propterea edendas partes eas, ſed reſcindendas & abjiciendas. Santes vero Hardoynus lib 4. de venenis cap. 8. docet piſces natura frigidos-humidos & viſcoſos, prępcipuè aquarum ſtagnantium, ut ſunt anguillæ & tenchæ, inter

inter venena connumerari, eademque inferre cum fungis perniciosis ſymptomata. Sed certè, ut de veneno nihil dicam, pituitoſus ille ſuccus, lentus ac viſcoſus quem ſubminiſtrant, adeo pravus eſt & pernicioſus, ut ſi quis aſſiduo *Anguillis* utatur, brevi graviſſimos morbos & malignos mortemque ipſam dubio procul ſit ſubiturus. Memoriæ proditum eſt quendam magnæ Britanniæ Regem cum avidius Murę̨nulas quæ anguillas referunt, avidius deglutiſſet, ſequente nocte tam ardenti febre correptum, ut confeſtim, hoc eſt die tertio, interierit.

Porro his malis quænam nobis Salernitani remedia prę̨ſcripſerunt? Vini potum, eumque frequentem. Sed recte Commentatores admonent, potum nec debere eſſe copioſum, nec vinum ſubtile ac penetrans. Ergo vinum imperant forte, hoc eſt generoſum & craſſum, quale eſt vetus & rubeum, non tenue & odoratum; ne forſan ante perfectam coctionem chylus in venas rapiatur, & in habitum corporis, ubi cachexiam excitaret. Quod obſervans Avicenna fen. 3. 1. doct. 2. cap. 8. dixit *ſuper cibum mali chymi dum comeditur, aut ante aut poſtquam digeritur non eſſe bibendum vinum, quod, ut aiunt ejus commentat. penetrare faciat humorem malum ex hoc cibo genitum uſque ad extrema corporis, ad quæ forte penetrare non ſufficeret ſine vini auxilio & conductu, unde obſtructiones & putrefactiones exurgunt.* Deinde ea ratione bibi debet vinum, ut non affatim & multum, ſed pedetentim & parum velut pitiſſando hauriatur; quod ad madefaciendum cibum, non ad deportandum ſufficiat. Sed de modo bibendi inter edendum, jam non eſt ſermo: locus poſtea diſſerendi dabitur ad hunc verſum.

Inter prandendum sit sæpe parumque bibendum.

Neque etiam hoc loco de caseo quicquam adjungimus, ne extra aleas vagari videamur. Satius pisces esset alios à Salernitanis prætermissos examinare, sed neque id instituti nostri ratio postulat, quæ me inter eos conclusit cancellos, ut explicanda quæ hic tantum traduntur, non tradenda omnia, quæ commode hic explicari possent ab initio susceperim. Quamobrem cum *Anguilla* ultimus sit piscium à Salernitanis commemoratorum, in ea desino, & ad facultates partium ex animalibus desumptarum exponendas me transfero.

De Partibus Animalium, ac primo avium.

Cap. LXXI.

» *Cessat laus hepatis, nisi Gallinæ vel Ana-*
» *tis.*

Animadversio.

Inter partes animalium aliæ vere & proprie tales sunt, similares videlicet omnes, & organicæ; aliæ excrementitiæ, ut est lac & ovum. De proprie dictis quæ in usum & esum veniunt, nobis jam est sermo, ducto exordio ab avium partibus, quod de avibus prius quam de aliis animalibus supra disseruimus. Licet autem hoc brevi capite unius hepatis mentio habeatur, non ita tamen nos his adstrictos volumus angustiis, ut in fa-

cultates aliarum partium excurrere non liceat, prẹſertim cum ea tractatio non minus lectu jucunda, quam ſcitu utilis exiſtat; paucique omnino ſint ex iis qui de hygeine egerunt, qui hanc diſputationem attigerint.

Ex partibus autem avium aliæ ſunt illis propriæ, aliæ cum quadrupedibus communes. Inter proprias revoco *criſtas* & *ſubcriſtas*, *alas*, & *orripigium*. Ad communes refero *caput* & quæ in capite continentur; *oculos & cerebrum*, *collum*, & ei conterminam *linguam*, *viſcera*, *teſticulos*, *pedes cutem*, *cartilaginem*, *medullam*, *pinguedinem*, *ſanguinem*. Avium partes.

Criſta & ſubcriſta avi quidem propriæ ſunt, ſed non omni, prẹter enim Gallinaceum genus nulli avium conceſſus ille apex regiæ dignitatis argumentum & inſigne, á quo per excellentiam *criſtatæ* aves à Latinis, à Grẹcis ταχινκολόπι, appellati ſunt Galli. Vocatur autem Ariſtophani Gallorum *criſta*, κυρβασία à ſimilitudine Tiaræ perſicæ quam erectam ferebant Reges, depreſſam ſubditi, quemadmodum Galli rectam, demiſſam Gallinæ & inclinatam ferunt, ut ferunt Scholiaſtes Ariſtophanis περὶς ὄρνιθας. Heſychius κορυφλὼ vocat, id eſt *verticem*, nonnulli λόφον, quamvis λοφᾶν dicatur de avibus ἐπιτυμβιδίοις, id eſt, *quæ titulum* & velut cucullum habent ſub capite, plumeum illum non carneum, ex obſervatione Florent. Chriſtiani ad Irenem Ariſtophanis. Ex Latinis Politianus *apicem*, Barbari *Aſculum* & *Ruffam* appellarunt. Eſt autem *criſta* duplex: alia ſublimis capiti ſuperpoſita, alia ſuppoſita velut mento. Prior unica, interdum gemina triplicive radice emicans, apicem oſtentat rubeo colore lucentem, fimbriatum & ſerratim diſcrimina- Criſta. Criſta duplex.

tum, quem Plinius neque carneum esse, neque cartilagineum, neque callosum dicit, sed sui generis corpus, ac veluti inter illa medium ut sit —— *neutrumque & utrumque*, ut de salione loquitur Ausonius, *qui necdum Sulmo, nec jam Salar*; quem apicem vocat Galen. lib. 3. de aliment. cap.21. λόφον. Altera non est *tam crista* quam *subcrista*, è mento atque collo una utrinque dependens, *barbæ* instar, aut *palearium*, unde à Columella *paleæ*, ab aliis *palearia* vocata sunt, à Gręcis, & nominatim Galeno loco supra adducto κάλλαια ob purpureum floridumque ejus partis colorem. Aristophanes in equitibus utriusque cristæ meminit, *cristam* λόβον, *subcristam* κάλλαιον, vocans; quod verbum ejus Scholiastes modo περὶ τοὺς πώγωνας, modo περὶ γένεια τῶν ἀλεκτρυόνων traduxit. Sed nolo quemquam fugiat vocabulum illud τὸ κάλλαιον, duplicis me difficultatis admonere. Prior est quod supra dixerim cristas uni Gallinaceorum generi tributas: cum tamen eædem quoque concedantur *Tetragi*, ab Athenæo 9. deipnos. cap. 13. altera est, quod vox κάλλαιον, non significandis tantum gallinaceorum palearibus, sed cristis ipsis designandis ab eodem Athenęo accommodata sit. Verba Athenęi adduco quæ utriusque difficultatis ansam mihi prębuerunt. ἦν δὲ τὸ μὲν μέγεθος, inquit, ὑπὲρ ἀλεκτρυόνα τὸν μέγιστον, τὸ δὲ εἶδος πορφυρείωνι παραπλήσιος, καὶ ἀπὸ τῶν ὤτων ἑκατέρωθεν εἶχε κρεμάμενα, ὥσπερ οἱ ἀλεκτρυόνες τὰ κάλλαια, id est, *Erat vero tetrax magnitudine quidem magnum gallum superans, forma vero Porphyrioni similis, habebat autem utrinque ab auribus pendentes, quemadmodum gallio cristas.* Hic ergo Tetragi non minus quam Gallo κάλλαια tribuuntur. Deinde τὰ κάλλαια, nemo est qui

Duæ difficultates.

exponat *palearia* ſeu *ſubcriſtam*, cum ea gallis ab auribus minime dependeat, ſed à mento & mandibula inferiori. Quis huic nodo cuneus? Primo dicendum eſt, *Tetragem* avem de genere eſſe gallinaceorum, ſicut viſum eſt & Dalechampio & Aldroando. Secundo affirmandum, τὰ κάλλαια minime de criſtis, ſed de pallearibus intelligenda. Quod ſi quæratur, quomodo illa ab auribus dependeant, depravatum eſſe codicem Athenęi reſpondendum, proque ἀπὸ τῶν ὤτων, legendum ἀπὸ τῶν σιαγόνων. Sunt vero σιαγόνες Polluci Onomaſt. lib. 2. cap. 4. articul. 20. τὰ ὑπὸ χείλη, *partes labiis ſubjacentes*, quas Latini vocant maxillas & mandibulas; nemo autem eſt qui neſciat barbas Gallorum illis in partibus ſitas eſſe atque collocatas. Eleganter Philo de hiſtoria animalium Gallinacei arrogantiam demonſtraturus, ſcribit eum domos ingreſſurum criſtam demittere, ne tectum dejiciat. Sic autem ille.

Prima difficultas ſolvitur.

Πάλιν δὲ ὅγε θύραν αὐθαδῶς ὑποβέχων,
Αὐτοκράτορ μέγιςε, τὸν λόφον κλίνει;
Δοκεῖ γὰρ αὐτὸν εἰ προσεγγίσει μόνον.
Εἰς θραύσιν ἐλθεῖν, καὶ ῥυλῶσαι τὸν λόφον.

Id eſt,

At cum ſubit limen, ſuperbe dejicit
Criſtam, Imperator, namque ſi faſtigium
Vel tangat, hoc ruiturum opinatur ſtatim;
Ruptique fumos exituros culminis.

Sed præſtat de faſtu & majeſtate Gallinacei ingredientis locum adducere ex Franciſci Garaſſi Societate Jeſu Theologi lib. de ſacris Rhemenſibus, qui ob elegantiam cum tota antiquitate certare poteſt. Sic autem ſe habet.

——— tu Regis ad instar
Galle, cothurnatis pedibus calcaria solus.
Induis, & rigidos succinctus ad Ilia lumbos
Rauca tuens, paleaque ferox & casside rubra,
In reliquas dominaris aves: tum si qua domorum
Limina, & ingentes gradienti occurrere valvæ
Non dubitant, altæ primum palearia cristæ
Dejicis & sinuas cervicem, atque ardua colla;
Deinde subis portam paulatim, & murmure fracto
Ingrediens, ab utroque fugis lateramine valvæ
Ardua conjectans oculis, & pagmina mensus.
Ne si antes lapidesve domus vel limina tactu
Succuteres, lambensque levi cervice fricares,
In fumum nebulasque ruant, tum limine verso
In se lapsa domus.

Cristarum usus.

Verum his omissis, qualis sint *Cristæ* nutrimenti aperiamus. Eas Massalinus Cotta Messalæ Oratoris filius, vir alioquin gravis, cum palmis pedum & Anseribus torrere atque palmis condire reperit, à quo tempore in Romanorum delitias cessere. Hinc Spartanus prodit Heliogabalum sæpius ex Apicii æmulatione *cristas* Gallinaceis viventibus vorasse, item camelorum *calcanea*, Pavonum *linguas* & lusciniarum. Nostra ætate non minor cristarum gloria nec ganea, cum juscula, minutalia, & artocreata cristis gallorum atque palearibus, testiculis, atque ovis infarciantur, ea persuasione ut ad venerem tardos accendant.

Plerique his velut suavi cibo delectantur, quibus tamen propter siccitatem atque duritiem, nec sapor, nec gratia inest. Galenus 3. de aliment. facult. inter cibos enumerat, quos nemo neque probarit, neque damnarit. Alex. Petronius duras & coctu difficiles arguit, quod à circumfluo aëre perpetim collidantur. Inde enim contingit ut à calido aëre humiditas earum dissolvatur, solidi-

tas retineatur, à frigido vero compingatur atque firmetur.

Ala avium pars est propria hominum brachiis quadrupedum vero anterioribus pedibus analogia respondens. Ejus portio duplex: major & prior dorso inserta, musculosa & carnosa; minor & extrema pene excarnis priori illi agglutinara. Alam totam Galenus lib. de cibis boni & mali succi cap. 4. scribit se habere communi quadam cum corporibus se exercentibus ratione. Hæc autem cum εὔπεπτα sint atque εὔχυμα, ob superfluam crudamque humiditatem labore dissipatam, alam quoque necesse est boni esse succi & facilis coctionis. Prior tamen pars, quia musculosior idcirco copiosius nutrit, posterior vero tenuiùs: mollior quoque illa existit, hęc durior ac fibrosior, proinde in aviculis minus probatur, atque etiam in gracilibus extenuatisque avibus. Ala.

Ὀῤῥοπύγιον seu Uropygium *cauda* est avium extrema ossi sacro annexa, ossea partim, partim carnea & adiposa in quam pennæ avium volatum velut navigia gubernaculum dirigentes inseruntur. Pars hæc brevis est avibus quæ longa crura habent quęque palmipedes sunt, major vero iis quibus breviores pedes quæque contractis ad ventrem pedibus volant. Si carnosa sit & præpinguis, cibum præbet minime contemnendum, delicatis expetitum, militum lixis exprobrari solitum quos *uropygiorum* voratores vulgus vocat. Solet tamen interdum ob adipis copiam nauseas movere, quod ut prohibeant delicatuli modico sale aspersum devorant. Tanti interdum à gulosis & vinosis hominibus fit, ut in auctionem ac veluti sub hastam deducant, nec solet addici nisi ei qui auctionem ex licitatione Vropygium.

vicerit, pluresque vini cyathos exsiccarit.

Caput. Inter partes avium quadrupedibus communes, primum est caput; quod cum diversis constet partibus, diversis quoque facultatibus gaudet, quę uno non possunt verbo explicari. Hali quidem Abbas 5. theoricæ c. 22. in universum dixit capitis carnem crassæ esse substantiæ, plurimi nutrimenti, tardæ digestionis, humiditatis plurimæ & quæ seminis copiam generet: sed hoc de carne potius quadrupedum nonnullarum quam avium intelligendum est; cum avium capita exiguæ sint carnis, siccæ tenuiorisque substantiæ: ut propterea raro capita avium edantur propter carnem, sed solum propter cerebrum. Attamen caput Rostratulæ in duas divisum partes, sale & mica panis aspersum, flammisque tostum à quibusdam editur minima ut opinor voluptate, saltem utilitate nulla.

Oculus. Capitis pars est *oculus* & *cerebrum*. Ille ex dissimili conflatus substantia, partim humorali, partim membranosa, partim musculosa, raro editur, si quæ ejus utilitas, ea posita est in musculosa parte, sed cum in avibus exilis illa sit, atque exigua; non multum inde nutrimenti expectari debet, proinde etiam nec apud veteres, nec apud recentiores expeti Avium oculos animadverto.

Cerebrum. *Cerebrum* vero licet exiguum, attamen non omnino vituperandum: præfertur quidem quadrupedum cerebro, utpote quod siccius duriusque existat. Ac inter aves, quæ montanæ sunt excellentius delicatiusque cerebrum habent, quam quæ circa paludes & campos degunt. Gallinaceis, perdicibus & Phasianis suavissimum inest, ut & Pavonibus, adeout patina illa celebris Vitellii, quam *clypeum Minervæ* appellabat, Phasianorum

& Pavonum cerebella admitteret. Cœlii Apiici patina verſatilis, conchiclæ farſiles, & genera nonnulla lucanicæ non ſine cerebelis parabantur. Si quid apud Perſas lautum & delicatum fuit *διὸς καὶ βασιλέως ἐγκεφαλὸν*, *Iovis & Regis Cerebrum* appellatum eſt. Paſſerum & columbarum *cerebella* irritandæ veneri, Gallinarum vero acuendo ingenio commendantur. Tanti tamen apud priſcos Philoſophos fiebat cerebrum, ut nominare nedum comedere non liceret. Supraque obſervavimus ex Plutarcho multos ſuæ ætate cerebrum non attigiſſe; quod recenter in uſum veniſſet, Philoclis verſus, *ὡς οὐδ᾽ αὖ ἐγκεφάλων γ᾽ ἐσθίων λίποι*, *παρείμωδες*, dictus fuit de homine ſceleſtiſſimo ac voraciſſimo, quod veſci cerebris, antiquitus peſſimi hominis eſſet argumentum. Quia tamen Galeno teſte, cerebris ſemper pituitoſum quid ineſt & craſſum, præſtat ea origano, pipere, ſimilibuſque aromatibus & aceto condire, ſic enim & minus nauſeam excitabunt, & ſalubrius alimentum ſuppeditabunt.

Collum & *cervix* avium cum caudis quadrupedum ſimilitudinem quandam habent: hæ vero duræ ſunt, concoctuque difficiles, minus tamen propter motum excrementitiæ. In collo duplex pars: membranoſa & oſſea. Hæc quia exigua carne tecta parum alimenti ſubminiſtrat: Illa cute dura & craſſa conſtans, à toſtione nonnihil ſuavitatis acquirit, difficilis tamen eſt coctionis, tardeque diſtributionis. Obſervant ornithologi collum longum habere eas aves quæ longos habent pedes, breve vero, quæ breves, palmipedibus exceptis. Qui autem ſunt retuſa videndi acie, abſtineant ab eſu *collorum*; nam officere creduntur

Collum.

claritati oculorum, quod fieri puto propter ſanguinem ibi coagulatum, nec enim totus fluit dum jugulantur aves.

Lingua avium in cibum quidem venit, ſed ad faſtum potius, quam ut inde alimonia comparetur. Cum autem aliis avibus lingua lata ſit, aliis brevis, aliis longa, aliis anguſta, aliis tenuis, aliis craſſa, quæ muſculoſior erit, melior cenſenda, magiſque nutriens. Supra monuimus Heliogabalum ſæpe Pavonum *linguas* & Luſciniarum voraſſe. Apicii invento *lingua* Phœnicopteri in cibos venit, quam ut præcipui ſaporis admirabatur, à qua mente cecinit Martialis.

Dat mihi penna rubens nomen, ſed noſtra guloſis
Lingua ſapit, quid ſi garrula lingua foret?

Anſerum *linguas* in cibo libidinem movere refert Bruyerinus, qui Æſopi patinam non *linguas* avium, ſed humanas continuiſſe falſo tradit ex loco Plinii libri decimi capitis quinquageſimi primi minime intellecto, Conſule Ferdin. Pintianum & Aqueum locum illum emendantes & explicantes.

Sequuntur avium *viſcera*, ſeu σπλάγνα quo nomine ſeptem partes intelligi vult Nicephorus ſcholiis in Syneſium, videlicet καρδίαν, ἧπαρ, σπλῆνα, σόμαχον, πνεύμονα καὶ νέφρὺς δύο, *cor*, *hepar*, *lienem*, *ſtomachum*, *pulmonem*, *& utrumque renem*. Cor avium ſubſtantia conſtat fibroſa & dura, ideoque difficulter concoquitur, & ægrè permeat. Si tamen bene concoquatur, mali ſucci non eſt auctore Galeno Certum vero eſt ſi frequenter & copioſe aſſumeretur, ſuccum datu-

rum crassum & melancholicum, obidque generandis obstructionibus idoneum. Satius itaque est ab eo abstinere, presertim cum suavitatis & gratiæ obtineat nihil. Cum autem veteres nihil intentatum reliquerint, mira quoque de corde quarundam Avium prodidere, magica tamen potius superstitione adducti, quam ulla experientia freti. Quis enim crederet cor vulturis ligatum in pelle lupina si circa brachium habeas, noxas medicamentorum avertere, prȩstareque ne serpentes, ne latrones, ne ulla malitia, ne quidem phantasmata sentiantur. Id tamen Sextus Philosophus narrat, scribitque Plinius cor hujus alitis habentes tutos esse ab impetu non solum serpentium, sed etiam ferarum & latronum ac Regum ira. Idem tradit lib. 29. c. 4. Cor bubonis impositum mammæ mulieris dormientis sinistrȩ, efficere ut omnia secreta pronuntiet, prȩtereaque in pugnam ferentes, fortiores fieri. Laudat quoque c. 6. lib. 30. Cor upupæ in lateris doloribus, sed nugis istis non immoror, quibus Plinius suum opus perfudit. Cor.

Pulmo avium exiguus est, parum habens sanguinis, fungosus membranȩque similis & aptus ampliari & extumescere cum inflatur. Ejus partes adeo inter se discretæ sunt, ut binos habere pulmones credideris. Quia ergo rarus, ideo ad coquendum facilis, parumque tamen nutrit, & pituitosius est id alimentum quod corpori præbet. Pulmo.

Stomachus, seu *ventriculus* avium magnam partem carnosus callosusque cuti robusta intus obtegitur, quæ facile à parte carnosa detrahi potest: quam quidem tradit Dioscorides siccatam tusamque tuto & utiliter in vino stomachicis Stomachus.

dari in potum: quod falſum eſſe Galenus ſuo experimento comprobavit. *Stomachus* vero quem Galli *gıſier* vocant, durus quidem concoctu eſt, non mali tamen penitus ſucci ſi probe coctus fuerit, & robuſtum ſtomachum offenderit. Inter aves ſuaviſſimos ventres obtinent anſeres, & ab his Gallinæ altiles quibus magis carnoſus eſt quam calloſus. In quibuſdam avibus ſuperiori parti ventriculi præpoſita eſt προλοβος, ſeu *ingluvies*, *labotum* vocamus, quæ aliud non eſt quam cutis in amplum ſinuata, ingeſtum cibum & incoctum continens, eſui prorſus inepta. Inferiori autem ventriculi parti annexum eſt inteſtinum ſimplex tenue & ſolutum, quod in omnibus pene abjicitur. In *roſtratula* tamen una cum excrementis ſuaviſſime editur. Ferunt quoque *Ryntacem* avem quod ſolido cibo non veſcatur, nihilque in ea reperiatur, minime exenterari, ſed integram edi, Alaudæ ipſæ non exenterantur, ſed interanea adeo dura ſunt & amara ut guſtari non poſſint; ſolent vero vorari à quibuſdam pilulæ inſtar, ad alvum ciendam & movendam ſucceſſu quem viderim nullo; quamvis non negem detergentis ea eſſe facultatis ac deobſtruentis, ut teſtatur eorum inſignis amaror.

Hepatis παρέγχυμα inter cętera viſcera ſuavius, pręſtantiuſque alimentum ſubminiſtrat, cum enim temperamento ſit calido & humido, noſtro calori nativo affine eſt atque conſociale quod niſi obtineret corpus coactum, denſum, ac pigrum non utilitate minus quam ſapore commendaretur, ſed propter illam conſiſtentiam craſſi eſt ſucci, concoctu difficilis, & tarde permeantis: ubi vero coctum eſt & à ventriculo

edomitum, copiose nutrit. Præfertur autem avium jecur, quadrupedum jecori, & inter aves hepar Anserum, Anatum, atque Gallinarum prȩstantissimum habetur, uti etiam Salernitani hic advertunt. Priscis sȩculis exquisitissimum cibi genus Romæ fuit, *jecur Anserinum*, & ut loquitur Athenæus libro nono περισπούδαστον καὶ πολυτελές. Quo autem exquisitius evaderet, mollius & grandius; habebant χηνοβοσκοὺς, hoc est, *homines saginandis anseribus* adhibitos quorum meminit Cratinus in Dionysio Alexandro. Sic autem saginatos anseres σιτευτοὺς χῆνας καὶ ἀτιταλλομένας vocabant, quemadmodum macros & solis herbis enutritos, *herbiles*, ex Festo, & Lucilio apud Servium. Observat vero Galenus libro tertio de aliment. capite vigesimo primo, alimenta anserum lacte imbuta fuisse, ut non modo eorum jecur jucundissimum esset, sed potenter etiam nutriret, ac optimi fieret succi; & dejectu minime difficilis probeque similiter in ventriculo conficeretur. Imo Plinius libro decimo capite vigesimo secundo, exempta anserum jecora lacte mulso adaucta fuisse prodidit. Educatos quoque fuisse ficubus testatus est Horatius hoc versu.

Pinguibus è ficis pastum jecur anseris albi.

Nec non ii qui jecur sic saginatorum appellavere συκωτὸν de quo agit Apicius libro septimo capite tertio. Nostra pene memoria magni nominis & regni Regina mille & quingentas libellas insumpsit, ut tres anseres saccharato aniso saginaret. Hujus cibi meminerunt Poëtæ, Persius Saty. 6. Juvenalis 5. & Martialis, in Xeniis.

Aspice quam tumeat magno jecur ansere majus:

Miratus dices, hoc rogo crevit ubi?

Hoc bonum, inquit Plinius, *in quæstione est quis primus invenerit, Scipio, Metellus vir Consularis, an M. Sestius eadem ætate eques Romanus.* Porro vix bonitate cedit caponum altilium *jecur* anserino imo à nonnullis præfertur: concludo cum Baptista Fera.

Colla jecurque calent, sed colla fluentibus hument,
Gallina, Anser, Anas mollius hepar habent.

Ejuscemodi hepar super prunas assatum brevi reparare vires creditur superbibito pauco vino albo; frequentius tamen apud nos solet cum vino, butyro, ovi Vitello, omphacio, ac paucis gariophyllis elixum, paratumque edi non insuaviter.

Lien. *Lien* usque adeo exiguus est magnæ avium parti, ut propemodum sensum effugiat: quamobrem non est quod de eo plura commemoremus.

Renes avibus desunt. Neque vero de *renibus* quidquam annotaturus sum, cum in avibus desint. Sunt equidem in nonnullis carunculæ quędam latiusculæ renum speciem ostendentes, sed renes penitus absunt, qua de causa non hic inquiro.

Testiculi. *Testiculi* avium in cibo laudantur, sed præ cæteris Gallinaceorum, quos Galenus præstantissimos vocat, si modo Galli cibo enutriti fuerint seroso lacte imbuto. Redduntur enim boni succi, valide nutrientes, & ad coquendum facillimi. Dejectionem tamen nec promovent, neque morantur. Quamobrem autem testes Gallinaceorum, qui lacte saginantur, amplissimi & concoctu facillimi efficiantur, exponit Alexander Aphrodiseus probl. 77. lib. 2. Mirifice expetuntur

hodierna die testiculi Gallorum à delicatis, velut incentiva libidinis, à tabidis vero tanquam suavissimum Analepticum.

Pedes Avium tenuissimè nutriunt, quia exiguæ sunt carnis, difficulter autem digeruntur, succique sunt crassi, quia nervosi, & tendinosi. Cessit tamen olim gloria Anserum pedibus, quos primus torrere & condire instituit Messalinus Cotta apud Plinium lib. decimo capite vigesimo secundo. Pedes rostratulæ sunt qui flamma tostos avidissimè comedant, alii Gallinaceos commendant ad somnum, manifesto mendacio. Cęterum tanti non sunt ut quemquam ad esum invitare debeant. Pedes.

Cutis Avium altilium & pinguium, seu tosta, seu elixa gustu suavis est, alimenti vero exigui, & difficilis coctionis. Quæ lumbos Gallinaceorum obtegit suavissima existit: colli cutis rugosa & adiposa à nonnullis expetitur, elixa melior quam tosta, præstat quoque juniorum & pinguium quam macrarum & vetularum avium; porro de cute lumborum in Gallinis locutus videtur Matron. in Parodiis Gallinas altiles dicens mensæ appositas ὄτειχας οἰετιὰς, λαγάνοις κατὰ νῶτον ἐΐσας, id est *unius coloris*, *unius ætatis*, *dorso laganis similes*, hoc est dorso gratas ad instar laganorum. Cutis. Athenæus explicatus.

Cartilago, seu avium, seu quadrupedum confici non potest si sit animalium perfectorum: si vero juniorum, ægrè coquitur: adeout parum inde & alimenti & utilitatis expectari possit. Cartilago.

Medulla duplex: una spinæ, seu ῥάχεως, alia ossium aliorum. Prior ejusdem pene virtutis est cum cerebro, nisi quod paulo durior existat. Hanc ob rem veteres cerebrum non vocavere ἐγκέφαλον,

ſed λευκὸν μυελλὸν, *albam medullam*; & viciſſim medullam, *cerebrum*: Poſterior dulcior eſt, jucundior ac pinguior. Attamen cum liberaliùs editur nauſeam parit, & alvum lenit; & ſecundum nonnullos ſemen auget. Sed cum exigua quantitate reperiatur in avibus; hi effectus expectandi non ſunt.

Pinguedo. *Pinguedo* carni affuſa, moderate ſumpta, ſale aſperſa, editur non injucundè, licet parum & male nutriat: ſecus nauſeam movet, appetitum aufert, ſtomachum ſubvertit, cito ſaturat, ęgreque diſtribuitur. Idcirco qui volunt illico ſaturi fieri, pinguedinem aſſumunt, vinumque ſuperbibunt: quo pręſidio ſic dejicitur appetitus, ſic ventriculus oppletur, ut de alio cibo ſollicitus non ſit. Cauſa ni fallor, eſt complanatio ventriculi, & ablatio rugarum: dum enim ungit, & oblinit, eadem opera lenit ac lævigat. Imo ſenſum doloris abripit ex ſuctu excitati. Cavendum ne ventriculis calidis & fervidis viſceribus pinguedo objiciatur, ſtatim enim inflammationem conciperet olei ad inſtar, morbiſque graviſſimis occaſionem præberet.

Sanguis. Reſtat *Sanguis* avium cujus hodierna die vel rarus, vel nullus eſt uſus. Cum tamen tenuior teneriorque ſit Gallinaceus, cum aëreæ naturæ ſit particeps, cum temperiè ſit moderata & aquabili, nec inſuavis eſſe poteſt, nec plurimum noxius. Habet tamen ſemper aliquid excrementi, & ſucci craſſioris, proindeque eſt coctionis paulo difficilioris, alimentique prorſus non elaborati. Sed cum ſit ut dixi rarioris hodie uſus, ineptus ſim ſi prolixiorem diſputationem de eo inſtituo.

De

De Partibus Quadrupedum.

CAP. LXXII.

Ilia porcorum bona sunt, mala sunt reliquorum: "
Corda suillarum sunt auctio tristitiarum, "
Splen quoque spleneticis est mausus sæpe salubris, "
Dissuadentur edi renes nisi solius hædi. "

Ilia sive omasa, id est, pinguiora porcorum intestina cum reliquorum animalium intestinis hoc versiculo conferuntur: quantumque ad victus salubris rationem attinet, aliorum animalium intestinis natura multo cum præstantiora, tum suaviora sunt. Testis est capit. 11. libr. 3. de aliment. facult. Galenus. Neque ullius etiam animalis intestinis libentius quam eorum quæ sanguine referta, vel pinguia admodum sunt, vescimur. Ejusmodi autem porci cum primis habentur. Jam vero & sanguis suillus humidus est & minus calidus, humano maxime temperie similis: siquidem & carnes suillæ humanis sunt similes. Cum itaque porcorum intestina sanguine plena sint, nec aliud animal ex brutis facilius tum saginetur, tum pinguescat, non abs re intestinis ejus libentius vescimur. De carne suilla abunde supra.

Animadversio.

HOc capite quadrupedum aliquot partium exemplo cęterarum usus & facultates explanabimus ducto à capite exordio.

Capitis integri vix assignari usus potest ob diversas distinctasque ejus partes, quibus singulis sua est constitutio, sua conformatio, suus proinde usus. Quadrupedum autem omnium quæ in usum quotidianum veniunt, capita edulia sunt, bovinum, vitulinum, suillum, aprugnum, hœdinum, agninum, leporinum, & alia ejus generis, quorum tamen partes potiores, *Lingua*, *Oculi*, *Aures*, *Genæ*, *Cerebrum*, *Palata* in disputationem sunt revocandæ. Generatim tamen dictum volo *capita* quadrupedum difficilis esse coctionis, crassi viscosique succi, multum tamen nutrientis, & sanguinis plurimum generantis. Solent autem apponi mensis integra nonnulla *capita*, ut vitulinum, aprugnum, hœdinum, leporinum, porcellinum, quorum pręparatio repeti debet ex Magiricis.

Cęterum reperio apud priscos capita quorumdam animalium mensis apposita. Plato Comicus in Jo, caput δέλφακος, id est, *Porci lactentis* nominat. Martialis libr.14. Lemmate 211. & Juvenal.Saty.3, arietinum commemorant. Crobilus in falso suppositititio, & Ameipsias in Barba, *dimidiata capita* Porcellorum in convivio adhibita narrant, quæ ab illis dicuntur ἡμίκραιρα, à Nęvio in decuma apud Nonium *sincipita*, à Plauto in Captivis act. 4. scen. 2. *Ophtalmium* propter oculos; quam quidem partem delicatam fuisse in-

nuit ; adeo ut Plinius libr. 8. capit. 51. cenſoriarum legum paginis interdicta fuiſſe cœnis ſyncipita verrina obſervarit. Ariſtophanes in Ciconiis, Eubulus in Leda agnorum quoque capita recenſent, & Lucilius Satyr. libr. 4. de capite hęc habet.

Aſſequitur nec opinantem in caput inſilit ipſum,
Commanducatur totum, complexa comeſtque.

Notum eſt Pittaci Philoſophi de *Lingua* judicium. Is cum ab Ægyptiorum Rege integri animalis carnes accepiſſet, ut meliorem deteriormque animalis partem eligeret, unam *linguam* dictus eſt ſelegiſſe, ratione potius habita hominum linguæ à qua bona malave plurima proficiſcuntur, quam linguæ quadrupedum in rem cibariam venientis. Ab illa quoque Pittaci mente factum crediderim ut Orus Apollo. Hieroglyph. 21. libr. 1. *linguam* vocaverit γλώττα μητέρα τοῦ εἶναι, hoc eſt, *genitricem cauſamque omnium naturæ rerum*. Ejus laudes & vitia Eraſmus eleganti opuſculo decantavit, & ex noſtris Medicis Protus Caſulanus quatuor libros de *lingua* quatenus eſt morborum acutorum ſignum, ſuperioribus annis evulgavit : ne quid de Claudio Dureto dicam, qui linguarum theſaurum magnæ molis & doctrinæ opus in lucem edidit. Verum hęc omnia à noſtro inſtituto aliena ſunt, qui linguæ uſum in cibis cujus beneficio cibi omnes explorantur, breviter inveſtigamus. Cum *linguam* obſervet Galenus carne ſui generis conſtare, quæ nec muſculoſa, nec glanduloſa, nec parenchymatica ſit, ſed laxa fungoſaque ſpongiorum ritu, humida inſuper ac glutinoſa; alimentum accedat corpori ex ea neceſſum eſt minimè ſolidum, denſum aut diu perſiſtens.

Nonnullis tamen animalibus ſuaviſſima ineſt, mollis, probi ſucci, facilis coctionis & alimenti non pœnitendi. *Bubula* quidem ſale condîri, fumoque exponi ſolet, ut multos in annos aſſervetur. Sic parata cibus eſt divitibus gratus, primis conviviorum menſis apponi ſolitus ad irritandam famem & acuendam ſitim. Ni ſupra modum ſalita fuerit, ejus moderatus eſus nihil aut parum nocet, immoderatus vero eaſdem noxas profert quas ſalita caro. *Vitulina* & guſtu & alimenti bonitate prędſtat: *Vervecina* omnium optima, ſive ex ſaccharato condimento, ſive ex omphacio edatur. Solet autem, vel ęgris ipſis atque convaleſcentibus pręſcribi quod ſit ad languentem appetentiam excitandam opportuna. Obſervabis tamen partem linguæ quæ exeritur duriorem eſſe ac deterioris alimenti, ab ea proinde eſſe abſtinendum ab illis quibus valetudo curæ eſt.

Oculi. *Oculi* quadrupedum ferè deſpiciuntur; ſoli commendantur *vitulini*, qui cum multa pinguedine molliq; carne obſepti ſint, tenerioribuſque membranis involuti, cęteras capitis partes ſuavitate, atque bonitate antecellunt, Aliorum animalium quia duriores ſunt & ſicciores, penitus improbantur.

Aures. *Aures* ſi ſolæ ſumantur, quia cartilagineæ, pauci ſunt nutrimenti: at ſi cum vicinis & circumſepientibus partibus ingerantur, ſalubritate & ſuavitate oculis non erunt inferiores. De *Vitulinis* autem ſolis loquor, quæ obſeptę multa pinguedine ſunt, quemadmodum & *porcellinæ* quas mirum in modum ab exquiſiti palati hominibus expeti & vorari obſervamus. Porci autem ſenioris aures minimè delicatus ſunt cibus, ſed

bibacibus gratus, paratus videlicet cum butyro, ſale, aceto & cepis minutatim conciſis, à quibus irritatur appetitus & accenditur ſitis. Quiſquis autem ſuæ ſalutis ſtudioſus exiſtit, cane pejus & angue fugere ejuſcemodi edulium debet.

Genarum, ſeu mandidularum carnes muſculoſæ quadrupedum juniorum, pinguium & carnoſorum, boni ſunt ſucci & grati ſaporis. Commemoratas etiam eas habemus ab Antiquis. Cratinus in Plutis de maxilla bubula pugnarum fuiſſe ait. Sophocles in Amyco maxillas appoſitas molles ſcribit, apud nos hodierna die *vitulinæ* laudantur, ſunt enim & tenerrimæ & lautiſſimæ, & optimi ſucci. Genæ.

Cerebrum quadrupedum nemo laudavit in cibis. Eſt enim Galeno teſte libr. 3. de aliment. capit. 8. pituitoſius, craſſi ſucci, tarde permeantis, & ad coquendum difficilis. Plurimum ſtomacho nocere docet, nauſeam concitare atque vomitum movere. Quam obrem monet ne poſtremis epulis exhibeatur, niſi iis quibus excitare vomitum à cibo volumus. Salubrius tamen effici ſolet præparatum cum origano, vel aliis rebus incidentibus & calefacientibus. A nobis editur cum ſale & aceto. *Leporinum* cerebrum & *Porcellinum*, diviſo capite torretur prunis, affuſa mica panis & ſale, & editur ſuaviùs quam utiliùs: leporino ſolent nutrices gengivas infantium illinere, ut facilius dentes egerminent. *Vitulini* cerebri apparatum laudat & deſcribit Platina lib. 6. c. 30. & 31. nec non Julius Alexandrinus libr. Salub. qui tamen ſedulo monet ne refrigeratum edatur, ſic enim & inſipidum redderetur, & majores vires nocendi ſumeret: actu nimirum preter Cerebrum.

refrigerandi poteſtate vim , idipſum jam frigidum ſcilicet in pręſenti ut conduplicata ita refrigerandi potentia , nocendi etiam una ſtatim vires ingeminaret. Guillelmus de Varignana in ſua practica ſerm. 4. tract. 2. capit. 1. unum advertit obſervatione dignum , omnia videlicet *cerebella* comeſta omnibus venenis conferre : opinor propter viſciditatem quam habent, qua obliti ventriculi parietes à venenis aſſumptis offendi nequeunt.

Palatum, *Palatum* bovis membranoſa quadam carne obductum eſt, quod noſtra ętate in delitiis habetur. Variis autem modis apparari ſolet, ſed frequentiſſimè minutalibus aliiſque ejuſcemodi lautitiis additur.

Supradictis capitis partibus addo *Roſtrum* quod Gręci ῥύγχεν vocant ; quo nomine , non tantum *porci* roſtrum intelligendum eſt, ut nonnullis placuit , ſed etiam ῥάμφος , id eſt , *roſtrum* avium, quemadmodum probat Euſtathius ex Polemone : vulgo tamen uni roſtro porcino deſignando uſurpatur , quod veteres in cibum advocaverunt. Theophilus enim in Pancratiaſte inter cibos recenſet ῥυγχίον, κωλῆν , πόδας τέτταρας ὑείους , *roſtrum* , *armum* , *pedes ſuillos quatuor*. Anaxilas in conviviis apponenda ſuadet *roſtra & pedes*. Axionicus in Chalcide cum aceto aſſumpta *roſtra* innuit, Ariſtophanes ambuſta fuiſſe ſignificat, nec multum delicata. Galenus tertio de aliment. c. 4. poſtponit roſtrum *pedibus* , & *auribus* anteponit, quod paulo carnoſius ſit : verum cum durum exiſtat, ſoleatque cum cepis & aceto condiri , vitandum ejus eſum cenſuerim. A capite venio ad pectus in

Cor. quo *Cor* & *pulmo* continentur. *Cor* jam diximus ex Galeno coctu difficile eſſe tardeque permeate

ob ejus ſubſtantiam duram ac fibroſam. Alimentum tamen ex eo corpori ſperari poteſt, ſi recte conficiatur, nec paucum, nec pravum, nec fluxum. Suillum cor monent Salernitani augere mœrorem, in iis ſcilicet qui jam aliquo affectu melancholico tentantur: quod prudenter Medici obſervant, eſum ſuillæ carnis febre quartana detentis prohibentes, ut & leproſis, elephanticis, lienoſis, ſcorbuticis. Etenim ſi Plutarcho teſte 4. ſympoſ. probl. 5. omnes ferè ſues ſub ventre lepra ac efflorefcentiis referti ſemper ſunt, ſi Columella auctore libr. 7. capit. 9. ſues dulcedinem pabuli conſectantes ſupra modum ſplenis incremento laborant, ſi præterea luto ſemper immundiſque locis gaudent, quis credet eorum cor minimè turgere excrementis, ſubſtantiamque non contrahere craſſam, & terrenam quæ melancholicis melancholicum ſuccum ſubminiſtret? Hanc ob rem factum puto ut cum apud veteres infinitæ cupediæ ex omnibus porcorum partibus excogitatæ ſint; nihil nobis de eorum corde reliquerint, ut pote cum in eo ſuavitatis minimum, aut ſalubritatis deprehenderint.

Cur Cor Suillum mœrorem excitet.

Pulmo quadrupedum frigidi & humidi eſt temperamenti, pituitoſi ſucci, facilis coctionis ac diſtributionis ob raritatem ac levitatem. Levius tamen nutrit quam aliæ partes, & alvum ſtringit. Si quis aſſumere cogitat, eligat eorum animalium pulmonem, quæ temperata, aut calida, quæ pinguia, quæ teneræ ſunt ætatis, ut arietis, vituli, porci domeſtici, hœdi. Dicitur Paulo Æginetæ pituitam augere, aliis ventrem inſigniter inflare, tardeque deſcendere. Platina Pulmonem dum vivit calidæ & ſiccæ qualitatis eſſe tra-

Pulmo.

dit, mortuum vero frigidæ & humidæ. Vide Pet. Hispanum ad Isaacum, & Athen. libr.7. qui inter cibos ab Eubulo commemoratos *pulmonem* recenset, velut etiam ab Aristophane lib. 3. Apri pulmonem.

Hepar. Descendo ab Abdomen in quo præter *Iecur*, *lienem*, *Renes*, *Testes*, *vulvam*, aliæ partes continentur; *ventriculus*, *intestina*, *ilia*, *sumen*, *abdomen*, de quibus ordine pauca dicemus. *Iecur* omnium animalium crassi est succi, teste Galeno, ad coquendum difficile tardeque permeans. Laudat tamen idem auctor *suum* Jecur ficubus siccis enutritum, quod ideo συκωτὸν appellatur. Et certè *suillum Iecur* cęterorum jecoribus pręferendum est velut natura sua suavissimum. Bonum enim, robustum, commodumque exhibet alimentum. Huic affine est *Agnorum hœdorumque* hepar, facilius permeans crassique minus fucci. Lactentium jecinora atque saginatorum omnium pręstantissima. *Caprillum* nonnulli commendant ad acuendam oculorum, aciem; licet ab aliis epilepticas convulsiones afferre dicatur, non minus quam *hircinum*. Apparatum jecinorum & pulmonum tradidit Apicius lib.7. capit. 10. & Platina lib. 9. c. 27. Jecur apri laudavit Aristophanes in Thesmophoria. Athęn. l. 3. c.24. ἐντετυλισμένον, id est, *obvolutum epiploo*, erat enim mos veteribus contegendi omenta jecuscula ut frixarentur, quæ idcirco Crobylus αἰχυνόμενα fortasse appellabat, id est, *verecunda*; licet Alexis in Catena ob lividum colorem sic dicta malit, est enim suillum Jecusculum πελιδνὸν χρώματι, *colore lividum*. De tosto jecore, Hippocrates lib.2. de morbis mulier. & lib. de natura mulieb. de asso Alexis in Arthide. Ne vero difficultates subterfugere velle videar,

adducam locum Athenæi corruptum cui medicas manus afferre conati ſunt Dalechampius & Caſaub. Is habetur lib. 3. cap. 17. & citatur ex Ariſtophane in Tageniſtis his verbis: ἅλις ἀφύης μοι. παρατέταμαι γὰρ τὰ λιπαρὰ κάπτων. ἀλλὰ, φέρετ' ἀπύβασιν ἡπάτιον, ἢ καπρειδίου νέου κολλοπάπινα, id eſt, *Hallecis mihi ſat eſt. Horum pinguium eſu inflatus diſtendor, afferte jam mihi vel hepatis extremam fibram, vel apri juvenis tergus.* Difficultas eſt in illis, φέρετ' ἀπύβασιν ἡπάτιον, pro quibus legit Dalechampius ἀπόφυσιν ἡπατίου, hoc eſt *hepatis appendicem*, quod cum non probetur Caſaubono vix habet quod reponat; tandem περιβάτιον ἡπάτιον, legendum ſuadet, ego paucis immutatis φέρετε πρὸς βόσιν ἡπάτιον ſubſtituo, id eſt, *afferte in cibum hepar.*

Lienem qui noverit qualem ad ſe attrahat ſanguinem, craſſum videlicet, melancholicum & lutulentum, non immerito ejus eſum improbabit. Non eſt quidem guſtu omnino inſuavi, ſed nec exactè ſuavi exiſtit, cum in eo perſpicua quædam ſit acerbitas, qua tamen nonnulli delectantur. Rubentes *lienes* quia ſanguine minus pravo tinguntur, non ita mali ſunt ſucci quam cum aut virent aut nigricant. Qua de cauſa nonnulli adoleſcentis *porci* lienem commendant, quia perpetuo rubet, velut & alii lienes, *vitulorum hœdorum*, *agnorum* dum minimè livido colore ſuffunduntur: quamvis vero Galenus acerbos lienes conſtituat, attamen ſi guſtentur, nihil tale ſapere deprehendentur. Certé fuere aliquo in honore apud veteres, ut patet ex Ariſtophane in Tageniſtis, apud Athen. lib. 3. cap. 17. perſuaſumque eorum plurimis fuit, naturalem ineſſe lieni facultatem adverſus lienis vitia. Quod pro- Lien.

fecto ex occulta ſympathia vel characteriſmo potius deduxerunt, quam ex aliqua qualitate ſenſili & manifeſta. Cerebrum enim cerebro prodeſſe, pulmonem pulmoni, ventriculum ventriclo, non quia frigidæ, calidæ, attenuantes, incidenteſve eſſent illæ partes, ſed quia tales opinati ſunt, hoc eſt quia cerebrum quatenus cebrum à natura obtinuit, ut quemadmodum alteri cerebro nomine, ſitu, origine, charactere affine eſſet, ſic eidem naturali quadam & inexplicabili virtute ſuccurreret. Idcirco memoria proditum fuit, aſſatum Echini majoris lienem, vel ſplenem vulgaris Aſini cibis adjunctum, quoſcunque lienis tumores diſſipare: ſcriptum quoque eſt ſplenem catuli, lactentis hœdi, capræ, vel vulpis coctum & propinatum, bubulum etiam lienem cum melle aſſumptum lienoſis opitulari. Sed enim cum hæc medicandi ratio ſit prorſus ἄλογος, & à Galenicorum ſcholis exploſa, minimum fidei hujuſcemodi medicamentis adhibendum cenſeo.

Renes. *Renes* quos νεφροὺς Gręci vocant, pravi ſunt ſucci, ingrati ſaporis, concoctuque difficiles. Laudantur tamen hœdini, nec vitulini improbantur, cum viroſi non ſint, neque duri. Apud veteres video eorum fieri mentionem inter dapes delicatiores. Petronius Arbiter in ſatyrico deſcribens cœnam Trimalcionis & repoſitorium illud rotundum duodecim habens ſigna cœleſtia in orbe diſpoſita, quibus ſingulis proprii & convenientes cibi impoſiti fuerant, inter alia *renes* enumerat his verbis: *Structor impoſuerat*, inquit, *ſuper Arietem, jecur arietinum: ſuper Taurum, bubale fruſtum: ſuper Geminos, teſticulos ac renes; ſuper Cancrum, coronam: ſuper leonem, ficum africanam;*

super virginem, ſtericulam; ſuper libram, ſtateram, & quæ ſequuntur. Scio quidem veteres quos εὐθυρρημονεῖν pudebat, teſticulos honeſto vocabulo renes vocaviſſe καὶ ὄρχεις ἤσθιο, οὓς καὶ νεφροὺς ἐκάλουν, id eſt, *manducarunt & teſtes quos renes appellabant* inquit Athenæus lib. 9. cap. 8. Sed cum Petronius *renes* & *teſtes* nominet, non poſſunt hoc loco *renes* pro teſticulis ſumi, ſed pro viſceris illius parenchymate tranſcolandæ urinæ dicato. Petronii locus expoſitus.

Teſticulos jam monuimus renes quondam appellatos. Philippiles in renovatione Gnathenæ ſcorti guloſi voracitatem declarans ait. Teſtes.

Deinde poſt hæc omnia acceſſit quę ferebat teſticulos
Multos muliercula, eoſque appoſuit:
Virorum autem internecio tum ridens Gnathæna,
Specioſi ſunt, inquit, renes hi, per charam
Cererem, arreptoſque duos devoravit,
Vt præ riſu convivæ ſupini caderent.

Alii vero *teſticulos* maluerunt vocare παραστάτας, ut teſtis eſt Atheneus libro nono, quos Plautus *Polimenta* nominavit recenſuitque inter ſcitamenta. Locus eſt in Menech. act. 1. ſcen. 3.

Iube igitur nobis tribus apud te prandiũ accurarier;
Atque aliquid ſcitamentorum de foro obſonarier;
Glaudionicam, ſuillam, laridum, Peronidem, aut
Sincipur, aut polimenta porcina, aut aliquid ad eum
modum.

Porro *teſticuli* cibus ſunt omnino vituperandus, cum viroſum quid ſapiant, maximè in animalibus coitum expertis: duri quoque ſunt & difficiles coctu niſi ſint parvorum animalium, & juniorum; proinde Agnini prorſus non improbantnr, quùm ſatis perbelle nutriant. Galenus *ſuillos* præfert; tantò enim hujuſcemodi teſtes aliorum animalium

teſtibus ſunt cenſendi meliores, quanto ſuum caro aliis præſtantior habetu. Eos idcirco commendavit Ebulus in Leda apud Athen. libro ſeptimo & extremo.

Vulva.

Vulva quam Græci μήτραν vocant, edulium ſuaviſſimum, ἥδιστον κρέας, veteribus fuit ex Antiphane in Philometore: adeo ut dicta ſit μητρόπολις καὶ μήτηρ τῶν Ἱπποκράτους υἱῶν, id eſt, *metropolis & mater filiorum Hippocratis*; non magni illius & Medici, ſed Lurconis cujuſdam Athenienſis, quibus verbis liberi illi porci appellantur, porca nati, ut videre eſt apud Caſaubonum in capite decimo ſeptimo, lib. 3. Athenæ. *Vulvam* præterea veteres *folliculum*, appellabant, Plinius *locos* & *uterum*, Lucilius *bulgam*. Epicharmus apud Athenæ. δελφύας, unde peti poteſt, τῶν ἀδελφῶν, *fratrum* nomen clatura & interpretatio. Priuſquam vero *vulvæ* ganeam exponam, ſciendum eſt apud ſcitos convivatores duo *vulvarum* extitiſſe genera, quarum una ἐκτόμις, *Porcaria*, ac *virginea*, alia ἐκβόλας, *ejectitia*, & *prægnans* fuit, quas eleganter diſtinxit Martial. in Xeniis.

> *T*e fortaſſe magis capiet de virgine porca,
> Me materna gravi de ſue vulva capit.

Plinius lib. 11. cap. 37. paulo ſubtilius vulvarum bonitatem executus eſt his verbis: *Vulva*, inquit, *ejecto partu melior quam edito. Ejectitio vocatur illa, hæc porcaria; primiparæ ſuis optima, contra effœtæ. A partu præterquam eodem die ſuis occiſæ, livida ac macra. Nec novellarum ſuum præterquam primipararum probatur, potiuſque veterum, dum ne effœtarum, nec biduo ante partum, aut poſt partum, aut quo ejecerint die: proxima ejectitiæ eſt occiſæ uno die poſt partum.* Hactenus Plinius, ex quo inſanientis & profundæ gulæ laſciviam advertere potes, quam fruſtra

censoriarum legum paginæ coercere conatæ sunt, interdicentes cœnis vulvas. Neque Romani solum, sed Gręci ipsi hoc cibo delectati sunt Hipparchus auctor Ægyptiacæ Iliadis *pulchra facie vulva ejectitia* delectabatur.

Ἐν λοπάσιν μ' εὐφραίνει μήτρης καλὰ πρόσωπα ἐκβολάδος.

In lancibus, inquit, *me delectat vulva pulchra facies ejectitia*. Sopater in Hyppolito nescio quot honoris illi vocabula tribuit; καλλικήρυκα, ἐκβολάδος, δίεφθης, λευκαντείσης. Alexis in Pontico Callimedontem oratorem comico sale perstringens, pro *vulva* eum alacriter mori velle ait.

ὑπὲρ πάτρας μὲν πᾶς τις ἀποθνήσκειν θέλει
ὑπὲρ δὲ μήτρας Καλλιμέδων ὁ κάραβος
ἑφθῆς, ἴσως προσοῖτ' ἂν ὁ τάλας ἀποθανεῖν.

Pro patria, inquit, *omnes parati sunt mori, pro matrice seu vulva cocta Callimedo Carabus etiam mortem oppetere fortasse sustineat*. Denique omnes Comici Græci Euphron. *in Tradita*, Dioxippus *in Antipornoboseo*, Amphicles *in Historiographo*, Eubulus *in Deucalione; Nicostratus in Expulso*, & plures alii *vulvæ* meminerunt passim apud Athenęum in libris deipnos. Ex Latinis autem Poëtis Juvenalis Satyr. 11. *vulvam* nominat.

Qui meminit calidæ sapiat quid *vulva* popinæ.

Horatius quoque lib. 1. epist. 15.

Quicquid erat nactus prædæ majoris, ubi omne
Verterat in fumum & cinerem, non Hercule, miror,
Aiebat, si qui comedunt bona, cum sit obæso
Nil melius turdo, nil *vulva* pulchrius ampla.

Quin etiam Aëlius Lampridius in Heliogabalo exhibita narrat *aprugna per decem dies tricena quotidie cum suis vulvis*. Porro elixabatur ejuscemodi

edulium & cymino, aceto acri & ſilphio condiebatur. Id me docuit Archeſtratus comicus.

Γαςέρα καὶ μήτραν ἑφθὴν ὑὸς ἔντε κυμίνῳ,
Ἐν τ' ὄξει δριμεῖν, καὶ σιλφίῳ ἐμβιβασῶσαν.

id eſt, *ſuis ventrem, & elixam vulvam cum cymino, cum aceto acri & ſilphio accedentem*. Pelle etiam detracta apponi conſueviſſe, ſcribit Martial. epig. 19. lib. 7. Sed & Apicius lib. 7. cap. 1 toſtam fuiſſe narrat, aliaſque apparandi rationes enumerat nonnullaſque præterea profert apud Athenæum lib. 3. Sopater comicus. Si quis autem quærat quale à *vulva* nutrimentum corpori noſtro accedat, uno verbo cum Galeno lib. 3. de alim. cap. 13. reſpondebo, *quadrupedum ventriculum, uterum ſeu vulvam & inteſtina duriora eſſe carnibus, ob idque etiamſi ritè conficiantur, ſuccum tamen generare non plane ſauguineum, neque inculpatum, ſed frigidiorem ac crudiorem, proinde multum temporis requirere, priuſquam ſatis confici & in probum ſanguinem mutari queant*. Non claudam hunc articulum, priuſquam quæſierim quid per *imbricem* porci Martialis epig. 37. lib. 2. intellexerit. Ejus hæc ſunt verba.

Quicquid ponitur, hinc & inde verris
Mammas ſuminis, *imbricemque* porci.

Martialis explicatus & correctus.

Thomas Dampſterus partem eam interpretatur qua urina emittitur, non minus quam per imbricem ſeu tegulam aqua pluvia defluit: ſed cum pars ea una cum veſica mortuo porco extraheretur, cumque in delitiis non eſſet, ea minimè intelligenda venit: Domitius Calderinus lumbum putat, Ramiſius vertebram demptis coſtis, Scrive-

rius auriculam plane imbricem referentem, ego *vulvam* crediderim, locoque porci, *porcæ* ſubſtituendum eſſe, quod ſumina & vulvæ non ſint porcorum ſed porcarum, *vulvam* autem vocat *imbricem*, quia ſuppoſita veſicæ ad inſtar imbricis incurva ſit & excavata.

Sequuntur modo *intranea*, & quicquid *inteſtinorum* nomine ſignificatur, quibus vendendis locus olim in urbibus dicatus erat, qui μαγειρεῖον, καὶ ἀλλαντοπωλεῖον, ab Alexandrinis ἑφθοπώλιον, quod cocta ejuſcemodi edulia illic venirent, vocabatur, nobis dicitur *la Tripperie*. Ex his primus eſt venter, γάστηρ καὶ κοιλία, dictus, qui Homeri temporibus edi ſolebat. Sic ille ὀδυσσ. Venter.

Γαστέρες αἳ δ' αἰγῶν κέατ' ἐν πυρί, τὰς δ' ἐπὶ δόρπῳ
Κατθέμεθα, κνίσης τε καὶ αἵματος ἐμπλήσαντες.

id eſt, *ventres hi caprarum jacent in igne, hos autem in cœna deponamus pinguedine & ſanguine impletos:* An autem hoc loco γαστέρων nomine intelligendæ ſint κοιλίαι, an vero ſecundum Dydimum & Euſtathium φύσκαι, an denique ex Demoſthene Bythino ἤνυστρα, dubitari poteſt. Si enim ut vult Caſaubonus γαστέρες, hoc loco ſunt botuli, φύσκαι, potius erunt quam κοιλίαι, cum botuli fiant ex craſſioribus inteſtinis quas Greci φύσκας vocant. Ego certè γαστέρες exiſtimo hic & κοιλίας & ἤνυστρα ſignificare, cum hęc omnia ſint ſynonyma ventriculoquę deſignando accommodata: Nonnihil tamen inter ea diſcriminis eſt, cum κοιλία unam ventriculi ſpeciem, ἤνυστρον aliam ſpeciem ſignificet. Docet quippe Ariſtoteles libro tertio de partib. animalium capite quarto, animalia cornigera ruminantia, & altera parte dentata, quatuor ciborum receptacula habere; κοιλίαν ſcilicet κυρίως dictam

Homeri locus expoſitus.

κεκρύφαλον, ἐχῖνον, καὶ ἤνυστρον, quod ipſum repetit l. 2. de hiſt. animal. cap. 17. primam civitatem vocans κοιλίαν μεγάλην. Quidam apud nos ἐχῖνον vocant *le mire-feuillet*, Plinius *centipellionem*; ἤνυστρον vero *le mullachon*; κεκρύφαλον autem *la coiffe*; μεγάλην denique κοιλίαν, *le gras double*. Scio Scholiaſtem Nicandri ad Theriaca tres tantum cavitates conſtituere, & alio ordine recenſere, primam enim vocat, (quam ultimam ponit Ariſtot.) ἤνυστρον. alteram ἐχῖνον, tertiam κεκρύφαλον, ſed de ea difficultate alibi. Quod ad rem facit, illud eſt vocabulum ἤνυστρον, quod cum certum ventriculum denotet, ſynonimum eſſe videtur, τῆς κοιλίας, καὶ τῆς γαστέρος, de quo loquitur Homerus, quemque certum eſt ſanguine & pinguedine fuiſſe refertum ad eſum, quod edulii genus etiam hodierna die à noſtris Omaſariis parari vocarique *Guoguas* animadverto. Et certè à priſcis legas frequenter modo γαστέρας, modo κοιλίας, modo ἐχίνους, modo ἤνυστρα, pro uno eodemque edulio ex ventriculo parato nominari. γαστέρων, meminit Ariſtophanes in nubibus act. 1. ſcen. 4. κοιλιῶν, idem in Equitibus apud Athenęi l. 3. c. 14. ἐχίνων, Adrianus Junius in Nomenclat. ἤνυστρων, idem Ariſtophanes loco citato & Dioxippus in Antipornoboſco; ut de hac veritate nemini ſit dubitandum. Ventres autem leporum, ſuum, boum, caprarum in uſu priſco fuiſſe non eſt quod pluribus oſtendam, nec quale alimentum ſuggerant exponam, cum ſupra ſit dictum.

Ventriculum excipiunt *inteſtina*, quæ duorum ſunt generum: tenuia ſeu gracilia, & craſſa ſeu pinguia. *Inteſtinorum* meminit Anaxandrides in Satyro ipſaque vocat ἀλλάντα, unde nomen ἀλλαντοπωλεύς: meminit quoque Artemidorus Ariſtophanienſis in condimentariis, ſed ipſa vocat ἔντερα. *Inteſtina*

testina autem gracilia & tenuia, Græci appellant χορδὰς, Latini *lactes*. χορδῶν fit mentio apud Athenæum ex Eubulo in Læda lib. 7. extremo, ex Epicharmo, ex Antiphane in nuptiis lib. 3. cap. 15. Quod autem χορδαὶ *gracilia intestina* significent, Cratinus in Pythine cum de homine gracilli loquitur, ait eum adeo tenuem esse ... λεπτὸν, quam est lacteum frustum τῆς χορδῆς τόμος. Neque vero *intestina* tenuia solummodo vocarunt Græci χορδὰς, sed etiam χορδάρια, teste Alexi in fugitivis, χόλικας auctore Eubulo in Leda & Dioxippo in Antipornobosco, ac denique κοιλίαν assertore Antiphane in Philotide, & Eubulo in Deucalione. Plinius vero auctor est lib. 11. cap. 37. partes à vẽtriculo *lactes* in homine & ove per quas labitur chylus; in cæteris vero *Ile* vocari à quibus capaciora intestina dependent. *Lactes* tamen Plautus de gracilioribus intestinis animalium præter hominem & ovem etiam dixit. Persius pro intestinis pinguibus sumsit; Theodorus Gaza pro *mesenterio*, minus recte, nisi μεσάραιον exponamus cum Hesychio pro *ventre* aut *intestinis tenuibus*, quo sensu meseræum idem erit cum lactibus. Epicharmus apud Athenæum χορδὰς appellat ὀρύας quod nomen uni ex suis fabulis fecit, Latini ἀπὸ τῶν ὀρυῶν finxere *hiram*, & ab *hira hillam*, seu *hilam*, quæ ut Festus Pompeius auctor, *farcimen* est aut *intestinum minimum*. Varro lib. 4. de ling. lat. *hilam* ab *hilo*, id est, *minimo* dictam arguit, & significare quod in farcimine tenuissimum intestinum fartum. Porro intestina gracilia esu suavissima fuisse testatur Epicharmus in Megaride qui χορδὰς appellat suaves ac lautas; nec non Aristophanes in Proagone, qui negat ambustum rostrum porci aspicere posse post *lactes* de-

gustatas. Axionicus quoque in Chalcide lactes inter scitissima atque lautissima recenset, sed & Horatius hillas commendat ad appetitum excitandum libro secundo. Satyr. 4.

> Tostis marcentem squillis recreabis, & afra
> Potorem cochlea; nam lactuca innatat acri
> Post vinum stomacho: perna magis ac magis hillis
> Flagitat in morsus refici.

Error interpretum Athen.

Ut gracilia, sic crassa intestina fuere in delitiis. Ea nuncupabant φύσκας, amplissima nimirum intestina, è quibus fartis fiunt Lucanicæ: ejus edulii frequens apud Athenæum mentio, sed minimè ferendi Athenæi interpretes, qui φύσκας in omenta vertunt, cum omentum sit operimentum intestinorum quod vocamus ἐπίπλοον. Invenio apud Varronem loco citato *Murtatum* à myrto dici, quod eo large fartum intestinum crassum. Cæterum ex tenuioribus intestinis fiunt *Botelli* nostri & tomacula quæ vocamus *Boudins* & *Saulcisses*, ex crassioribus vero farcimina crassiora, quæ vocamus *Cervelats* & *Andoüilles*, quibus omnibus abstinebit qui suæ valetudini consultum volet.

Mesenterium.

Alligata sunt intestina Mesenterio, quod Greci μεσάραιον καὶ μεσεντέριον vocant; corpus nimirum membronosum intestina colligans venis, arteriis innumeris, adipe copioso & adenibus intextextum. Cujus meminisse videtur Antiphanes in nuptiis apud Athenæum libro tertio capite decimo quinto, cujus verba emendare conabor. Sic vulgo legitur.

> Ἐκτεμὼν χορδῆς μέσιον
> Ποδῶν δὲ καὶ ὤτων, ἔπι δὲ ῥύγχυς.

Casaubonus reprehensus.

Casaubonus corruptum locum advertens legendum suadet μέσατον, vel μεσάτιον, sed quæro

quod μέσαπτον tenuium inteſtinorum, quæve lautitia in illa parte? Secundo ut μεσάπτον τῆς χορδῆς admittam, peto quod ſit medium pedum, medium aurium, medium roſtri, vel quis veterum Comicorum ita locutus eſt unquam? Sic ergo lego:

Ἐκ τομῶν χορδῆς μεσαραίου
Ποδῶν δὲ καὶ ὠτίον ἔτι ῥύγχους.

id eſt, *ex amputatione ſeu ſectione lactium, meſentorii, pedum quoque & aurium ac inſuper roſtri.* Apud nos magno eſt in uſu meſenterium vituli lactentis & obeſi, quod vocamus *criſpulum, le phraiſin*, edi ſolitum ſuaviſſime cum tantillo aceti, glandes enim & modica pinguedo, quibus differtum eſt neſcio quid ſuavitatis afferunt, ſed alimentum ſuppeditanr, nec multum nec eximium. Athenæus correctus.

Succedunt *Ilia*, quæ eadem non ſunt ac *Ile*: hoc enim tenue eſt inteſtinum, ut ex Plinio deduximus; *Ilia* vero plurali numero, ut explicat Hermol. Barbarus pro ea parte habentur, quam Græci ab inanitate, κενεῶνα & quod flaccida ſit, etiam λαγόνα vocant. Sed quod in illis partibus inteſtinum Ileum ſitum ſit atque collocatum, idcirco factum eſt ut continens pro contento uſurpatum ſit ab iis qui de victus ratione egerunt. Sic Xenophon in venatorio λαγόνας ὑγρὰς dixit pro *Ileo inteſtino*, pingui & humenti, apud Athen. 9. deipnoſ. Ilia:

Occurrunt deinceps multa vocabula quæ uberibus denominandis accommodata videntur, οὖθαρ, ὑπογάστριον, ὑπογάστριον, ὑπογάστριον, *ſumen, mamma, ſpectile ſeu ſpetile, uber, abdomen*; de quibus omnibus nonnullas auctoritates proferam, ut quanto in luxu olim ea pars fuerit, omnea audiant. Quamvis Athenæus obſervet lib. 9. deipnoſ. οὖθαρ de mulierum mammis propriè dici, attamen He- Mãmæ.

rodotus in Melpomene eo vocabulo usus est ad mammas equorum significandas, Aristoteles ipse lib. 3. de hist. animal. capite penultimo οὖθαρ ad mammas ovium, caprarum, vaccarum, aliarumque quadrupedum traduxit, μαστοὺς vero ad mammas mulierum. ὑπογάστριον quoque & ὑπήτριον, id est, *pars ab umbilico ad pubem usque descendens*, eodem Athenæo assertore fere de piscibus tantùm in usu est, quemadmodum probat ex auctoritate Strattis in Atalanta, & Theopompi in καλλαίσχρῳ. Nihilominus ἤτρια de porcello dixit Aristophanes in Tagenistis & in Thesmophoriazusis, necnon Lucianus in Lexiphane. Antidotus similiter in Querula, ὑπογάστριον, non ad videtur ad pisces, sed ad quodvis οὖθαρ designandum traduxisse. Teleclides, inquit Athenæus libro decimo quarto capite vigesimo primo, meminit οὔθατος, quod Antidotus vocavit ὑπογάστειον. Ipsemet Athenæus libro nono capite quinto epigastrium de porcis dixit, ubi exponit modum coquus quo se usum jactitat ad farciendum porcellum media parte assatum, altera media elixum. De *sumine* nemo non loquitur. Lucilius Satyr. lib. 4. Plinius lib. 11. cap. 37. Petronius in cæna Trimalcionis, Plautus in Pseudolo, Curculione, Captivis, Persius Satyra 1. Apicius lib. 9. cap. 12. Martialis, cujus unius verba adducam ex epig. 44. lib. 13.

> Esse putes nudum sumen, sic ubere largo
> Effluit, & vivo lacte papilla tumet.

Tanti certe *sumina* veteres faciebant, ut inter lautiora computarent, Plautus in Pseudolo, act. 1. scen. 2.

> Nam mihi hodie natalis dies est; docet eum omnes celebrare.

Pernam, callum, glandium, ſumen facito, in aqua
jaceant, ſatis audin?
Magnifice enim volo ſummos viros accipere.

Mammas ſuminis nominavit Martialis epig. 37. lib. 2. *Abdomen* porcæ Juvenalis Satyr. 2. expreſſit, quamvis nonnulli id velint eſſe in maribus *Abdomen*, quod in fœmellis *ſumen*. Plautus in Milite *abdomen* pro pudendis & *teſtibus* ſumpſit.

Quin jam dudum geſtio mœcho huic abdomen adimere,
Vt faciam quaſi puero in collo pendeant crepundia.

Sed idem eſſe *abdomen* cum *ſumine* convincit locus Plinii lib. 8. cap. 51. qui ſic habet. *Hinc cenſoriarum legum paginæ, interdictaque cœnis abdomina, glandia, teſticuli, vulvæ, ſyncipita verrina, ut tamen Publii mimorum Poëtæ cœna, poſtquam ſervitutem exuerat nulla memoretur ſine abdomine, etiam vocabulo ſuminis ab eo impoſito.*

Expoſitis partibus quadrupedum quæ in cap. thorace, & abdomine continentur, ſuperſunt *extrema* quas Græci ἀκρωκώλια vocant, Heſychius κωλῆας. Sunt vero proprie ἀκρωκώλια in macellis & culinis *extremi pedes* mactatarum victimarum, quos Galenus appellat ἀκρέα μόρια, Cęlius Aurelianus *membrorum ſummitates*, quamvis alibi crura porcina dicat à Græcis ἀκρωκώλια vocari. Plura de hac dictione lege apud Caſaubonum cap. 32. lib. 2. & cap. 1. lib. 9. in Athenœum; *Pedes* ergo quadrupedum Ariſtoteles & Heraclides Tarentinus ponunt inter cibos μυξώδεις habenteſque aliquid ὀλκιμον καὶ γλίσχρον, Mneſitheus Athenienſis *capita & pedes* οὐ πολὺ τὸ θρέψιμον καὶ λιπαρὸν habere

ſcripſit, Antiphanes in Corinthiacis eos ait *veneris eſſe victimam*, Anthippus Comicus in abdito *eoſdem philoſophorum eſſe edulium* prodidit; ideo ὅτι ἀδδηφάγον τὸ ζῶον εἰς ὑπερβολὴν ἐστιν, *quod philoſophi, genus ſit animalis perquam edax.* Commendantur noſtris temporibus *pedes porcini, vitulini & ovilli:* porcini pedes meliores roſtro, ſed parari non debent cum multo pipere, neque cum multa cepa, licet enim hęc eorum craſſitiem edomant, ſtomacho tamen inimica ſunt & jecori noxia. Vitulini & ovilli pedes, cum viſcidi ſint, ſpumoſi ac multo mucore referti craſſæque ſubſtantiæ ac duræ concoctionis, crebro ſuo uſu calculum generant, vrinarioſque meatus obſtruunt.

Glandium. Præter partes jam explicatas video quoque à veteribus commendata *glandia* & *collum*. *Glandia* ſunt partes glanduloſæ quocunque loco natæ circa collum, inguina, meſenterium: proprie tamen *glandium* ſumitur pro glandoſo corpore, molli, ſpongioſo & albo quod *thymum* vocant, quodque in ſumma thoracis parte juxta jugulum ſterno ſubjicitur, velut pulvinar ad vaſorum aſcendentium diſtributionem. Ejus eſum commendat Plautus in Pſeudolo & Curculione, vocatque *glandionicam* in Mœnech. act. 1. ſcen. 3. Martialis appellat *glandulas* epig. 81. lib. 5. & 19. 7. Plinius recenſet inter ea quæ Cenſoriæ leges prohibuerunt. Hodie ſuaviſſimum eſt *glandium* vitulinum, quod dicimus *la fagoüe*, vel ἀπὸ τοῦ φάγειν, vel quod œſophago proxime incumbat.

Callus vel Callum caro erat pinguior ſuilla durata, & mirum in modum denſata, ut videretur callum à natura obduxiſſe. Fuit inter lautitias veterum à Plinio, Plauto, Nænio laudata ſed quia

dura, difficulter concoqui; quia ſicca, parum alimenti miniſtrare poteſt. Scio alias partes in uſu fuiſſe, & etiamnum hodie eſſe, ſed ad vivum omnia reſecare, hominis eſt potius curioſi quam docti, quare ad alia commigro.

De partibus piſcium.

APPENDIX PRIMA.

CUM Salernitani de piſcium partibus nihil monuerint, operæ nobis pretium viſum eſt ad complementum hujus doctrinæ nonnihil etiam de illis quemadmodum de partibus avium, atque quadrupedum, annotare, quęve earum apud veteres & apud nos hodierna die maxime commendatæ ſint, breviter perſtringere.

Caput piſcium in quibuſdam edule eſt, in aliis præ macie atque ſiccitate minime edule. Olim in honore fuiſſe video *caput Glauciſci* piſcis: nam Plato Comicus in Impoſtore quorundam philoſophorum ingluviem perſtringens, ſcribit ſi aſſus glauciſcus apponatur, ſcire eos quis primum attingendus ſit locus, caputque mox impetere. Laudat Eubulus in Cambylione glaucum marinum *εὐγενέστερον λάβρον* *generoſam faciem ferentem*: Anaxandrides in Nereo vocat *Glauci* ora execta grandia: *πολυτελῆ* *magni pretii*: Amphis in ſeptem ad Thebas *Glauci* ſecamenta & capitis carnoſas partes nominat: *Congri* quoque caput in Cyclope extollit Antiphanes; Archeſtratus in Gaſtronomia & Archedicus in theſauro; Archeſtratus Opſodædalus *hyanæ*: Noſtri hodie *Sal-* Caput.

monis, *umbrinæ*, *carpionis*. Jovius narrat tanti caput *sciena* sive *umbra* fieri, ut Triumviris rei Romanæ conservatoribus dono detur, qua de lepidam affert histotiam quam apud eum lege. Siluri quoque caput sunt qui comedant. Certe caput *Mulli* apud Galenum à gulosis laudatur, adeout non emeretur nisi propter *caput* & *jecur*. Aristophanes in Lemniis, ut citat ejus Scholiast. in equitibus *cranium Lupi* piscis nominat ceu rem lautissimam, sicut & *Glaucorum*, inquit, cerebrum est. Nec minori in gloria fuit *Thynni* caput ex Alexi, velut etiam *torpedinis*, cujus partes circa caput teneræ sunt, stomacho gratæ & concoctu faciles ex Diphilo.

Lingua Quis vero crederet nonnullorum piscium *linguam* expeti? Scimus tamen *delphini linguam* teneram & pinguem in delitiis esse, ac etiam ipsi hepati alias delicatissimo prçferri. Imo caput *Cyprini* non alia de causa expetitur, quam propter *linguam*. Eam prædulcem evadere præsertim si assetur, Albertus annotavit, venerem vero exstimulare prodidit Jovius. Quod tamen non de lingua, sed de palato audiendum est, quod vulgo pro lingua esse creditur. *Aquatilium generi*, inquit Arist. lib. 4. de hist. animal. cap. 8. *data quidem est lingua, sed imperfecta incertaque, ossea enim nec absoluta, sed palatum nonnullis carnosum pro lingua est, veluti inter fluviatiles Cyprino, itaut nisi diligenter inspexeris, lingua id esse videatur.*

Oculi. Parum est linguas pisciũ edi, nisi in eorum oculos atque barbam gula invaderet, Eustathius *oculos glauci* prçcipue commendari observat, *Salmonis* oculos teneros & adiposos ut rem scitissimam de-

licati vorant. Lampridius in Heliogabalo narrat velut rem ſtupendam, eum Imperatorem plenis fæbatariis & diſcis exhibuiſſe *barbas mullorum* pro Naſturtiis, apiaſtris, & fænugręco. Juvenalis ipſe Satyr. 6. eas barbas quas *bubas* vocat, viſus eſt velut rem delicatam nominare. Barbæ.

———— Tollere dulcem
Cogitat hæredem, cariturus turture magno,
Mullorumque bubis, & captatore macello.

Plinius autor eſt Thynnos *cervice* atque *clidio* gratos eſſe. Clidiũ. Eſt autem *clidium* ea pars, quæ pectus à cervice diſterminat, quæque à Latinis *jugulum* appellatur. Partes vero illæ duæ ſalitæ, clidium & cervix, *omotarichum* dictæ ſunt, quemadmodum teſtatur Xenocrates & nomen ipſum indicat, παρὰ τοὺς ὤμους, id eſt, *ab humeris* impoſitum: ori gratum eſſe, ęgreque vitiari idem Xenocrates prodidit apud Oribaſium collectan. libro ſecundo capite quinquageſimo octavo, qui *abdomen* Thynni ſalitum θύννιον, ſive θυνναῖον vocat, cęteras vero partes ταρίχα. Ad quam rem obſervabis ex Hermolao, Gręcos tribus nunc nominibus ſale condîtos piſces diſtinguere, dorſi enim portionem appellant *rachin*, Platina *ſpinale*, quod ex dorſo & ſpina fiat; coſtas vero & latera *pleuram*; alvum denique cum pube, *hypocolium*.

Hepar quamplurimis piſcibus laudatiſſimum Hepar. exiſtit. Eſt & maximum *Aſellis*, & delicatiſſimum & cęterorum piſcium jecinoribus anteponendum. Albertus tradit *Siluris* hepar adeo dulce eſſe, ut niſi felle temperetur nauſeam ſit pariturum, *Barbota* Gallorum hepar magnum habet ac delicatum; *Muſtellarum* fluviatilium jecinoribus tanta ſaporis gratia ineſt, ut apud Tubingos olim

Comitis cujusdã Bichlingorum matronam omnes dicant principatus sui reditus in eorum delitias consumpsisse. Mathiolus jecur *gobionum* fluviatilium maximam cum palato inire gratiam scripsit: Hepar lupi assum & mali aurantii succo condîtum delicatissimum esse tradidit Rondeletius, adeout neque Galli Gallinacei, neque anseris hepati ullo modo cedat. Hinc Dalechampius sceleſtissimum illum Ægyptium piscium institorem Hermęum *lupos* exenteratos vendidisse conjicit, ut scilicet hepar seorsum venderet suavissimum. Hepati *torpedinis* ullam teneritudinem pręferri negat Plinius lib. 9. c. 42.

Latera, viscera, ventrem, lactes abdomen intestina, Ilia, Lumbos, caudam, ova, piscium *cutem* lau-
Latus. dari quis non audivit? *Latus* Accipenseris facetissimus Comicus extulit, Murenæ Martialis libr.
Visce- 2. epigram. 37. Nihil in Scaro lautum delicatum-
ra. que agnovit idem Martialis in distichis pręter viscera.

Hic scarus aquoreis qui venit obesus ab undis
Visceribus bonus est, cætera vile sapit.

Idcirco vulgo circumfertur insipidum esse *Scarum*, nisi cum suis edatur fæcibus, ex quo factum est, ut Archestratus integrum non exenteratum parari pręciperet apud Athen. l. 7. Cardanus *viscera* Delphini non solum sapore, sed & odore quasi violæ
Venter. delectare auctor est. *Venter* husonis non sine gloria est, cum sapore carnem porcinam, velut & dorso vitulinam præ se ferat, ex Alberto Magno. Falconius Hetruscus referente Jovio plebeius ganeo, sed eruditioris gulæ, cum in Hispania cetariis præesset, novum & sapidissimum obsonii genus è Thynnorum *ventre* commentus est: circumciso abdomine umbilicos enucleando & sale acetoque

& fœniculo inclusos cadulis condiendo ; ita ut mox id cibarii genus plerique appeterent, ac propter jucunditatem mirarentur, quem modo ut inutilem ex officinis everrere consuevissent. *Lactibus* lupi quamquam delicatissimis, tamen Heliogabalus in locis mediterraneis rusticos pavit teste Lampridio, negavit Husonis *lactibus* quicquam in cibo, aut dulcius, aut delicatius reperiri. Murænarum *lactes* minime despiciendæ, iis licet abuteretur Heliogabalus. Plinius *abdomine* Thynnum celebrari prodidit, ipsumque salitum vocari θυνναῖον supra dictum est. Eam partem cæteris partibus pinguiorem, saporeque meliorem Hicesius protulit. Eriphus in Molibea ob pretium negat *Inopes posse emere Thymni totum ventrem, lupi caput, congrive, aut sepias, quæ ne deos quidem valde despicere censet.* Hicesius præterea *Abdomina* Orcynorum quod pinguia sint multo cæteris partibus suaviora narrat, clidiis tamen inferiora. Vide quo etiam gula irruperit, *intestina* fæcibus excipiendis dicata probantur in Salmone, in Asello, in Congro. *Ilia* Rhumborum Horatius prędicavit lib. 2. serm. 8.

Lactes. **Abdomen.** **Intestina.** **Ilia.**

Nos inquam cænamus aves, conchylia, pisces
Longe dissimilem noto celantia succum;
Vt vel continuo patuit, cum Passeris atque
Ingustata mihi porrexit Ilia Rhombi

Lumborum Sphyrenæ, seu Sudi meminit Antiphanes; eosque cum aliis laudatissimis obsoniis commemorat. Ophrum teneriori esse circa *caudam* carne Athenęus libr.8. docet, quod reliquis piscibus commune esse videtur ob motum continuum *caudæ* à quo excrementitiæ partes dissipantur. Thynni *caput* Alexis laudat, sed *caudam* Antiphanes. Vulgari proverbio fertur Cyprini *caput*,

Lumbi. **Cauda.**

Scardulæ *partem mediam*, Lucii *caudam* à cupediarum peritis expoſci. Denique etiam *cuti* ſua gloria, nam *pellis* Tincæ à noſtris mulieribus in delitiis habetur, & carni longe pręfertur. Quid

Semen. plura? *ſemen* ipſum piſcium non illaudatum remanſit. Hagemon enim in Philinna quoſdam inducit γόνον, id eſt, *ſemen* ac *genituram* piſcium frixam comedentes.

Μάλα ταχέως αὐτῶν πρίω πόλυπον
Καὶ δὸς καταφαγεῖν κ' ἀπὸ τηγάνου γόνον.

Tu, inquit, *quamprimum Polypum eme, & da manducandum, vel è ſartagine piſcium ſemen.* Tu fortaſſe, nec immerito, quęres quid per γόνον poëta intellexerit? an illud quod vulgo vocatur *ſperma ceti*, *haloſanthos* veteribus? an noſtram *Ambram Grizaam* & odoratam quam nonnulli Azeli piſcis, vel Balęnæ genituram eſſe volunt, quamque hodierna die in delitiis habent propter odoris fragrantiam condimentis ſuis admiſcentes novo & periculoſo luxu, cum exinde ſpiritus inflammari, capita dolore tentari, febres accendi, veneris ſtimulos irritari contingat? minime gentium.

Ova. γόνος hoc loco *ova piſcium* ſignificat, quorum nonnulla in pretio & honore fuere. ᾠὰ enim ταρίχα, hoc eſt *ſalita*, καὶ μετὰ ἁλῶν σβεσθέντα, *cum ſale repoſita*, deinde aſſata ori ſuavia tradit Athenęus libro tertio c.33. quamvis ægre coqui aſſerat. Percatum *ova* craticula toſta placent, etiam delicatis & eruditis palatis. Elixantur frigunturve ſuaviſſime *Cyprina*: condiuntur lautiſſime Salmonea; laudantur lupi *ova*, ſquali, Gobii, Huſonis, mugilum, quorum pręparandi rationem tradit Platina libr. 10. capit. 62. Rondeletius vero teſtatur à ſuis piſcatoribus Mugilum ᾠὰ τάριχα conſervari, & à bibacibus magno emi, quia de-

jectam appetentiam excitant, sitim proritant, vinique gustum jucundiorem reddunt. Culinæ nostræ gammaros fluviatiles *ovis* refertos magnificant in mensis. Damnantur vero *ova* Barborum quæ tormina intolerabilia concitant, & quandoque vomitiones, alvique dejectiones copiosas movent. Luciorum *ova* eduntur quidem, sed flatibus ventrem distendunt; æque prava sunt Asellorum fluviatilium *ova* atque Barborum, eadem enim symptomata excitant.

De Electione Animalium eorundemque partium.

ALTERA APPENDIX.

QUoniam superiori Corollario partes piscium recensuimus quæ meliores præstantioresque vulgo existimantur; non abs re erit hac Appendice, de avium quadrupedumque partibus, ut melioribus sic lautioribus pertractare, quove tempore, atque ætate, tum aves, tum quadrupedes edendæ sunt, ut præstantiores habeantur, breviter commonere. Sua enim cuilibet rei est ætas temporisque opportunitas, extra quam si suscipiatur, deponit gratiam & commendationem amittit. Exordiemur autem ab avibus Alphabetico ordine servato, mox ad cętera animalia perrecturi.

Alauda optima censeri debet mense Octobri & Novembri, imo tota hyeme, secundumque omnes suas partes lauta existit *felle* dempto. Alauda

Anas hyeme præsertim probatur, sit vero unius anni, ex eaque edantur *pulpa pectoris*, *je-* Anas.

cur & posteriora: ex sylvestri vero anate *ala* laudantur, à Septembri usque ad Januarium mensem.

Anatinus pullus. *Anatinus* pullus domesticus sex octove septimanarum commendatur, sylvestris vero trium mensium, idque toto æstatis tempore: seligantur autem partes *posteriores* ac *pectorales*.

Anser. *Anser* annum non excedat, hyeme edatur, *pectore, jecinore*, & *posterioribus* probanda. Ejus pullus vere & æstate melior; uno aut altero non major mense.

Anser sylvestris laudatur mense Octobri, & reliqua hyeme.

Boscas *Boscadis* quam *Sarcellam* vocamus, *posteriora* & *pectoralia* probantur hyeme præsertim.

Capus. *Capi* ætas sit unius anni, ab Octobri mense ad Aprilem usque edatur, ejusque præsertim partes, *alæ, orropygium, pulpa pectoralis* desectæque de ea *ligulæ*; nos vocamus *albas partes*.

Coturnix. *Coturnix* Augusto, Septembri, & tota hyeme probari solet *posterioresque* ejus partes lautissimæ habentur.

Columbini pulli. *Columbini* pulli trium sexve septimanarum præstantiores existunt, quorum primæ partes sunt *coxa & venter*.

Fulica. *Fulica* seu *Gallina Aquatica*, ut hyeme sic *pectore* commendatur.

Gallina. *Gallina* annua Januario, Februario & Martio lauta est, maxime si ex ea *alas*, *orropygium*, & *pulpam pectoralem* selegeris. Ejus pullus sex septimanarum scitissimus, cujus *alæ* potiores ab Aprili mense ad Augustum. Sylvestris vero Gallina quam Gelinottam vocamus à Septembri ad ver usque laudatur alis expetenda.

Gallina Indica. *Gallina indica* hyeme potior, *pectore* & *ventre* sua-

vior. Ejus vero pullus Vere melior cum est duorum aut trium mensium.

Gallinago posteriores partes delicatiores obtinet, totaque hyeme non improbatur. Galli-nago.

Mergus qui vulgo *Plongeon* dicitur, *posterioribus* partibus placet, hyeme præsertim. Mer-gus.

Merula mensis unius pluriumve non aspernanda, Septembri, Octobri, totaque hyeme. Meru-la.

Oenas, *biset* dicta hyeme partibus *posterioribus* non minus quam merula delectat. Oenas.

Palumbus sex septimanarum hyeme placet *anterioribus* suis partibus. Palum-bus.

Passeres omni tempore grati, sed hyeme magis, quod æstate propter salacitatem macriores aridiores, calidioresque evadant. Passer.

Perdix optima existit Octobri ad ver usque *omnibus* partibus placitura, sed *alis* maxime. Ejus pullus sex octove septimanarum Julio, Augusto, & Septembri regium est edulium. Perdix.

Phasianus autumno & hyeme laudatus, *alis* quam *coxis* melior, ejus pullus sex octove septimanarum æstate suavissimus. Phasia-nus.

Pavo omni tempore probatur. Pavo.

Phalacrocorax, seu corvus marinus, Gallis *Cormoran*, *pectore* placet ut hyeme. Corvus mari-nus.

Pluvialis posterioribus partibus gratus est. Pluvia-lis.

Rostratula autumno & hyeme scitissima, *omnique* sua parte atque ipsis etiam *fæcibus* suavissima, si edatur à Septembri ad Martium usque. Rostra-tula.

Turdus seu *Griva* nostra unius mensis placet, autumno & hyeme. Tur-dus.

Turtur vero æstate & autumno. Turtur.

Quod ad quadrupedes attinet *Aries* à mense Maio ad Septembrem usque probatur, debetque esse unius aut alterius anni, potiores Arietis inter Aries.

partes habentur *armi*, *coxa*, *costæ* & *crura*.

Agnus. *Agnus* sex octove septimanarum hyeme & Vere commendatur, ejusque partes *anteriores*.

Bos. *Bos* toto anno editur, sed à Septembri ad Martium usque, caro ejus potior, maxime si bos quinque sit annorum, ex partibus *pectoralis* pulpa, *lumbares* partes, & musculi *coxarii* expetuntur.

Cuniculus. Lepus. *Cuniculus* hyeme scitissimus & æstate, *vertebris* ad lumbos, *coxis*, & *armis* delectat: *lepus* quoque, sed hyeme rigida edi debet. *Lepusculus* omni tempore probatur, si sit duorum triumve mensium.

Hœdus. *Hœdus* uno aut altero natus mense vere optimus, præstat tamen ejus *posterioribus* partibus, *costis*, *ventre*, *capite* & *pedibus* vesci quam aliis.

Porcus. *Porcus* hyeme suavior, *porcellus* quovis laudatur tempore: Ille duos excedere annos non debet, hic unius mensis placet. Commendatur *porcus* *vertebris* dorsi, & *lumborum*, *costis*, *auriculis* & *pedibus*; porcellus vero *pelle*, *auriculis*, & *extremis* partibus delectat.

Vitulus. *Vitulus* denique à Decembri ad Maium usque probatissimus, cujus *lumbi*, *pectus*, *venter*, *caput*, *hepar*, *renes*, delicatiores censentur.

Cætera non recenseo, adi Bruyerinum, Platinam, Quercetanum, Legium, Gazium, Goclenium, Jul. Alexandrinum, Alex. Petronium, Isaacum, & ejus comm. Hispanum, atque ut uno verbo dicam eos qui de re cibaria scripserunt. Nec enim unquam finis si cuncta decerpere tentavero. Et certe candidatis Medicinæ hæc sunt satis, doctis vero plus satis.

De excrementitiis partibus avium, Ovis.

CAP. LXXIII.

De electione Ovorum.

NOn vult mentiri qui vult pro lege teneri "
Quod bona sunt ova hæc candida, longa, "
nova. "
Hæc tria sunt norma, vernalia sunt meliora. "

Animadversio.

VT prioribus insistamus vestigiis, post explicatas animalium partes proprias, *excrementitiæ* explicari debent, sumpto initio ab *ovis*, quæ avium videntur esse propria; quamvis & pisces & quadrupedum nonnullæ *ova* ferant. Libenter vero exoptarem, ut quæ fusè & copiosè annotata sunt de *ovis* à commentatoribus ad caput secundum hujus sectionis, ad hunc revocarentur proprium locum: sic enim & tenebræ non offunderentur illi capiti, & huic lux major affulgeret. Dum hęc cogito, ecce venit in memoriam vetus commentarium illi loco adhibitum tantùm fuisse, non novum Monspessuli editum Francisci Chovetti opera: quod quidem cum locupletius extet, eleganterque *ovorum* naturam exponat; quid nocebit huc transferre & appingere? Imo vero ne quid in hac editione desiderare possis, quod in aliis habetur, præstabit, ut evulgatum est hunc in locum transcribere. Sic vero se habet.

Haec pertinent ad cap. 2. hujus sect.

Tria alimentorum genera exigua mole plurimum nutrientia, his versibus comprehenduntur.

Primum, ova recentia, de quibus Galenus libro tertio de aliment. facult. cap. 21. in hunc scribit modum: Ova recentia veteribus plurimũ prestant, quippe optima sunt recentissima, vetustissima autem pessima. Quae vero in horum medio sunt, proportione recessus ab extremis, bonitate aut pravitate inter se differunt. Idem lib. 1. aphorism. comment. 4. ova inter alimenta pleni victus numeravit. Quam sententiam Avicenna quoque cum aliis plerisque locis, tum maxime 4. 1. cap. 1. his fere verbis confirmat: Quandoque est nutriens parvae quantitatis, plurimo reficiens alimento: ejus generis sunt potissimum ova, & testes gallinacei, quorum fere nutrimentum cum ipsorum pensatur pondere. Porro ovorum multae inter se sunt differentiae. Et prima quidem penes propriam substantiam. Gallinarum enim, perdicum & phasianorum juvenum ac pinguium omnibus praestant, & ad victus salubris rationem accommodatissima sunt: anatum vero, anserum, Pavonum, struthiocamelorum, & similium, deteriora habentur. In figura quoque ovorum aliquod bonitatis discrimen est: parvula enim, oblonga & candida, reliquis succi probitate excellere creduntur, id quod vulgatis etiam hisce versiculis comprobatur.

1 Meth. med. c. 2.

> Regula presbyteri jubet hoc pro lege teneri:
> Quod bona sunt ova haec, candida, longa, nova.

Quin ab Horatio quoque hoc observatum esse etiam Plinius meminit, qui lib. 10. natur. histor. cap. 52. ita scriptum reliquit: Quae oblonga

sunt ova, gratioris saporis putat Horatius Flaccus. Locus est libro 2. Sermon. Satyr. 4.

> Longa quibus facies ovis erit, illa memento,
> Vt succi melioris, & ut magis alba rotundis
> Ponere.

Candida præstantiora dixit: atque ejus rei inde certissimum indicium colligas, quod anatum & anserum ova plus aqueæ naturæ possideant, pallidioraque & ob id cibo minus idonea sint. Quanquam vero ova per se quidem salubria sunt, cocturæ tamen ratione non parum immutantur, adeo ut interdum insalubria fieri possint. Nam quædam diutius coquuntur, alia ad mediocrem usque consistentiam: alia in aqua eousque duntaxat dum incaluerint, elixantur. Secundum quas differentias alia quidem ἑφθὰ, id est, cocta vocantur: alia τρομητὰ, id est, tremula, alia vero ῥοφητὰ, id est, sorbilia. Tremula itaque, hoc est, quæ eatenus per coctionem inspissantur, ut in manu tenentis in testa sine putamine suo tremere videantur, omnium sunt præstantissima, plurimum alimenti & optimi succi corporibus exhibent, facillimeque tum concoquuntur, tum distribuuntur, & sanguinem cordi quam maxime congruentem generant. Quare iis cum primis qui ex morbo debiles adhuc sese colligunt, senibus & imbecillibus conveniunt, præcipue vero eorum vitelli. Quod Avicenna quoque in libro de viribus cordis, Tract. 2. cap. 3. ubi ex professo de ovis agit, sic ferme scribens confirmat. Ova tametsi cordis medicina non sint, ad refectionem tamen ejus adsciscuntur. Nam ipsum valde corroborant, & potissimum eorum vitelli, dummodo sumantur ex ovis bonæ carnis avium, veluti gallinarum, perdicum ac

phasianorum. Ejusmodi enim temperatura constant mediocri; cito in sanguinem convertuntur, & post transmutationem parum superfluitatis relinquunt: sanguis autem inde genitus est subtilis ac clarus, cor maxime corroborans: quo fit ut ovorum vitelli in dissolutione substantiæ spiritus, & imminutione ipsius sanguinis vitalis, cæteris alimentis jure præferantur. Sorbilia autem ova tremulis minus quidem nutriunt, sed facilius subducuntur, & faucium asperitates ex vociferatione, aut ex humorum acrimonia lævigant. Ova vero immoderatiore coctura penitus densata, quæ Græcis ἑφθὰ vocari diximus, & ad coquendum sunt difficilia, & tardi transitus, crassiúsque alimentum corpori tribuunt. Porro iisdem ex vario præparationis modo major adjungitur aut bonitatis aut gravitatis occasio; nam hæc quidem assantur, alia elixantur, nonnulla friguntur, quædam denique in jure coquuntur. Assa igitur elixis crassioris sunt succi, ac difficilioris concoctionis: eorum enim genuina humiditas à foci caliditate depascitur: atque hinc sane eousque assata donec adurantur, ac tetrum odorem reddant, venenosam qualitatem induunt, quemadmodum Marsilius Ficinus in libro de vita cœlitus comparanda capite vigesimo secundo diligenter admonuit. Solent autem bifariam assari: aut enim cum putamine ferventibus cineribus integra obruuntur, aut testis suis franguntur: quorum hæc quidem deteriora sunt. Illa vero rursus duobus modis parantur: aut enim tota cinere cooperiuntur, aut ex parte nuda ad prunas collocantur. Quæ cinere tota obruuntur, pejora evadunt, quia densata undique à circumfuso igne, extrema parte fumorum exhalatio interci-

pitur ; nuda vero prunis impoſita , fumos exhalant depuranturque. Elixa aſſis præſtantiora ſunt : nam æquæ humiditas , ne foci caliditate exſiccentur , obſiſtit. Parantur & hęc quoque dupliciter : Vel enim integra caldariis ſuperne infuſa elixantur , vel ex teſtis fractis in aquam ferme fervidam conjecta coquuntur. Quorum illa quidem , ubi penitus denſata fuerint , deteriora habentur , teſtæ enim quo minus craſſities eorum attenuetur , ac fumi diſſipentur , obſtant & impediunt : ſed ſi ab igne , cum liquidum adhuc coactum denſatumque non ſit , auferantur, meliora fiunt. Hæc vero calor penetrat, craſſitiemque attenuat , & odoris inſuavitatem avertit : unde cæteris omnibus laudabiliora cenſentur. Longe vero ſe ipſis ſuaviora adhuc redderentur, ſi ad mediocrem conſiſtentiam coctis confeſtimque à foco ſummotis aceti nonnihil cum butyro & croci momento commiſtum inſpergeretur. Quæ vero ἐπὶ τῶν ταγήνων, id eſt, in ſartagine ſpiſſantur atque ob id ipſum ταγηνιστά, id eſt , frixa nuncupantur , peſſimum habent omnibus modis alimentum , tardeque tranſeunt. Nam interim dum in ventriculo concoquuntur , in nidorem & fumum abeunt , ſecumque admiſtos cibos corrumpunt , & ſuccus inde prognatus non ſolum craſſus , verum etiam pravus atque excrementitius eſt. Quapropter inter deterrimas earum rerum habentur , quæ concoqui nequeunt. Iis vero nocentiora adhuc fiunt , quæ in vetere & ferrea ſartagine friguntur. In jure denique cocta , Iſacco in diætis univerſalibus teſte, locum inter aſſa ac ea quæ in aquam fervidam conjecta coquuntur , medium obtinent. Porro quæ πνικτά, id eſt , ſuffocata appellantur , elixis & aſſis

ſunt meliora. Ea Galenus ad hunc modum parare docet. Ubi ipſa oleo ac garo & pauco vino conſperſa fuerint, vas quo continentur cacabo aquam calidam habenti inditur: deinde ubi ipſum totum ſuperne obturatum fuerit, ignis ſubſtruitur, quoad ova mediocrem habeant conſiſtentiam. Quæ enim ſupaa modum fiunt craſſa, elixis & aſſis ſunt ſimilia. Quæ vero ad mecrem craſſitiem pervenerunt, & melius quam dura concoquuntur, & alimentum corpori dant præſtantius. In ipſis quoque ovorum partibus diſcrimen eſt. Vitellus namque, ſicuti à Rhaze lib. 3. ad Almanſor. cap. 14. ſcribitur, in caliditate temperatus exiſtens, optime nutrit. Albumen vero frigidum & glutinoſum eſt, ægræ concoquitur, & ſanguinem pravum generat, eaque ratione adducti nonnulli albumen debilioribus exhibendum negant. Vitellus quoque proprietate quadam ſubſtantiæ facile inflammatur, & in fumos abit, quo fit ut febribus & ægritudinibus calidioribus non niſi probe alteratus exhiberi debeat. Alteratur autem, ex Joannis Michaelis Savanarolæ ſententia, ad horas plus minus ſex in aqua frigida infuſus. Simeon Sethi hoc quoque addit, ova proprietate quadam peculiari ἐυφυΐαν, id eſt, ingenii felicitatem & bonam habitudinem tribuere iis, qui μεταμάνατος θυγατέρων ταύρου τοῦ πεσιμέλοτες καὶ βουτύρου, hoc eſt, cum textura filiarum Tauri, id eſt melle & butyro aſſidue eſitaverint. Sed Galenus libro 5. de ſanit. tuenda cap. 8. de cibis ex quibus obſtructio incidit mentionem faciens, ſenes hortatur, ut à multo ovorum eſu abſtineant, quod nimirum craſſum lentumqum ſuccum creent. Qui utique locus non ſimpliciter de omnibus ovis intelligendus venit, ſed

Alexand. Tranll. lib. 8. c. 1.

de iis quæ vel elixa vel tosta penitus densata sunt, item de frixis & veteribus. Leonardus Fuchsius hunc Galeni locum in Gręcis exemplaribus corruptum putat, & pro ὠῶν legendum esse ὄων, id est, sorborum, ὄα enim καὶ ὄα, Gręcis, Galeno lib. 8. de simplic. medicamen. facult. cap. 13. teste, sorba sunt: quæ certe, ut idem tradit. adstringentem atque adeo obstruentem facultatem obtinent. Leontius apud Constantinum Cęsarem lib. 14. de agricultura, cap. 27. etiam modum tradit, quo ova diu à corruptela servari possint. Ova ipsa, inquiens, servabis, hyeme quidē in paleis, æstate in furfuribus. Alii aqua abluta ova sale tenui intingunt, & sic conservant. Quidam ad tres aut quatuor horas in muriam tepidam mergunt, deinde extracta in furfures aut paleas deponunt. Attamen ei quod in muriam aut salem impositum est, pars aliqua decedet. Cæterum plenum ovum, aut non plenum, cognosces ex immissu in aquam; defectuosum enim innatabit, plenum deorsum demergetur. Eadem etiam à Columella de re Rustica libro 2. cap. 6. & à Plinio lib. 10. cap. 54. & 60. prodita sunt. De Ovis plura Galenus lib. 3. de aliment. facult. cap. 21. & in lib. de cibis boni & mali succi, cap. 7. Paulus lib. 1. cap. 83. & Ætius lib. 2. c. 132.

Secundum, Vina rubentia; ubi ante omnia sciendum, vinum quidem ex eorum esse numero, quæ nostrum corpus alunt. Nam si modo quicquid alit, alimentum est, vinum etiam in genere alimentorum est ponendum. Verum permagna ejus secundum colorem differentia est. Nam hęc quidem alba sunt, alia rubra & clara, nonnulla rufa: sive, ut vulgo dicuntur, citrina: quædam vero ni- Vini differentia.

gra alia rursum medium inter hęc obtinent. Ex quibus omnibus alba cęteris tum imbecilliora ac minus calida habentur, tum minoris etiam alimenti: non ergo abs re capiti nervisque innoxia sunt, urinam cient, & meatus aperiunt. Quod debiliora sint, manifestissimum omnibus fit ex iis, quæ Galenus comm. in tertium librum Hippocratis de victus ratione in morbis acutis scribit inquiens: Vinum potens vehementer celeriterque corpus calefacit, caputque ferit: imbecillum contrario agit modo. Cum igitur minus & calefaciat, & caput tentet, necessario etiam imbecilius erit. Quod deinde minus calefaciat, idem comment. in 6. citatum Hippocrat. lib. clarissime ostendit. Nempe, inquit, ex vinis albis nullum valenter calefacere potest. Quod enim summe calidum est, id continuo & flavum existit, veluti, & quod ab ipso est fulvum: mox ab his rubrum & deinde dulce; Album autem minus quidem his omnibus calefacit. Quod verum utique experimento rei comperietur. Nam inter vina rubra & rufa Gallica, nonnulla albis quibusdam albi natis longe & potentia & caliditate inferiora reperies. Quare ejusdem territorii vina inter se conferenda sunt. Quod vero vina alba minus quam reliqua alant, declarat ipsorum natura. Præterea Galenus commentar. 11. libro 2. aphorism. id ipsum in eum scribens modum, confirmat; Vina aquosa (sic autem nominant alba & tenuia) sicut aquæ similem formam habent, ita etiam vim: quare urinam cient, & minimum nutriunt. Idem commentar. decimo octavo ejusdem libri; Vina, inquit, aquosa, exiguum prębent corpori alimentum. Sunt autem hæc colore quidem alba, tenuia vero substantia.

Item in libro de cibis boni & mali ſucci, capite 1. de iiſdem ita ſcriptum reliquit. Vina quæ aquoſa tenuique ſubſtantia ſunt, urinam movent, & pauciſſimi ſunt nutrimenti. Quod minus etiam caput feriant, Galenus libro 5. de loc. affect. capite 5. iis oſtendit verbis: Vinum album atque modice aſtringens, ut ventriculum robuſtum efficit, ita haud quaquam tentat caput, id quod facere ſolent ea quæ vehementes vires obtinent. Avicenna quoque 3. 1. doct. 2. capit. 8. in hunc prope modum ſcribens idem confirmat: Vinum album & tenue calorificis præſtat, non enim capitis dolorem efficit, ſed eundem potius, ubi forte ex ſtomachi ardore initium duxerit, humectando levat. Cur autem cæteris caput minus feriat, ejus rei cauſa alia non eſt, quam quod minus fumet, evaporetque. Quod denique meatus aperiat, urinamque moveat, Hippocrates libr. 3. de victus ratione in morbis acutis Aphoriſm. 6. his verbis diſerte ſignificavit: Ad veſicam alio vino magis penetrat, urinaſque provocat, & perpetuo petrumpit: atque multa ad opem his morbis ferendam facit. Rationem ejus rei tradit Galenus libr. 7. Methodi medendi. capit. 6. in eum ſcribens modum: Vina aquoſa vires organorum adaugent, & expellendis excrementis viam faciunt. Eoque fit, ut etiam talia vina præter cætera urinas moveant, quando & ipſa totum corpus celerriter tranſeunt, & impetu curſus ſui excrementa ſecum expellunt. Celeriter certè tranſeunt, tum quia tenuia & tepida ſunt, tum quia adſtringunt. Tenuitate enim & tepiditate prompte mobilia fiunt, adſtrictio autem ipſa magis impellit. Ex quibus jam illud quoque elicitur,

nempe alba & tenuia vina tuto exhiberi corporibus intemperie, vel naturali, vel quoquomodo adventitia biliosis: Æque vero & studiosis, & quibuscumque caput, vel naturæ ipsius habitu, vel ab alia quapiam extrinsecus obrepente causa, imbecillius existit: pari modo & iis qui calidam & humidam cerebri temperaturam obtinent: quippe vina potentia ita adfectis adversissima sunt. Cumulatim enim quemadmodum loco jam citato Avicenna ostendit, caput humoribus vaporibusque & caliditate replent, valideque cerebrum perturbant, & maturius ebrietatem inducunt. Quod si tamen res cogat aliquando eis uti, copiosiore aqua prius diluenda sunt. Jam vero & calidiorem ventriculi atque hepatis temperaturam habentibus, nimioque æstu & ardore fameque aut mœrore vexatis, atque item in anni tempore, regione, tempestateque calida, vina debiliora magis conferunt, ut in quibus calida vina eos qui refrigerandi sunt, impensius calefaciant, capitisque dolores & febres facile inferant, nervosque lędant.

Vina vero rubra & clara, cujusmodi Bellovacensia cumprimis habentur, cæteris calidiora sunt. Quod brevissime Galenus comment. 6. in 3. Hippocrat. librum de vict. ratio in morb. acut. iis verbis significavit: Vinum quod summe calidum est, id continuo & flavum existit. Eadem cæteris quoque valentius alere, idem comment. 11. libro secundo Aphorism. ita scribens attestatur: Quæ crassa sunt & colore rubea, plus alimenti habent quam reliqua vina: inest autem eis & citissime implere corpora evacuata & ob hoc indigentia adjectione. Quod

ità ſane intelligendum venit, ut vina rubea ea de cauſa firmius alere dicantur, quod ex ipſis plus in membrorum ſubſtantiam convertatur. Hac ratione & nigra cæteris præferri poſſunt, quod & ipſa nimirum non mediocre, neque diſſipatu facile alimentum corpori tribuant. Atque hinc certè non temere à Galeno comment. 18. libr. 2. Aphoriſ. ita ſcriptum eſt: Craſſa & fulva vina multo quidem magis corpus alunt, ſed tanum vincuntur à nigris in nutriendo plurimum, quantum ſuperant in pręſtando acervatum & velox alimentum. Eodem plane modo & illa intelligenda, quæ ab Iſaaco in diætis particularibus ſcribuntur, ubi vinum nigrum plenioris alimenti quam rubrum eſſe contendit. Cæterum vina quidem hæc colore rubea, ut urinam levius, quam alba cient, ita majorem capiti noxam adferunt. Animalis enim facultas promptius quam naturalis aut vitalis calido offenditur: quia calidum caput prompte ferit, ac ſpiritum animalem dejicit. Spiritus enim hic ſubtilis, ac ut ab omni excellenti calido diſcutiatur idoneus eſt: quo fit ut ejuſmodi vina debile cerebrum habentibus exhibenda non ſint, niſi diluta & exigua plane copia. Ab iis vero quibus bona cerebri habitudine ac firma ſanitate frui datum eſt, tutius ebibuntur. Firma namque cerebri conſtitutio, ut elevatis ad ſeſe vaporibus ſtrenue obſiſtit, ita ab iiſdem etiam minus offenditur. Ubi hoc quoque ignorandum non eſt, nempe acui ingenia in ejuſmodi hominibus: Nam ſi vino bono ac potente moderate utantur, longe ſeipſis & ad excogitandum acutiores, & ad explicandum orandumque uberiores, & ad memoriam denique firmiores atque diuturniores evadunt.

Spiritus enim tenues, clari & puri ex bono vino potius, quam quovis alio potu generantur. Hinc est quod Theologi in contemplatione circa sacrosanctæ Dominicæ passionis mysteria, optima cumprimis vina deligunt, quæ ob id ipsum jam passim etiam Theologica nominantur. Hæc utiliter iis quoque dantur, qui calefaciendi sunt, ut pote tum pituitosis frigidisque temperamentis crudique humoris copia refertis, tum iis qui frigidis in locis ociosi vivunt. Dantur quoque in hyeme, frigidaque & humida tempestate. Hic enim omnibus, ideo quod frigiditatem corrigant, & obstructiones tollant, accommodatissima sunt, genuinum calorem refocillant, unde concoctio melior & sanguis probus evadit, cibum per omnia corporis membra, ut quæ facile penetrent, deducunt. Quamobrem ex morbo emaciatos reficiunt, corporaque ipsorum augent. Etenim cibi cupiditatem faciunt, pituitam extenuant, & in sanguinem commutant, bonum colorem conciliant, animo lætitiam voluptatemque pariunt, & robur adjiciunt. Harum itaque commoditatum moderata vini potio, immoderata vero contrariorum occasionem præbet.

Vina Theologica.

Vina vero rufa sive citrina minus quidem quam rubea & clara, excellentius tamen quam alba, tum calefaciunt, tum nutriunt: quo fit ut caput etiam quam alba magis offendant, quemadmodum fusius comment. 1. & sexto in tertium Hippocrat. libr. de vict. ratio. in morb. acut. Galenus monstravit. Hęc etiam alba à quibusdam vocari solent, hinc est quod quidam dicunt, vina alba cito & plurimum calefacere.

Vina vero nigra minus quam rufa calefaciunt, unde minus etiam caput feriunt, ſed cum tardius per alvum quam alba tranſeant, urinamque levius moveant, vehementius etiam quam alba caput tentant. Et hæc ipſa plenius quidem quam alba & rufa, minus vero quam rubea nutriunt, ut copioſius locis paulo ante citatis Galenus oſtendit.

Tertium, pinguia jura, hoc eſt, ſorbilia ex juſculis carnium, & pręcipue pullorum confecta, ζωμοὶ καὶ ζωμίδια Gręcis, Brodia vero vulgo appellantur. Quæ ſane cum naturæ amica ſint, citius tum concoquuntur, tum per ventrem ſubeunt: nam quæcunque cum voluptate aſſumuntur, iſta ventriculus avidius amplectitur, facilius concoquit, plurimum corporibus exhibent alimentum, & bonum ſanguinem producunt, idque excellentius adhuc, ſi cum ſimilaceo pane pręparentur. Simila enim vel ſimilago, id eſt, ſubtiliſſima ac puriſſima delicatiſſimi tritici farina, σεμίδαλις à Græcis dicta copioſum & laudabile corporibus alimentum præſtat, ut teſtis eſt Rhazes libr. 2. ad Almanſ. capit. 3. Tria hæc alimentorum genera, quæ exigua mole plurimum nutrire oſtendimus; Avicenna quoque 2. 1. doct. 2. Summ. 1. capit. 15. breviter, his fere verbis complexus eſt. Cibus ſubtilis, boni ſucci, & plurimi alimenti eſt, exempli gratia, jus carnium, vinum, & ova; eaque tum ſorbilia, tum tremula. Talia enim exigua mole plurimum nutriunt, quia maxima ſubſtantiæ ipſorum portio in alimentum tranſit; unde ſequitur tandem & robur inſigne conciliare iis qui ipſis ſæpius uſi fuerint. Additio jocoſa de vino Theologico ex Chiliad. 3. centur. 2. Proverb. 37.

Iura è carnib. Gal lib. 2 de alim. facult. c. 17.

Erasm. Roterod. Hac tempestate, inquit, apud Parisios vulgari joco vinum Theologicum vocant, quod sit validissimum, minimeque dilutum. Nec infestiviter quidam hujusce Proverbii causam rogatus, respondit: A Jureconsultis occupari quas vocant Prębendas, Decanatus, & Archidiaconatus, Theologis nihil reliquum fieri, præter Curata quæ vocant, sacerdotia. Cęterum quoniam de Pastoribus scriptum est: Peccata populi comedetis; nimirum ad cibi tam duri concoctionem opus esse vino efficacissimo. Atque hinc esse natum vulgi dictum.

Hoseæ 4.

Hactenus Commentator qui omne tulisset punctum nisi seriis jocos ammiscuisset, & sacris profana, quasi vel doctior, vel elegantior haberi possit ex detorta in hunc locum Erasmi Roterodami Parisiensibus Theologis irati nugaci fabulatione.

De Esu Ovorum.

CAP. LXXIV.

SINGULA post Ova, pocula sume nova.

HOc versiculo præcipitur, ut post ovi cujusque recentis atque mollis esum, haustulus, & pręcipue vini, sumatur. Ejusque rei duplex fere adsignatur ratio. Ac prior quidem, quod ovum recens ac molle succi sit optimi & concoctu facilis: parvaque mole, ut sup. capit. 6. ostendimus, plurimo corpus reficiat alimento, idque vitello suo potissimum: vinum

autem; cum natura eo delectetur maxime, prestet ut à membris avidius attrahatur, celeriusque ita permeet. Posterior vero, quod ovum tardius descendat per gulam, quæ Græcis proprio nomine οἰσοφάγος ab οἴω fero, & φάγημα, cibus; quod cibum & potum in ventriculum transuebat, Arabibus Meri nuncupatur; vinum autem descensum ejus adjuvet.

Animadversio.

NOn solum ob prædictas rationes precipitur à Salernitanis potus post singula *ova*; sed etiam ad diluendam *ovorum* visciditatem, juvandamque distributionem ad jecur. Ingestus enim ovi vitellus, quia spissus & viscosus est, facile ventriculi parietibus adhæreret prohiberetque ventriculi contractionem ob suam visciditatem & lentorem, diutius vero ventriculo adhærens facilè putresceret & mora corrumperetur: At potus continuo sumptus, facit primo ut diluatur, coctusque deducatur per venas mesaraicas ad hepar sanguinis officinam. Hoc vehiculo destitutus vitellus vix præ lentore venas mesaraïcas tenues & exiles præterlaberetur, sed illic cunctando obstructiones generaret.

Potus autem nomine cave solum vinum intelligas, ut faciunt commentatores, sed liquidiorem quamvis substantiam, sive sit aqua, sive vinum, sive jusculum. Porro de *ovis* qui plura voluerit, consulat Aldrovandum Ornithol. libr. 14. Lælium à fonte consultat. 5. & 9. Garciam Lopium capit. 26. de varia rei medicæ lectione, Potus.

Ludovicum Guyonium capit. 10. libr. 4. diversarum lectionum tom. 2. Hyppolitum Obicium capit. 25. de multiplici in medicina abusu, Davidem Echlinium, & Ludovicum Guybertum opere proprio de ovo; Rorarium contradict. 29. Avicennæ, Fabritium ab Aquapendente tractatu eximio de ovo, Æmilium Parisanum libr. 6. nobilium exercit. exercitat. 2. & 3. Sylvaticum in controversiis, Epiphan Ferdinandum histor. 51. suarum observat. Francis. Bonamicum libr. 5. de aliment. c. 46.

De Excrementis Quadrupedum, ac primo de lacte.

Cap. LXXV.

LAC phtisicis sanum caprinum, post camelinum,
Atque jumentinum, plus omnibus est Asininum.
Plus nutritivum vaccinum, sic & ovinum:
Si febris, caput aut doleat, non est bene sanum.

Lactis electio. HIc præcepta quædam traduntur de electione lactis in genere, quatenus videlicet φθισικοῖς, hoc est, tabidis, emaciatis, hectica febre laborantibus, & quomodocunque consumptis sit conducturum. Cibi enim his ipsis, quod calorem nativum imbecillum obtineant, concoctu faciles conveniunt: boni item ac multi alimenti, ut corpus emaciatum instaurent: sed liquidi & tenues, ut vias, ob siccitatem contractam facilius subeant & penetrent: ob febrem quoque refrigerent nonnihil, & ob ulceris saniem detergant,

gant, & ob solutionem continui, glutinent; quas dotes omnes habet lac: facile enim coquitur, ac inter omnia quæ alimenti gratia sumimus, lac butyro & caseo multum nutrit: optimum optimi est succi, sero casei & butyri liquidum & subfrigidum est, ut libr. 5. capit. 20. & lib. 10. cap. 7. de simpl. medic. facult. terget sapore dulci, butyrosæ substantiæ & acrimonia seri, glutinat caseo & eodem ac butyro est emplasticum. Quapropter nonnulli, Galeno in libro de cibis boni & mali succi, capite 9. teste pulmonis ulceribus affectos potione tantum lactis curari putant, antea scilicet quam ea ipsa ulcera amplientur, callosaque fiant.

Ac *primum* quidem præceptum est de lacte caprino, quod utile esse phthisicis Avicenna libro 2. Can. capit. 44. & 114. tract. 3. capit. 6. confirmat: Neque id sane injuria: siquidem inter cætera lactis genera moderate se habet, cum non admodum pingue crassumque sit; ob id medium quoque esse censetur, quod in corporibus nostris præstat. **Lac caprinum.**

Secundum de camelino, quod illo tenuius est serosique humoris magis particeps: quo fit ut minus tum nutriat, tum emaciatis conferat, Hydropicis tamen, & quibus hepar male affectum est, non parum commoditatis adfert, præsertim si fuerit cameli nuperrime enixæ. Eo namque hepar, si quid Avicennæ credimus, reficitur atque instauratur. **2. Can c. 442. & Tract. 4. c. 15.**

Tertium de asinino: Asinæ namque inter cetera brutorum genera lac præbent ad propositos affectus accommodatissimum, quippe cnm tenuissimum sit, & minime coaguletur, & quoquo versus ocyssime in corpus digeratur, quemadmodum

Alexand. Trall. lib. 8. c. 4.

elegantissime lib. 7. method. medendi cap. 6. à Galeno scribitur. Quod Avicenna quoque 1. 4. Tract. 3. capit. 6. confirmat; Non est, inquiens, lac post muliebre, quod hecticis æque conferat, ac Asininum. Hecticam enim, siquidem curabilis fuerit, ad plenum curat. Sed præ cæteris lac muliebre, tanquam naturæ ejusdem; & humano corpori familiarissimum, ab aliis Medicis, præcipueque ab Herodoto & Euriphonte ad tabidos affectus celebratur. Quoniam enim cæteris est subtilius, frigidius & humidius, citius concoquitur, velocius penetrat, & melius nutrit. Sumendum autem quodvis horum mane jejunis, horis tribus aut quatuor ante cibum, unc. quatuor primum: & has si recte confecerit, die sequenti quinque, sex uncias & sic diebus consequentibus auctum: si bene concoquat, usque ad libram unam. Quatenus enim vires augeri cernimus, eatenus nos quoque cibis adjiciemus. Sumat autem patiens ex mammilla, aut minimum diu extra propria conceptacula moratum (illic enim & sanguis & semen promptissime corrumpitur) per se, aut cum pauco melle vel saccharo & sale, ne in ventriculo acescat. A lacte hausto non dormiat, ne corrumpatur, nec corpus exerceat motu ac frictione, ne crudum lac in corpus trahatur.

Lac muliebre.

Cęterum silentio prætereundum hoc loco non est, quod non semper muliebre aut asininum phthisicis prosit: imo vero lac acidum, sive ebutyratum ab ipsis in certis quibusdam casibus convenientius adsumitur. Et primo quidem, quando cum phthisi fluxus ventris simul infestat. Deinde cum metus est, ne in ventriculo coaguletur, vel ardor adest vehementis febris, aut ventriculus

ſuapte natura bilioſus exiſtit, ut in quo lac nullo negotio in bilem tranſeat. Quinetiam quando phthiſi febris conjungitur putrida, & multæ in interioribus partibus ſunt obſtructiones. Lac enim acidum cohibet & adſtringit alvum, neque facile in bilem convertitur: quippe cui butyrum quo prompte accendi poterat, ademptum ſit: eádem ratione nec in putrida facile putreſcit. Præterea cum immundus ac ſordidus eſt ventriculus: in ejuſmodi enim ventriculo lac promptiſſime corrumpitur. Poſtremo vero cum phthiſicus lac integrum & dulce abominatur, ab acido autem ſive ebutyrato non omnino abhorret. Sed de his omnibus copioſe admodum Hieronymus Cardanus libro ſecundo Contradicentium, Tract. 4. Contradict. 1. & Conciliator differentia 104.

Quartum de lacte vaccino: quod ut inter cętera lactis genera craſſius ac pinguius invenitur, ita alere etiam magis putandum eſt. Atque hinc ſane Rhazes lib. 3. c. 15. ad Almanſor ſic ferme de eo ſcriptum reliquit: Lac vaccinum quorumlibet aliorum animalium lacte craſſius judicatur, atque ob id corporis molem & obeſitatem adipiſci volentibus accommodatiſſimum habetur. His amplius Avicenna lib. 2. Can. c. 442. hoc quoque addendum putavit: Nempe lac cujuſlibet animalis, cujus fœtus eandem in utero moram cum homine ducat, id eſt, per novem menſes, humano lacti eſſe maxime conforme: illud vero quod ſit animalis, cujus impręgnatio quam mulieris diuturnior ſit, eſſe deterius, quo fit ut cum vacca novem menſibus vitulum ferat, lac ejus humano maxime conforme, atque ob id optimum quoque habeatur.

Lac vaccinum.

Quintum de lacte ovino: hoc enim, quod ad consistentiam quidem & nutrimentum attinet, ad vaccinum quodammodo accedit.

Sextum de lacte vitando in febribus putridis, & dolore capitis: cujus rei causæ adsignatæ sunt sup. c. 4.

Animadversio.

Lactis utilitas.

INter excrementa quadrupedum sola quantitate peccantia est *lac* è quo *Caseus*, *butyrum*, *&* *serum* desumuntur. *Lac* (*quod Græci* γάλα vocant παρὰ τὸ καλὸν εἰς ἀναθρέψιν εἶ), id est *quod pulchrum gratumque sit nutrimentum*) Latini deducunt à *liciendo*, vel quod eo infantes alliciantur, vel quod sugendo mammas ipsum eliciant. Ejus tanta est necessitas ut vivipara animalia ei vitam salutemque suam acceptam ferant, cum lege naturæ factum sit, ut recens natus fœtus eo tamquam cibo & potu necessariò nutriatur. Unicuique autem animalium generi suum magis προσφυὲς σύμφυτον atque consociale, muliebre hominibus, asininum asinis, vaccinum bobus, & sic de cęteris; atque ab hoc illud quod temperamento uniuscujusque magis est affine. Quod intelligendum venit de *lacte* prout alimentum est, non quatenus est *medicamentum*: sic enim major habenda ratio morbi, quam temperamenti utentis. Ut vero de bonitate lactis securum tutumque judicium feri possit, observandum est lac vel universaliter considerari, quatenus lac omne lactis naturam retinet, vel particulatim prout singulæ lactis species cum singulis animalium speciebus analogiam habent; muliebre cum hominibus, camelinum cum camelis.

Priori respectu examinandæ veniunt lactis causæ *materiales* & *efficientes*. *Materialis* causa est sanguis animalium excoctus & dealbatus, non per modum *putrefactionis*, seu *puris*, veluti placuit Empedocli apud Aristotelem quarto de gener. animalium capite octavo, sed per modum *perfectionis*: adeo ut sanguis ille ita præparatus delicatior præstantiorque evadat. Exinde fit ut lac illud omnino melius sit *materialiter*, quod à meliori sanguine ortum ducit, saniori, puriori, & temperatiori Temperatum vero sanguinem vocamus, qui justa, legitima & convenienti quantitate bilis flavæ, succi melancholici, pituitæ, & sanguinis proprie dicti commixtus & perfusus est. Sic quia sanguis hominis sanguine aliorum animalium temperatior est exactiusque commistus, ita & lac humanum quovis alio lacte exquisitius est ac præstantius. At sanguis impurus dicitur qui κακόχυμος, hoc est, qui vel biliosus, vel melancholicus, vel pituitosus existit, quive aliquo ex quatuor humoribus aut privatus, aut saltem est diminutus, quive etiam putris & corruptus. Hinc profecto apparet lac ratione materiæ non esse homogeneum, sed heterogeneum, constans videlicet parte una quæ igni & bili, altera quæ aëri & sanguini, tertia quæ aquæ & pituitæ, quarta quæ terræ & melancholico succo respondet: propter eaque non male factum à Galeno, Avicenna, & Mesuæo qui serum lactis calidum & siccum constituerunt. Est enim in *sero* duplex substantia, aquea & phlegmatica, refrigerandi & humectandi vim habens, ac insuper acris, salsa ac biliosa; unde detergendi facultas Sero inest. Vide Petrum Hispanum ad lectionem 44. diæt. univers. Isaaci, Rorarium con-

Lactis causæ.

Serum duplex.

tradict. Galeni 91. & Epiphan. Ferdinandum theoremate 25. lib. 1.

Porro caufa *efficiens lactis* eft duplex: *principalis* & *inftrumentaria*: *principalem* voco vim λακτοποιητικὴν mammis infitam, quæ immediate profluit ab anima fenfitiva, quæque idcirco melior aut fortior, deterior imbecilliorve non eft huic quam illi animalium; nifi quatenus inftrumenta obtinet melius deteriufve conftituta; proinde ratione hujus facultatis lac hominis non eft cenfendum delicatius aut temperatius quovis alio lacte: nec enim anima rationalis functiones naturales perfectius exercet quam brutorum anima, nifi meliora inftrumenta nacta fuerit.

Efficiens *inftrumentaria lactis*, partim mammarum caro, partim calor, feu temperamentum mammis infitum. Quo melius funt conftitutæ mammæ, quo earum temperies laudabilior, eo lac in ipfis elaboratum, præftantius eft habendum. Fœmella ergo quæ fanas habebit mammas, nullave excedente qualitate præditas, falubrius lac fuppeditabit, quam quæ aliqua intemperie affectas mammas obtinebit.

Cæterum caufæ iftæ *lactis* quanto perfectiores erunt, tanto temperiem *lactis* (quæ ad inftar formæ illi eft) meliorem effecerint, & accidentia quæ temperiem fequuntur, & demonftrant, mitiora, atque benigniora præftiterint. Sunt autem accidentia illa è primarum, fecundarum tertiarumque qualitatum genere. E primis eft calor qui omnino moderatus eft in lacte ex Galen. 5. fimplic. licet alibi lac modo frigidiori, modo calidiori temperamento effe dixerit;

habita nimirum ratione quarundam ejus partium. E primis quoque est *humiditas* ad quam inclinare debet lac potius quam ad siccitatem, tam ratione materiæ quæ humida est, quam ratione finis, quæ est nutritio fieri solita per humectantia. Ad secundas qualitates pertinet *consistentia*, seu partium *crassities*, vel *tenuitas*, *lentor*, *liquiditas*; has necesse est in lacte sic esse contemperatas ut tenuitas crassitiem, liquiditas lentorem vincat eo modulo, ut nec nimium lac diffluat, nec coeat tenacius. *Crassius* quippe lac & *lentius*, seu *viscosius* difficilius coquitur atque distribuitur, distributumque angustis meatibus altius infigitur ac hęret. *Tenuius* vero atque *liquidius* quia aquosius est, prius exit quam coquatur, vixque agglutinari potest, proinde parce nutrit, & tenuiter substantiam corporis reparat. In tertiis qualitatibus sunt, *sapor*, *odor*, *color*. *Sapore* dulce & suave esse debet, non amarum, salsum aut acre: tale enim bilis salsęvæ pituitæ perfusionem, aut immoderatum calorem arguit: non præterea acidum acerbumve, cum hujuscemodi lac frigidorum humorum copiam calorisque imbecillitatem significet. In summum præter dulcedinem, alienæ omnis qualitatis expers sit, quemadmodum sanguis probus ex quo generatur. *Odor* lacti pene nullus adsit, pręsertim non fœteat, cum fœtor putredinis pravæque coctionis, aut saltem alimenti assumpti minime boni sit nota. *Colore* demum *album* est lac, quia in mammarum glandulis elaboratum *splendidum* quoque καὶ λαμπρὸν, ut loquitur Gal. 7. meth. c. 6. prout lacti convenit: splendor autem ille accidit ex substantia moderata nec nimium rara nec crassa nimium, ac deinde ex multis spiritibus corpus lactis æquabi-

liter perfundentibus. Lividum igitur lac improbatur, obſcurum quoque, fuſcum aut flavum; quod hoc bilis perfuſionem, illa vero ſpirituum inopiam aut partium craſſitiem indicent. Suboritur tamen hîc difficultas inter Medicos & Ariſtotelem: illi, Sc. Dioſcorides, Galenus, Avicenna, *album* lac præferunt: hic vero lib. 3. de hiſt. animal. c. 21. *lividum* albo anteponit τῶν καὶ γυναικῶν, inquit, τὸ πελιδνότερον γάλα, βέλτιον τοῦ λευκοῦ τοῖς τιτθευομένοις; καὶ αἱ μέλανες τῶν λευκῶν ὑγιεινότερον ἔχουσι, id eſt, *mulierum lac commodius lactentibus eſt quod livorem trahit, quam quod candidum eſt, & fuſcæ ſalubrius habent quam candidæ.* Joa. Coſtæus libr. 1. de facili medicina per ſeri & lactis uſum c. 2. putat Ariſtotelem loqui comparate, adeo ut velit ducere minus candidum lac, præſtantius eſſe lacte maxime candido, quemadmodum minus albæ mulieres præſtantius habent quam candidiores, quæ magis humidæ fluidæque ſunt, propterea que pituitoſæ atque frigidæ. Vel certe mendum credit ineſſe textui Ariſtotelico, legendumque πελιδνοτέρου τὸ λευκὸν βέλτιον, *lividiore lacte album melius*, ſicque convenire inter eos auctores. Ego vero arbitror Medicos habuiſſe rationem cauſæ *efficientis*, Ariſtotelem rationem *materiæ*. Cauſa efficiens eſt calor, ſeu temperies mammarum, alterans & aſſimilans ſanguinem mammis, quod quidem tum melius præſtat, cum laudabilior eſt opuſque ſuum perfectius exercet; à perfectiori enim cauſa effectus perfectior proficiſcitur. Ergo Medici lac *album* exiſtimantes aſſimilatum eſſe glandulis mammarum albicantibus magis quam lividum ſubſtantiam mammarum colore ſuo non referens; duxerunt lac colore candidum lacti livido anteponendum: ſic enim cauſa

An lac fuſcum bonum.

Ariſtoteles [illegible]natus.

efficiens videtur aſſecuta ſuum finem. Ariſtoteles vero tres in lacte ſubſtantias animadvertens, *ſeroſam*, *butyroſam* & *caſeoſam*, ab hac pręſertim parte albedinem lacti ineſſe (lac enim quo caſeatius eo candidius) cenſuit lividum melius eſſe candido, quia licet candidum magis nutriat quam fuſcum ob caſeoſam partem; minus tamen ſalubre infantibus, quia magis obſtruit, calculiſque generandis opportunius eſt. Id poſtea viſus eſt explicaſſe Ariſtoteles eodem loco, poſtquam enim dixerat fuſcarum mulierum lac ſalubrius eſſe quam candidarum; ſtatim rationem ſubjunxit ſcribens θρεμμώτατον τὸ πλεῖστον ἔχον τυρόν, ὑγιεινότερον δὲ τοῖς παιδίοις, τὸ ἔλαττον, id eſt, *lac illud maxime nutrire, quod plurimum caſei habet, quod vero minimum caſei habet, ſalubrius eſſe infantibus*. Eſt ergo hęc Ariſtotelis ratiocinatio.

Ariſtoteles explicatus.

Lac quod habet plus caſei, habet etiam plus candoris:
Sed lac candidarum mulierum habet plus caſei, quam lac fuſcarum;
Ergo lac candidarum habet plus candoris.
Et rurſum.
Lac habens plus caſei magis quidem nutrit, ſed minus eſt ſalubre, quam lac minus continens:
Atqui lac candidum plus habet caſei quam fuſcum;
Ergo lac candidum magis quidem nutrit, quam fuſcum, ſed minus eſt ſalubre.

Sic ergo Ariſtotelem Medicis conciliabimus, dicendo *candidius* lac *livido* anteponendum eſſe, cum candor procedit non à copia caſei, ſed ab efficiente cauſa vigente & valente; poſtponendum vero *livido* cum candorem trahit à multo

caſeo. Hoc autem ut quis internoſcat, viſcoſitatem lactis & pondus contempletur, quo enim viſcoſius erit lac atque ponderoſius, eo plurimum caſei continebit; eſt quippe caſeus terrena, craſſa & gravis lactis portio.

Lac optimum. His ita univerſim conſideratis ſic optimum definire *lac* poſſumus, *tepidum, æqualis ſubſtantiæ, admotum ungui ſtatim non diffluens, levius quam gravius, minime viſcoſum, ſed dulce, inodorum, album & aliquo pacto ſplendens, ac denique à ſano animali, & in bene valentibus, beneque conſtitutis mammis elaboratum.* Quodcunque vero *lac* has omnes dotes conditioneſque obtinuerit, affatim nutriet, colorem corpori vegetum & floridum conciliabit, ſpiritus omnes recreabit, ſemen augebit, corpus pinguefaciet, pectori & pulmoni auxilio erit, urinæ ardores temperabit, oculorum acres diſtillationes compeſcet, denique atrociſſimos dolores ad inſtar Nepenthes Homericæ demulcebit.

Hæc fuerant de lactis natura præmittenda, ut ſecurius judicium ferri poſſit de ſingulis lactis ſpeciebus, de quibus hoc capite à Salernitanis diſputatur. Species autem lactis partim deſumuntur ab animalium *differentiis* eorumque *temperamento, habitu, ætate, pabulo*, partim à *lactis* ipſius *partibus ætate*, ac *præparatione*. Ab animalibus *lac* appellatur *humanum, bubulum, ovillum, caprinum, equinum, camelinum, aſininum, porcinum. Humanum*, ut ſubantiæ mediocritate pręſtat cęteris, ita ubi nutrire hominem velis ob familiaritatem reliquis facilius & promptius nu-

Lac humanũ. trit; illique proprie competunt omnes dotes ſupra enumeratæ: magis tamen quàm cętera muliebre lac non nutrit: ſed melius nutrimentum

suggerit. Primam quoque laudem tribuit illi Galenus libro septimo meth. cap. 6. in hecticis sanandis, utpote hominibus cognatum ϗ ὁμόφυλον.

Bubulum temperamento proximum est muliebri lacti, crassius tamen, pinguius & multo plus nutrimenti afferens: at minus est salubre, quia ob crassitudinem facile obstruit, ægreque in ventriculo coquitur. Sunt qui existiment eorum animalium lac homini utilius esse quorum partus ad humani partus tempus propius accedit, quasi lac longiori tempore maturius reddatur. Sed meminisse illi debuerunt non plus requiri temporis ad lac perficiendum quam ad fœtum maturandum: quemadmodum ergo fœtus animalis quod parit 5. mense, æque perfectus est atque maturus, ac fœtus ejus animalis quod parit decimo & duodecimo, ita & lac ejusdem animalis parientis quinto mense æque absolutum elaboratumqne est, ac lac animalis duodecimo parientis: ut propterea nulla inde repetenda sit lactis vaccini bonitatis nota. Bubulum. Costæus perstringitur.

Ovillum, bubulo proximum & substantia & temperie, crassum enim ac pingue est, paulo tamen minus quam bubulum; idcirco minus nutrit, magis vero obstruit, quam & secedere alvo magis dicatur ob serum quo magis affluit. Ovillū.

Caprillum, paulo calidius est supra dictis, substantia quoque tenuiori minusque pingui preditum est, minus quoque nutrit, magis tamen alvo secedit. Caprillum.

Equinum caprillo tenuius & calidius existit; minus etiam homini nutriendo aptum, aptius alvo subducendæ: eximia illi detergendi facultas Equinum.

ineſt ob ejus multi ſeri tenuitatem atque caliditatem.

Camelinum. *Camelinum* equino propinquum dicit Halyabas; ipſum tamen tenuitate & caliditate ſuperat, pauci vero eſt nutrimenti, quod alvum ſubducendi aperiendique facultatem obtineat. Mirari autem aliquis poſſit cur Rhaſes lac iſtud calore ac ſiccitate pollens, ad hydropiſim calidam atque ad jecur calidum & ſiccum commendat, niſi recordetur hepati ſic affecto mediocriter calida potius quam frigidiora convenire, cum frigida altius impingant & obſtruant, moderate calida rarefaciant, & flabellationem procurent.

Aſininum. *Aſininum* reliquis frigidius, tenuius & ſeroſius, minus quoque nutriens, minus obſtruens; ſed maxime ſubducens, terget enim & mundat, abſque tamen acrimonia ac mordacitate.

Suillũ. *Porcinum* ſive *ſuillum* frigidiſſimum adſtruitur; meo quidem judicio perperam, cum ſus frigidiſſimum non ſit animal. Ariſtot. 6. de hiſt. animal cap. 20. craſſius ipſum conſtituit quam ſit caninum, quod ab eo ſummè craſſum dicitur. Ætius quoque lib. 2. cap. 87. craſſiſſimum facit, cum tamen Galenus 10. ſimpl. aquoſum crudumque ponat, ἄπεπτον καὶ ὑδατῶδες Conciliabis Galenum Ariſtoteli, ſi concedas ſtatim à partu craſſum eſſe lac ſuum, progreſſu vero temporis tenuiſſimum & aquoſiſſimum evadere: ſic enim loquitur Ariſtoteles de lacte canum; τὸ μὲν ἐν πρώτον, παχὺ ἐστι χρονιζόμενον δὲ γίνεται λεπτότερον. *Initio*, inquit, *craſſum, proceſſu temporis tenuius fit*. Et certe cum numeroſus ſit partus canum & ſuum, prius ſugunt lac fœtus quam abſolutum ſit & perfecte excoctum: cumque creſcentes fœtus majorem lactis copiam ſugãt, faciunt idcirco ut procedente

tempore ſemper aquoſius & crudius lac reddatur.

Non eſt porro quod longiori ſermone oſtendam verum eſſe quod de lacte hoc capite obſervatum eſt : conſtat quippe ex dictis *vaccillum* & *ovillum* , plus nutrire quam *caprinum* , *camelinum*, *equinum* & *aſininum* : conſtat inſuper *aſininum*, phthiſicis ſalubrius eſſe quam quodvis aliud ; ab eoque *caprillo* , deinde *camelino* , ac tandem *equino* palmam concedendam. Sed ut diximus *muliebre* omne tulit punctum, ſeu nutrire, ſeu medicari volueris.

Quod ſpectat ad alias circunſtantias quibus variari *lac* certum eſt , breviter de eis hæc animadvertenda ſunt. Quo temperatius eſt animal, eo *lac* quoque melius , tale enim eſſe ſolet *lactis* temperamentum quale corpus animalis è quo emulgetur. *Lac* autem macilentorum animalium minus alit ; *lac* corpulentorum & obeſorum periculorum dicitur afferre convulſionis : *lac* molliorum humidius eſt : duriorum ſiccius : optimum eſt ac laudabile , *lac* animalium moderati & mediocris habitus. Quomodo autem *lac* nigriorum animalium melius ſit lacte candidiorum, expoſitũ vide apud Coſtæum loco laudato cap. 7. Animalium in vigore ætatis conſiſtentium *lac* optimum eſt , juniorum liquidius , ſeniorum ſiccius, *lac* poſt partum liquidiſſimum ac tenuiſſimum ſpiſſatur temporis progreſſu , Vere quoque liquidum & copioſum , æſtate ſiccum & craſſum, ſed concoctu facile. Eſt inſuper *lac* ſimile alimentis ingeſtis , aquoſum ex aquoſo pabulo, craſſum ex craſſo , moderatum ex moderato. Caprarum in Juſtinis montibus ſcammonia, veratro, mercuriali veſcentium *lac* ventriculum ſubvertere prodidit Dioſcorides. Uno verbo Galenus 7. meth. cap.

6. ostendit unius asinæ exemplo, quam necessaria sit pabuli totiusque victus ratio ad *lac* optimum consequendum; cujus verba libenter adduco, quod *asinini lactis* usum hìc frequentissimum observem. *Quo vero*, inquit, *optimæ notæ lac fiat, & idoneis nutrimentis alendum animal est, & exercitationibus mediocribus tractandum, & pullus si quem lactat auferendus. Quod autem ætatis quoque maxime florentis esse debeat, id neminem latet. Curandum item ut quam optimè concoquat, contemptis videlicet iis, qui si asinis quoque victus rationem præscribemus, ridebunt. Si enim Venetæ & Prasinæ factionis studiosi equorum stercora, quo intelligant quemadmodum alimenta concoxerint, odorantur, tanquam ex eo omnem eorum bonam habitudinem cognituri: multò profectò magis nostrum fuerit pro hominis salute nihil tale non prospicere, atque herbas animali quæ non admodum sint humidæ fœnumque & hordeum quod sit mediocre, objicere, sed nec ulla obmittere ut Asinæ corpus strigili distringatur, manu fricetur, detergatur, & mundetur. Porro si liquidiora, fœtidiora, & flatus plena excreverit, planum profecto est non concoxisse probe. Quare aut detrahendum aliquid de alimento est, aut exercitationi aliquid adjiciendum, aut qualitates immutandæ aut fricationis cura varianda. Sin duriora reddat animalis alvus, ad contraria est inspiciendum atque illorum aliquid immutandum.* Porro in hoc textu Galenico duo in Greco codice vocabula sunt emendanda: primo enim legitur in vulgo expressis codicibus; οὐκ ἀμελεῖν δὲ οὐδὲ ψύχειν, καὶ ἀνατείβειν καὶ ἀπορύπτειν, καὶ καθαίρειν τὸ τῆς ὀνου σῶμα; id est *neque vero negligere est ut corpus asinæ refrigeretur, fricetur, detergeatur, & mundetur.* Quæritur quid sit refrigerare corpus asinæ,

& quomodo id fieret : hoc cum ignoretur, nonnulli, ut Jul. Alexandr. ψυχεῖν & ἀναψύχειν interpretantur de ablutione per flumina, alii ut Popardus de ſiccatione, ſic ut ſiccari corpus aſinæ debeat, quoties madet, alii ἀναψεκάζειν, alii ἀναψέειν legunt, alii ἀναψέγειν, quod eſt, *aquam ore contentam guttatim roris modo expuere*, ut fit ab iis qui curant equos cum manu cutem & pilum poliunt ac lævigant; ego vero loco ψύχειν, repono ψήχειν, quod eſt *radendo detergere*, ſeu *ſtrigile diſtringere*; eſt enim ψήχειν, velut ſpecies τοῦ καθαίρειν, affineque eſt illud verbum verbo τρίβειν, quod *manu & panno duriore* fieri, ſicut ψήχειν *ſtrigile* ſolet. Galenus correctus.

Alterum vocabulum emendandum, eſt ejuſdem rationis: nam loco ψύξεις, legendum ψήξεις cum τρίψις & ψήξις, ſeſe conſequantur, ut mox dictum, ſolent enim equorum curatores primo *ſtrigile* fricare equos, mox *panno* & *manu*.

Supereſt ut nonnihil addamus de lactis partibus, ætate, & præparatione. Lactis tres partes *caſeoſa*, *butyroſa*, & *ſeroſa*, de quibus poſtea ſeorſum. Lactis partes. *Lac* plurimas caſei partes obtinens, multum nutrit, ſed minus eſt ſalubre: *lac* vero plurimas butyroſas partes obtinens viſcoſius paulo eſt, difficiliuſque diſtribuitur inflammationique generandæ eſt aptum. At seroſum *lac* minimum quidem nutrit, ſed confeſtim alvo ſecedit. Nihil dico de *melca*, *aphrogala*, *argyrotpohemote*, *pyraſto*, χιςῷ, *coloſtro*, *oxygala*. Pergo enim ad ætatem *lactis*, quod intelligo de *recenti* aut *vetuſto*. *Lac recens* enixorum animalium non probatur, improbatur *lac* à partu remotiſſimum: optimum eſt igitur quod medio tempore emulgetur, diu ſervatum ab emulſione *lac* negligendum; recens extractum bonum. Galenus 7. me-

thodi docet expedire ut quam minimo tempore in aëre ambiente *lac* moretur, tum ut calorem quem ex uberibus abstulit, conservet; tum quia celerrime mutari sit aptum genitalis seminis ritu, quod nec ipsum aliquandiu extra propria vasa, si modo suas vires servabit, morari patitur, sed vel in ipsis maris partibus contineri vel ipsius fœminæ partibus hærere postulat. *Et sane*, inquit, *utilißimum est lac, cum ex ipsis mammillis quis hauserit, veluti Euryphon, Herodotus & Prodicus censent, qui tantam in eo ad corpora reficienda fiduciam habuerunt, ut etiam qui phtoe contrahuerant, ex ipsa mulieris papilla lac sugere juberent, verum cum hoc plurimis non placeat, melius est calens adhuc ex mammillis id in ægri ventriculum, quam ocyßime transferre.* Cæterum crudum *lac* non assumendum nisi recenrissime mulsum; flatus enim excitaret, coctum minus flatulentum: sed quia serum coctione absumitur, crassius evadit, sic ut obstruere venas & adstringere alvum facilius possit. Denique cum *lacte* multa solent edulia parari, quæ lauta magis sunt quam salubria; optimum autem erit si vel salis modicum vel sacchatum lacti admiscuerimus mellis loco, ut Galenus præscribit, sic enim & minus acescit, & melius nutrit. Nolui plura de lacte congerere, tu si velis repete ex Gesnero opere de lacte & operibus lactariis, Jacobo Bifronte epistola de caseis & operibus lactariis, Hieronymo Acorombono tractatu de lacte; Julio Cæsare Claudino tractatu de natura & usu lactis, Julio Cæsare Baricello libris de lacte, Joa. Costæo opera de facili medicina per seri & lactis usum; ex quibus omnibus discere poteris quibus in morbis lac conveniat, quamque & febricitantibus & caput dolentibus

dolentibus ſit noxium, ſicut aſſerunt Salernitani, auctoritate Hippocratis freti, qui aph. 65. ſectionis quintæ *lac præbere capite dolentibus, febriculoſis & quibus hypochondria elata aut murmurantia & ſiticuloſis*, κακὸν eſſe pronunciavit, de quo aphoriſmo conſule Commentatores.

De Caſeo.

Cap. LXXVI.

Caſeus eſt gelidus, ſtipans, craſſus, quoque durus;
Caſeus & panis ſunt optima fercula ſanis,
Si non ſunt ſani, tunc hunc ne jungito pani.
Ignari Medici me dicunt eſſe nocivum.
Sed tamen ignorant cur nocumenta feram.
Expertis reor eſſe rarum, nam commoditate.
Languenti ſtomacho caſeus addit opem;
Caſeus ante cibum confert, ſi defluat alvus,
Si conſtipetur, terminet ille dapes.
Qui phyſicen non ignorant hæc teſtificantur.

Duæ ſunt in hoc capite partes, in quarum priori duo peraguntur. *Primo*, quatuor referuntur facultates caſei. Quarum prima eſt, ipſum eſſe gelidum, id eſt, temperatura frigidum: quod intelligi debet de recente ac molli qui frigidus & humidus, & non de vetere, qui calidus & ſiccus eſt. Atque hujus ſane rei graviſſimum habemus teſtem Paulum Æginetam, qui libro ſeptimo ſic ait: Caſeus recens, compactus & mollis, repulſoriam vim habet, leniter perfrigerans. Quinetiam de eo intelligi poteſt, qui conficitur ex ſola lactis coagulatione, abſque ulla alterius rei com-

mistione. Reperitur enim qui ob aromatum quorumdam ac odoratarum herbarum admistionem acrior & calidior evaserit, & ob id linguam vellicet, atque ventriculum excalefaciat. Talis autem colore potissimum viridis existit, qui si majore paulo mole ingeratur, corpus vehementer exurit. Secunda est, caseum stipare, hoc est, adstringere ac cohibere alvum, quod maxime solet pręstare vetus, cui multum coaguli admistum est. Tertia est, ipsum esse crassum, quod est crassos generare humores, idque nullo excepto. Omnis enim caseus fit ex crassiore & terrestri magis cujuslibet lactis substantia, admisto coagulo, & expresso inde sero. Quarta est, caseum esse durum, id est, ægre & concoqui, & alvo discedere: nimirum propter succum crassiorem.

Secundo deinde loco hoc etiam adseritur: nempe caseum parva mole cum pane sumptum, optimum sanis hominibus esse cibum, quippe qui panis admistione concoctu reddatur facilior: cum alioqui per se sumptus admodum ob concoctionis tarditatem offendat: Ægrotantibus vero propterea quod neque ad concoctionem, ut dictum est, neque ad movendam urinam, neque ad ciendam alvum, neque ad succi denique probitatem quicquam boni confert, omnino fugiendus est. Pura de hoc supra cap. 3. & 4.

In prioribus duobus versibus posterioris partis προσωποποιία est. Fingitur enim caseus se ipsum adversus malignos vicinos aut vituperatores defendere: Ignari, inquiens, Medici, dicunt me nocivum esse: quum ipsi tamen ignorent causam cur humanæ naturæ nocere dicar. Allusum autem videtur ad illud, quod ab Hippocrate in lib. de

veteri Medicina ſcriptum eſt in hunc modum. Atqui, inquit, mihi neceſſarium eſſe videtur, ut omnis Medicus de natura ſciat, & omni ſtudio annitatur ut cognoſcat (ſi modo aliquid eorum quæ fieri debent, recte præſtare velit) quidnam ſit homo ad ea quæ comeduntur ac bibuntur comparatus & quid cuique ab unoquoque contingat & accidat. Nec ſimpliciter tantum ſic exiſtimet oportet, quod malum edulium eſt caſeus, quia dolorem afferat repleto ex ipſo, ſed etiam ſciat, quem dolorem afferat, & propter quid, & cui parti intra hominem exiſtenti incommodus exiſtat. Quandoquidem & multa alia eſculenta ac potulenta, quæ natura mala ſunt, hominem tamen non eodem modo afficiunt. Exempli cauſa: Vinum meracum, ſi multum bibatur, hominem aliquo modo debilem reddit: & omnes qui viderint, hoc fatentur, & cognoſcunt hanc eſſe vini vim, & vinum cauſam eſſe, quinetiam in quas hominis partes maxime agat novimus. Talem proinde veritatem in aliis quoque apparere volo. Ergo caſeus (quandoquidem hunc in exemplum aſſumpſi) non omnes homines lædit: ſed ſunt qui ex ipſo repleti ne tantillum quidem offendantur, imo gracilibus mirabiliter etiam conferre perhibetur. Sunt autem alii qui eo ſumpto difficulter à noxa liberantur. Horum igitur naturæ differunt. Differunt autem ſecundum hoc, quoniam, id quod in corpore caſeo eſt contrarium, à caſeo excitatur & commovetur in iis quibus ejuſmodi humor cultus exiſtit: & quanto potentior hic eſt, tanto pejus illos habere rationi conſentaneum eſt. Quod ſi toti humanæ naturæ inimicus eſſet, omnes utique læderet. Eam ergo differentiam ſi quis noviſſet, non incurreret profecto, ne-

que pateretur ista. Hactenus Hippocrates.

Tertio, deinde loco duæ recensentur utilitates ab ingesto caseo. Quarum prima quidem est, ipsum debilitatem abscindere stomachi: ubi sciendum tamen, quod non quilibet statim caseus cuivis subveniat stomacho (casei siquidem in certis quibusdam casibus omnes ex æquo nocent, stomacho nimirum raræ texturæ, ac illi quoque qui ex longa ægritudine adhuc debilis se colligit) sed recens, mollis, ac pauci lentoris particeps, quemadmodum libro tertio ad Almans. capite decimo quinto Rhases testatur: calido atque sicco stomacho apprime confert: exustionem enim, caliditatem & siccitatem ejus, frigiditatis, ac humiditatis ratione, reprimit & emendat. Contra vero eidem vetus admodum & acris, cuique multum coaguli injectum est manifeste officit. Stomacho autem cujus pelliculis multa infarta sunt phlegmata, plurimum confert caseus qui inveteravit, & ob id quam prior acior atque ardentior evasit: phlegmata enim acrimonia sua incidit, abstergit, & infra subducit. Rursus vero recens ac mollis huic maxime nocet.

Secunda est, caseum priori loco exhibendum iis, quibus venter majorem in modum solvitur: posteriori vero quibus idem ob imbecillitatem non respondet. In universum namque adstringentia, si prius ante alium cibum aut edantur, aut bibantur, alvum comprimunt. Quibus autem ob imbecillitatem venter non respondet ii molliendi virtute prædita, nempe olera, aut pisces, aut id genus aliquid præsument, deinde adstringentia (quorum in numero caseus etiam reponitur) quæ dum ipsum firmant ac roborant, deorsum in ventriculi fundum; ubi con-

coctionis officina est, propellunt, adque excretionem tandem incitant: id quod ex veræ medicinæ peritis neminem latere arbitror. Vide Galenum lib. 2. de aliment. facult. cap. 22. ubi rationem tradit, cur Rhetori cuidam adstringentibus post alios cibos laxantes sumptis venter fuerit solutus. Hujusce rei meminit etiam Paulus libro primo capite centesimo octogesimo primo. De acido caseo ita scribit Ætius libro secundo capite centesimo primo. Recens caseus qui ex acido lacte fit, & ob id ὀξυγαλάτινος appellatur, omnium optimus censendus est. Nam in cibo jucundissimus est, & stomacho innoxius præ omnibus aliis caseis existit, minus ægre concoquitur, & minus ægre transit, neque vero valde crassi succi est, quo crimine in communi omnes casei sunt infames. His addit Rhazes, acidum caseum exigua mole ultimo post alios cibos loco ingestum roborare os ventriculi, atque auferre etiam ἀνορεξίαν, ac nauseam, quæ ex dulcibus & pinguibus cibis proveniunt.

Animadversio.

QUoniam Commentator remittit ad caput tertium & quartum hujus sectionis ubi de caseo actum fuit: Idcirco placet hic apponere commentarium illum novum & copiosum qui nondum in manus meas venerat, eo tempore quo excussum est illud caput. Nobis enim proposueramus initio edere commentarios Joa. Curionis & Jacobi Crelliti impressos Parisiis anno Christi millesimo quingentesimo quinquagesimo quinto: & jam opus istud ad quartum usque ca-

put sectionis secundæ deduxeramus. Sed ubi animadverti adauctos fuisse illos commentarios politioresque evulgatos Chovetti opera, mutavi consilium, & novum istud opus recudendum suscepi. Ergo cum tertium caput illius novi operis excussum non sit, commode hoc loco transcribi potest, ut hac ratione studiosis medicinæ consulatur, qui beneficio nostræ hujus editionis alios omnes cujuscunque editionis libros possidebunt. Sic vero se habet ille commentarius.

Duodecim alimentorum genera plurimum nutrientia & impinguantia hoc loco referemus.

Triticum. *Primum*, Triticum, ut panem videlicet triticeum per triticum intelligas. Hic enim Avicennæ 2. Canon. cap. 572. celeriter impinguat, presertim si ex novo tritico preparatus fuerit. Porro quod ad tritici temperamentum attinet, ipsum est primi ordinis excalefacientium: non tamen nec resiccare, nec humectare manifesto potest, quemadmodum Galenus libro octavo capite septuagesimo secundo de simplic. medic. facult. & post eum Paulus libro septimo luculenter & perspicue docuerunt. Hinc etiam Rhases libro tertio ad Almanf. cap. 2. fere scriptum reliquit: Triticum moderato proximum, aut paulo calidius est. Prestantia ejus sumitur, partim quidem à propria substaniia, partim vero à preparationis modo. Quod quidem ad substantiam attinet, est & in tritico non parva speciatim differentia: quippe quod grave est, densum & in profundo flavum, copiosissimi id alimenti est, crassique succi ac lenti: contra quod leve est & rarum & album, minus nutrit, succumque gignit crassum minus ac lentum. Atque ejus rei locupletissimus idemque gravissimus testis est

Hæc pertinent ad cap. 3. hujus sectionis.

Galenus, qui libro primo de aliment. facult. capite nono ita ſcribit: Inter tritica plurimum habent alimenti quæ denſa ſunt, totamque ſubſtantiam habent adeo compactam, ut dentibus vix dividi queant. Talia enim exigua mode corpora plurimum nutriunt: quæ vero iis ſunt contraria, quæque dentibus quidem facile franguntur, fractaque rara ac laxa apparent, magna mole exiguum reddunt alimentum. Quod ſi utrorumque parem molem pendere libuerit, quæ denſa ſunt, multo graviora eſſe comperies. Hęc autem ſunt colore etiam laxis flaviora. Explorare autem horum naturam non ſimpliciter oportet, ſuperficiem externam duntaxat contemplando, ſed dividendo quoque ut diximus, ac frangendo, multa enim quæ extrinſecus flava ac denſa fuerant viſa, rara intus ac laxa albaque apparuerunt. Hęc ille. E quibus ſane verbis illud etiam ſequitur, nempe panem ex denſo, gravi ac flavo tritico confectum omnium eſſe tum pręſtantiſſimum, tum maximi alimenti, adeoque magis etiam victus ſalubris ratione convenire, quam qui ex quibuſlibet aliis granis confectus ſit. Panem autem, qui ex nigro atque inveterato tritico prępáratur, nemo affatim citra ſanitatis diſpendium mandet. Quod ſi quis ei non aſſueverit, etiam ſi minimum ſumpſerit, ægrotabit. Eſt enim injucundus, gravis, concoctu difficilis & mali ſucci. Contra vero qui ex electo tritico conficitur, non modo ad concoquendum eſt facilis, ſed hominum etiam corporibus eſt ſaluberrimus, ut qui ſanguinem medium conſiſtentia generet. Medium autem Galenus libro 3. de aliment. facult. capite 27. vocat, qui neque admodum tenuis eſt, neque aquoſus, neque vehementer craſſus. Verum

hactenus de tritici secundum substantiam electione hęc dixisse, huic sermoni, in quo præstantiam inquirere instituimus, satis sit: nunc reliquum est, ut de præparatione nonnihil etiam dicatur. *Sciendum* igitur quod omnia quæ ex farina tritici friguntur, crassi sunt succi, & tarde transeunt, jecorisque meatus per quos fertur alimentum, obstruunt, lienis imbecillitatem augent, calculos denique in renibus gignunt. Quod si tamen cocta belle fuerint, atque in sanguinem mutata, admodum nutrient. Triticum vero elixum, grave & concoctu difficile est edulium & inflationes creat. Vires tamen habet magnas, si sic sumptum concoquatur, nutritque valide corpus, ac robur insigne iis qui ipso usi fuerint, conciliat, ut lib. 1. cap. 14. de alim. facult. & in libro de attenuante diæta cap. 5. testatur Galenus. Concoctu autem inter panes sunt facillimi, qui plurimum sunt fermentati & pulcherrime subacti, quique in clibano igne moderato fuerunt assati. Nam ignis ardentior primo statim occursu superficiem externam circumurens in testæ modum indurat, acciditque duplici nomine pravum panem fieri: priore quidem, quod partem internam habeat crudam atque illaboratam; posteriore vero, quod externam siccam habeat, pręassatam ac testaceam. Porro ignis moderato remissior panem minus belle elaborat, sed ipsum crudiorem relinquit, & maxime partem omnem ejus internam. Qui autem in igne moderato largiore spatio per totos seipsos æquabiliter assati fuerint, ii tum bellissime in ventriculo concoquentur, tum ad cæteras actiones quæ coctionem consequuntur, erunt accommo-

dariffimi. Peffimi autem panes ii funt habendi, quibus nihil memoratorum ante adeft. Plura Galenus l.1. de alim.facult. c.9.& infra c.24. hujus opufculi.

Secundum, Lac, quod de eo lactis genere cum primis intelligendum videtur, quod ὀξύγαλα Græci, Arabes Adoc, vel Adhoc, vel Adech, Barbari vero Balbucam nominant, id eft, lac acidum ebutyratum. Hoc enim cum pane calido five recenti fumptitatum, corpora maxime impinguat. Verum cum frigidum fit ac craffi fucci, non fimpliciter omnibus, fed iis folis, qui id probe concoquant exhibendum eft. A ventriculo enim qui quavis de caufa frigidior eft, minus belle conficitur: à temperato vero quamvis ægre, conficitur tamen aliquantum. Contra ventriculi jufto calidiores, five ab initio tales fuerint, five à quapiam caufa poftea in eam temperiem fint adducti, præterquam quod nihil ab hujufcemodi eduliis læduntur, commodo etiam aliquo fruuntur. Sed de hoc copiofius Galenus libr. 3. de aliment. facult. c. 19. Intelligi etiam de lacte caprino poteft, de quo c. 7. abunde diximus.

Tertium, cafeus infans five recens, de quo Diofcorides libro fecundo capite fexagefimo primo ita fcriptum reliquit: Cafeus recens fine fale fumptus alit, ftomacho utilis eft, & facile in membra dividitur, corpus auget, alvum modice emollit: alius tamen alio præftantior, pro natura lactis è quo conficitur. Eadem fere tradit & Avicenna 2. Cano. c. 126. Etfi vero cafeus jam dictus abundanter alit, & corpus impinguat, nihilominus tamen & ipfius efum confequunrur nocumenta illa, quæ c. 7. recenfui.

Cafeus recens.

mus. Quare ad secundæ valetudinis usus inutilis habetur.

Quartum, testiculi, quod primo quidem de Gallorum saginatorum testiculis intelligendum est. De illis enim Galenus libro tertio de aliment. facult. capit. 5. in eum scribit modum: Gallorum Gallinaceorum altilium testes & suavissimi sunt, & laudabile corpori prębent alimentum. Et iterum ubi supra capite 6. Soli Gallorum Gallinaceorum testes undiquaque sunt pręstantissimi, & potissimum eorum qui saginati fuerint. Et multo clarius adhuc capit. 20. ejusdem libri: Gallorum, inquit, Gallinaceorum testes sunt præstantissimi, præcipue altilium, & multo magis si cibus, quo sunt nutriti, seroso lacte fuit imbutus: nam & boni sunt succi, & valide nutriunt, & ad coquendum sunt facillimi. Quin etiam Avicennæ testimonio 2. Cano. capit. 719. eadem confirmantur, exigua prætere a mole, eodem Avicenna 4. 1. capit. 1. teste, plurimum nutriunt. Deinde vero intelligendum etiam de testibus suum juvenum mediocriter pinguium, qui nondum coïerunt. Nam quanto suum caro aliis est præstantior, tanto horum quoque testes aliorum animalium testibus sunt meliores, quemadmodum diserte admodum Galenus libro tertio de aliment. facult. demonstravit. Illud quoque hoc loco ignorandum non est, nempe adultiorum animalium testiculos, in quibus semen jam fermentatum est, ad coquendum esse difficiles, ac virosi malique succi: juniorum vero quæ nondum coierunt, & in quibus semen nondum fermentatum est, præstantiores esse, & laudabile corpori tribuere alimentum, si belle conficiantur, alios tamen magis, alios

minus, pro ea proportione, quam in carne inesse diximus.

Quintum, porcina caro; de cujus præstantia & effectu satis superque dicemus. Caro porcina.

Sextum, Cerebrum: de quo copiose admodum Galenus libro tertio de alim. facult. capit. 7. in eum scribit modum; Cerebrum omne cibus est pituitosior, crassique succi, & tarde permeans, ac ad coquendum difficilis. Non minimum etiam cerebrum omne stomacho nocet. Quidam autem ipsius mollitie decepti ipsum ęgrotis exhibent, cum præter alia nauseam etiam concitet. Quinimo cum cuipiam à cibo vomitum movere vis, hujus partem pinguiter condîtam postremis epulis edendam exhibe. Illis vero cave exhibeas, qui cibum non appetunt, quos veteres ἀπαοίτους appellabant. Merito igitur nemo cerebrum ab aliis epulis mandit, cum omnes ipsa experientia edocti, sciant ipsum nauseam excitare. Jure etiam plerique cum origano mandunt, uti nonnulli cum sale variis modis apparato: quippe cum crassi sit succi & excrementitium, omnino sit accommodatius, quando cum incidentibus & calefacientibus fuerit paratum. Si tamen recte conficiatur, alimentum corpori præstabit non contemnendum. Hæc ille. Sunt etiam qui cerebrum, prius quam mandatur, super craticulam probe inassandum esse moneant, quod scilicet ejus immoderatio per ignis caliditatem magna ex parte corrigatur ac temperetur. Rhazes libro tertio, ad Almansor. capite undecimo hoc etiam adjungit, nempe cerebrum calidæ quidem temperaturæ hominibus in cibo esse utile, frigidioribus vero, quique vitam frigidis passionibus obnoxiam degant, adversissi-

Cerebrum.

mam. Neque id quidem temere. Quippe similibus (ut testis est Galenus, cum alibi sæpius, tum præcipue libro primo de sanitate tuenda capite decimo) quilibet excessus augescit, contrariis emendatur ac minuitur. Ut autem summatim de cerebro perstringam, ad victus salubris rationem parum accommodum est: quare ex intervallo potius ac parce, quam assidue atque affluenter eo vescentur, qui sanitatis tuendæ curam susceperint. Quorundam tamen animalium cerebrum ceu medicamentum valet. Sic cerebrum capreoli adversus venena & virulentarum bestiarum morsus remedio est. Terrestris leporis inassatum cerebrum manditur juvandis tremoribus; qui valetudine contracti sunt, affrictu aut cibo facilem infantibus dentitionem præstat. Quidam etiam adversus metum utiliter edi prodiderunt. Cerebrum pulli & caponis in vino bibendum datur contra serpentum morsus, sanguinem à cerebri membrana profluentem sistit: & in cibo cerebri substantiam auget, unde & his, qui tardiori leviorique ingenio ac mente sunt, prodesse dicitur. Quod ad electionem attinet, animalia volucria exiguum quidem habent cerebrum, sed ipsum tamen tanto pedestrium cerebro est præstantius, quanto, & siccius: volucrium autem ipsorum, montana cerebrum habent quam palustria præstantius, pro aliarum omnium partium proportione. Porro ex pedestribus animalibus, Avicenna agninum præfert, post hoc vero vitulinum præcipue commendat 2. Can. c. 128.

Diosc. lib. 2. c. 40.

Septimum, Medulla: de qua Galenus libro 3. de aliment. facult. capit. 8. hæc prodidit: Medulla, inquit, quæ in ossibus invenitur, cere-

bro eſt dulcior, jucundior ac pinguior, adeo ut ſi ea inter ſe comparando guſtes, putaturus ſis cerebrum auſterum etiam aliquid in ſe habere. Porro medulla nauſeam provocat, ſi liberalius ſumatur, quemadmodum & cerebrum: nutrit tamen & ipſa ſi probe conficiatur Avicenna cum ſeminibus & pipere condit. Can. capit. 492. Quod delicati quidam lurcones & artis obſonatricis periti faciunt cydoniis & paſſulis. Laudatiſſima eſt cervina, mox vitulina. Poſt hanc taurina, deinde caprina & ovilla. Dioſcorides libro ſecundo capite ſexageſimo ſexto.

Octavum, Dulcia vina: de quibus infra.

Nonum, Cibus guſtui jucundior: talis enim non exiguum corpori tribuit alimentum, quemadmodum Hippocrates etiam libro ſecundo Aphoriſm. 38. monet ubi ſic ſcriptum reliquit: Paulo deterior & potus & cibus, verum jucundior, melioribus quidem, ſed jucundioribus præferendus eſt. Quam ſententiam ipſe exponens Galenus: Quæcumque, inquit, cum voluptate aſſumuntur, iſta ventriculus arctius amplexatur, & facilius concoquit. Refugere autem conſuevit ea, quæ injucunda, & inſuavia ſunt, utpote quæ vel nauſeas, vel inflationes, vel fluctuationes pariant: quod quidem in plurimis etiam iis qui boni ſunt ſucci, cibis accidit. Quando vero paulo fuerit deterior, tunc in iis qui libenter hunc aſſumunt, non modo, non etiam deterior, ſed quandoque melior redditur.

Decimum, Ova ſorbilia: quæ ſane alio capite parva mole plurimum alere oſtendemus.

Undecimum, Maturæ ficus, de quibus Si-

meon Sethi hæc tradit: Ficus admodum nutriunt, carnem tamen non compactam, neque firmam generant, ceu panis & suilla, sed sublaxam ac subinanem, ut fabæ; ventrem flatibus implent, nisi probe, concoquantur, minus vero cæteris sunt mali succi, & ventrem proritant, & facile exeunt: Effatu vero dignam abstergendi facultatem obtinent, quo fit ut post ipsarum esum nephritici multas arenas excernant. Maturæ ficus nihil propemodum omnino lædunt, proximeque ad caricas accedunt, multaque cum illis utilia habent. Si quis tamen largius esitaverit, in una re ab eis offendetur: quandoquidem sanguinem non admodum probum gignunt, quo fit ut ex ipsarum usu pediculorum multitudo proveniat. Oportet autem post usum ficuum alimentum quod incidat & extenuet ingerere. Ad hæc fici pulmonem & thoracem juvant. Aiunt insuper contra venenosa facultatem habere, si quis singulis diebus jejunus eis utatur. Caricæ pectus juvant, & ad tusses faciunt, urinam cient, satisque nutriunt, corporis etiam bonam habitudinem efficiunt. Ante cibum sumptæ ventrem irritant, sed nisi celerius ventrem pertranseant, non bonum sanguinem gignunt. Quapropter si ad satietatem usque edantur, scabiem & pruritum excitant. Cibus autem bonus est, & adversus venena, remedia, si cum nucibus aut amygdalis comedantur. Renes expurgant, & jecoris lienisque obstructiones auferunt, verum calefaciunt, & sitim inferunt, & flavam in calidioribus temperamentis bilem procreant. Addit Galenus, jecori lienique inflammatione obsessis esse noxias, quemadmodum & ficus, non peculiari quadam & eximia facultate,

ſed communi ratione dulcium omnium ciborum ac potuum, obſtructis autem illis, aut σκίῤῥῳ adfectis ipſis ex ſeſe nil commodare, nec officere, ſed medicamentis incidentibus ac extenuantibus & abſtergentibus miſtas non mediocriter juvare. Proinde nonnulli Medicorum in dictis lienis ac hepatis affectibus exhibent ipſas longe ante cibum cum thymo, aut pipere, aut zingibere, aut pulegio, ſatureia, aut calamintha, aut origano, aut hyſſopo. Ad eundem autem modum ſi caricæ cum alio quopiam eorum, quæ facultatem habeant acrem, aut omnino incidendi ac extenuandi, aſſumantur, juvabunt non ſolum ſic affectos, ſed etiam ſanos. Siquidem jecoris meatus per quos fertur alimentum, apertos eſſe non ægrotis modo, ſed ſanis etiam eſt tutiſſimum. Ad eum igitur modum vulgo ficubus cum attenuantibus ſale, & aceto & garo præparatis veſcuntur, quod ipſas utiles eſſe experientia didicerint. Plura Dioſcorides libro primo capite centenſimo quadrageſimo ſecundo, Galenus libro ſecundo de aliment. facult. capit. 8. Paulus libr. 1. capit. 81, & Ætius libr. 1.

Duodecimum, Uvæ recentes, id eſt, dulces & maturæ. Nam ficus & uvæ, quemadmodum inter fructus autumnales principatum obtinent, ita fugacibus omnibus magis nutriunt, minimumque pravi ſucci habent, præſertim cum exactam maturitatem fuerint adeptæ. Porro quod ipſæ nutriant, maximo argumento ſunt ii, qui vinearum fructum cuſtodiunt, qui cum duos menſes ſolis uvis ac ficubus, quarum cuſtodiæ præſunt, veſcantur, (niſi forte panis quippiam cum illis addant) corpulenti tamen Vva.

admodum fiunt. At caro quæ ex ipſis gignitur, haudquaquam eſt firma ac denſa, quemadmodum ea, quæ ex carnibus fit, ſed laxa eſt ac prę-humida: ob id celeriter etiam cum veſci ipſis deſierint, conſtringitur ac concidit. Verum uvæ minus alunt quam ficus, maximumque id ipſis ineſt commodum, quod velociter ſubeant. Quocirca ſi quando hæſerint, graviter lædunt: neque enim retentæ belle concoquuntur, & dum in jecur ac venas diſtribuuntur, ſuccum crudum generant, qui non facile in probum ſanguinem mutetur. Vinaceorum ſive nucleorum ſubſtantia ſicca eſt, & quodammodo adſtringens, omniaque inteſtina pervadit, nihil quod ſenſu deprehendi queat à ſeſe mutata. Uvæ vero tantiſper à collectione, dum membrana extrinſecus ambiens detumuerit, penſiles aëri expoſitæ neque ſiſtunt ventrem, neque proritant, minuſque flatibus implent: cæteris autem facilius concoquuntur, & melius nutriunt. Non parva autem eſt inter uvas differentia, quod aliæ ſint dulces, aliæ acidæ, aliæ auſteræ, aliæ denique nullam vehementem habeant qualitatem: vocant autem ipſas vinoſas. Cæterum quæ dulces ſunt, ſuccum habent calidiorem, & ob id ſunt ſitibundæ: auſteræ vero & acidæ frigidiorem: vinoſæ autem locum inter calidum ac frigidum medium obtinent. Alvum ſubducunt dulces, & maxime ſi ſint humidæ. Omnium quidem certe uſus (ſi quis moderate ſumat) eſt tutiſſimus, cum natura fuerint carnoſæ ac maturæ, ſive in vite ſummam maturitatem obtinuerint ſive quod maturitati deerat, ex conſequenti ſuſpenſione ſint adeptæ. Uvæ quæ albæ ſunt, vehementius alvum turbant & ſubducunt, magiſque ſtoma-
chum

chum inflant, quam nigræ; omnes vero ciborum appetentiam excitant, & Venerem. Convenit cum eduntur membranam & nucleos expuere, quod difficulter conficiantur, quemadmodum luculenter & perspicue docuit Galenus libro secundo de aliment. facult. capite nono, & libro primo de locis affectis capite quarto, & post eum Simeon Sethi in Syntagmate de ciborum facult. Cæterum recentes è quibus vinacei exempti sunt, celerrime pertranseunt cibisque aliis præeunt, si in ventriculum purum inciderint, & sumptæ primis epulis fuerint. Quod si sumptæ post alios cibos fuerint, aut etiam pravum succum in ventriculo offenderint, celerrime una cum aliis cibis corrumpuntur. Idem de aliis quoque fructibus alvum subducentibus intelligendum. Si cui viridibus ac recentibus uvis vesci placuerit, ad horam fere in aqua fervida ut maceret, ac frigida deinde abluat oportet, prius quam mandere ipsas aggrediatur: quæ enim ita præparantur innoxiæ fiunt. Uvas quæ subtilem ac tenuem habeant corticem, citius deorsum concedere, minusque ventrem flatibus implere: his vero contrarias contraria operari, Rhazes libro tertio ad Almansor. capite secundo autor est. Uvæ acerbæ atque immaturæ, frigidæ & humidæ sunt, ventrem constipant, stomachum corroborant, & caliditatem à flava bile ortam sedant, sed parum nutriunt. Succus inde expressus, qui Græcis vocatur ὀμφάκιον, vulgo Italorum & officinis Aggresta, bibitur ad recentem sanguinis recreationem, etiam si rupta parte aliqua contingat; sed pauco & aquatiore est utendum. Plurimis vero ante diebus inve-

teratur, cumque ſtillatitio roſarum liquore decoctus atque exhibitus, nauſeantibus & his qui cibaria in ventriculo non retinent, ſuccurrit. In cibo adſtringit, bilioſo alvi profluvio & dyſenteriæ proficit. Sunt præter has etiam uvæ ſiccæ, quæ quod in ſiccando Solem patiantur, & ignem, paſſæ ſive paſſulæ vocantur: hæ ſunt aliis uvis calidiores, ſtomacho gratiores, valentius alunt: ſed minus ſubducunt alvum, eandemque ferme cum aliis uvis habent rationem, quam caricæ cum ficubus. Multæ enim fiunt dulces: acerbæ autem omnino paucæ, plurimæ vero ex dulci & auſtera qualitate ſunt miſtæ: quamquam dulces nonnihil quoque auſteræ qualitatis habeant, & auſteræ dulcedinis. Cęterum ut dulces temperamento ſunt calidiore, ita auſteræ frigidiore. Ad hoc auſteræ ſtomachum roborant, & ventrem conſtipant, & his multo magis acerbæ: mediam autem quodammodo inter ipſas conſtitutionem dulces obtinent, ut quæ nec ſtomachum diſſolvant, nec alvum ſubducant. Dulcibus tamen ut vis quædam ſemper ineſt contemperandi, ita & mediocriter detergendi: quibus duabus exiguas mordicationes quæ os ventriculi infeſtant, obtundunt. Bellè nutriunt exacinatæ, pectus & pulmonem juvant, ſtomachum, jecur, & lienem corroborant. Cum nucleis manducatæ conducunt inteſtinis. Eſt tamen præſtabilius nucleos exſpuere, propter duritiem & ferream ipſorum eſſentiam. Uvæ paſſæ pingues ſeptem drachmarum pondere per ſex dies ſumptæ ab jejuno purgant phlegma, & ſanguinem abundare faciunt. Tota ſubſtantia familiares ſunt hepati, & uſu crebro conſuetæ: nutriunt enim ipſum & impinguant,

ſanguini bonum colorem præſtant, & humores percoquunt: ob id feliciſſime exemptis vinaceis miſcentur medicamentis hepaticis. Sed ſi paulo largius ſumantur, incendunt & exurunt ſanguinem. Pręſtantiores autem ſunt, quæ tum pingues ſunt, tum corticem habent tenuem, dulcioreſque. Paſtulæ minus quidem quam caricæ ventrem movent abſterguntque, ſtomacho tamen magis accommodantur. Plura Galenus libr. 2. de aliment. facult. capit. 9. & 10. Paulus libr. 1. c. 81. Ætius libr. 1. Simeon Sethi in Syntagmate Rhazes libr. 3. ad Almanſ. c. 20. Avicenna 2. Canon. c. 737. Averroës 5. Collectan. c. 37. Rabbi Moſes Tract. 3. ad Sultanum Babyloniæ & Jacobus Sylvius lib. 1. de medic. ſimpl. nat. Ex quibus ſane omnibus ſatis liquet, quæ de recentibus hoc loco dicuntur uvis, ea etiam de paſſulis eſſe intelligenda.

Cęterum de *caſeo* plura habentur apud Athenęum libr. 14. capit. 22. Plinium libr. 11. capit. 41. & 42. Iſaacum lect. 47 diętarum univerſ. Stuckium antiquit. convivial. libr. 1. & 2. Geſnerum de lacte & operibus lactariis; Ludovicum Guyonum libr. 4. diverſ. lect. capit. 21. tom. 1. Joan. Langium ep. medicin. lib. 2. ep. 29. Mercurialem variarum lect. libr. 2. capit. 26. Sed & Thomas Sagittarius exercitationem emiſit & quęſtionem quomodo fiat ut multi abhorreant ab eſu caſei, quod etiam examinavit Thomas Eraſtus apud Smetium Miſcellaneorum lib. 2. c. 34. habet quoque obſervationem admirandam de caſeo Balduinus Ronſſæus lib. epiſt. obſervar. ſexta. Concludo cum diſticho dotes caſei comprehendente.

Non Argus, Largus, non Magdalena, Matuſtem,
Non Abacuc, Lazarus, caſeus iſte bonus.

Quibus verbis ſignificatur eum caſeum qui non eſt ocellatus & foraminatus, qui ſale nimio aſperſus non eſt, qui nec capillis intrinſecus ſordet, nec liquórem ſtillat, qui vetuſtus non eſt, qui non durior, qui denique fœtidus non exiſtit, optimum eſſe ſtatuendum.

De Butyro & Sero.

CAP. LXXVII.

Lenit & humectat, ſolvit ſine febre Butyrum:
Incidit, lavat, ac penetrat, mundat quoque Serum.

Butyri proprietates tres.

DUo hic examinantur. Primum eſt de Butyro cujus tres proprietates referuntur.

Primo, cum doloris ſedatione lenit & maturat: Siquidem temperate calidum eſt, & natura pingue atque oleoſum, facultatiſque concoquentis, paulum habens etiam digerendi potentiæ, in mediis nimirum corporibus ſecundum duritiem & mollitiem. Bubonas igitur & parotidas juvat, gingivas extenuat, & præſertim in infantibus dentientibus, item humores in pectore ac pulmone fixos linctu concoquit.

Secundo, humectat, ex meliore namque lactis eſſentia conſtat. Quemadmodum ergo lacti, unde ſejunctum eſt, humectandi vis ineſt, ita & butyro ineſſe oportet.

Tertio vero, solvit, largius enim sumptum, cum ob suæ substantiæ lubricitatem, tum ob communem omnium ciborum humidorum rationem, qui scilicet citra adstrictionem sunt humidi, facilè per ventrem subit. Sed febricitantibus & calidoribus naturis non æque ut aliis convenit: ipsis enim in flavam bilem convertitur.

Illud porro nosse hoc loco utile est, quod butyrum ob superabundantem & humiditatem & pinguitudinem in alimentis, usu præsertim immoderatiore, expetendum non est. Ventriculum enim resupinat ac subvertit, & ad vomitum incitat. Neque vero ultimo post alios cibos loco ingerere convenit, quippe cum humidum sit ac lubricum, facileque subduci queat, in superficie natans corrumpitur, atque ob hoc ipsum ante alios cibos sumendum est. Ita enim citius subducitur, & aliis cibis viam munit. Quocunque oleo magis tum nutrit, tum cibos condit: quo fit ut obsoniis additum olei atque adipis vicem merito penset. Unice tamen hoc semper cavendum, ne usus ejus sit immoderatus, neve in ventriculo accendatur. Pinguia enim inflammata, quemadmodum in majori praxi tract. 6. capit. 15. rubr. 4. Joannes Michaël Savanarola scriptum reliquit, in melancholiam adustam transeunt, ex qua lepra deinceps generatur. Quo fit, inquit ille, ut ob nimium Butyri usum multi leprosi in Germania reperiantur. Recens etiam butyrum contra bestias quæ virus ejaculantur, venenaque & foris illitum, & per os assumptum efficax est: ab aspide enim percussis utilissime imponitur, & in pestilenti aëris constitutione quotidie cum puri panis tribus aut quatuor bolis mane ab jejunis devora-

tum, mirifice ad ſanos ab infectione præſervandos confert. Plura de butyro Dioſcorides libr. 2. capit. 62. Galenus libr. 10. capite 10. de ſimpl. medic. facult. Paulus Ægineta libr. 7. Simeon Sethi in Syntagm. & Avenzoar, Tract. 1. c. 4. lib. 3. Theyſir.

Serum. Altera parte agitur de facultatibus Seri, quod lactis aquoſa eſt ſubſtantia. Hoc (ut libr. 2. diſtinct. 1. capite 9. de medic. ſimpl. purgan. Meſues inquit) excalefacit atque ſiccat ordine primo completo, & uſque ad ſecundum. Quinetiam attenuat, abluit, abſtergit, & nitroſa qua refertum eſt facultate, alvum abſque aliqua mordacitate leviter ſubducit. Bilem tum flavam tum atram ab exuſtis humoribus genitam dejicit : quo fit ut mirifice conferat maniacis & melancholicis. Præſtat item ad viſcerum infarctus, & morbis inde provenientibus opitulatur, nimirum aqua intercute laborantibus, felle ſuffuſis & lienoſis. Datur utiliter febrientibus ex bile, & viſcerum ac vaſorum obſtructionibus. Competit etiamnum vitiis in cute à bile & peruſtis humoribus emergentibus. Quare lichenibus, vitiliginibus, alphis, pſoris, lepriſque admodum convenit. Hæc ille. Comitialibus quoque atque iis qui ob potentis vini largiorem potum malè habent, auxilium pręſtat. Plura Dioſcorides lib. ſecundo cap. 60. Galenus libro decimo de ſimpl. med. facult. capite octavo Rhazes libro tertio ad Almanſ. capite 15. & Avicenna 2. can. capit. 44.

Animadversio.

AErea, pinguis, & temperata lactis portio, est βούτυρον, sic dictum quasi *bovis caseus*, licet res sint non tantum forma & materia, sed etiam temperamento diversissimæ, *caseus* & *butyrum*. *Butyri* antiquitatem investigare qui voluerit, pene eam repetat necesse est ab ipsis mundi incunabilis, quo tempore fuisse pastores sacræ paginæ nos docent. Ejus certe fit mentio decimo octavo capite Genes. Deuteronomii 32. Isaiæ 7. Proverbiorum 30. quo loco modus quoque conficiendi lactis perstringitur. Sunt qui arbitrantur Dioscoridem primum ex Medicis ac prophanis auctoribus lactis mentionem fecisse. Quod certe satis mirari non possum, cum longè ante Dioscoridem qui Antonii & Cleopatræ tempore florebat, noster Hippocrates *butyri* meminerit; nimirum libro de natura muliebri, lib. de sterilitate, lib. 1. & 2. de morbis mulier, lib. 2. de morbis lib. etiam 4. ubi quid sit & quomodo fiat à Scythis *butyrum* recenset, quod etiam observatum habemus ab Herodoto lib. 4. qui Hippocratis fuit σύγχρονος. Libro certe primo de morbis mulierum duodecies repetitur ejuscemodi vocabulum; bisque etiam non βούτυρον, sed πικέριον vocatur, quod Galenus explicat in lexico verborum Hippocratis βούτυρον, & ante Galenum Erorianus etiam in lexico, his verbis: Πικερίῳ, id est, βουτύρῳ, ὡς καὶ Ἀριστοφάνης ἐν τοῖς ὑπομνήμασι φησίν; ὅτι Θόας ὁ Ἰτακήσιος ἱστορεῖ παρὰ Φρυξὶ πικέριον τὸ καλεῖσθαι βούτυρον, id est, *siquidem Aristophanes in commentariis refert, Thoantem Itacesium narrare* βούτυρον *vocari*

Butyri antiquitas.

πικέριον à Phrygibus, quæ omnia ſufficiunt ad oſtendẽdum ante Dioſcoridem *butyri* uſum fuiſſe. Non diffitebor tamen veteres eo potius ut medicamento quam ut alimento uſos; ut propterea Athenæus, qui omnia pene ciborum genera ſuis libris perſecutus eſt, *butyrum* omiſerit, quaſi cibis non aſſuetum, quamquam apud Hebræos & Scythas in uſu eſſet. Galenus certè lib. 3. de alimentis cap. 15. minime vim illi nutriendi, ſed alterandi ſolum tribuit; verba ejus proferam, quo ambigendi omnis occaſio prȩcludatur. *Ad hæc, inquit, tertium etiam pinguem ſuccum lac boum, ut dictum eſt, plurimum; ideoque butyrum (quod vocant) ex eo conficiunt, quod guſtu ſolo viſuque quantum in ſe pinguitudinis habeat, facilè cognoſcas. Quod ſi partem aliquam corporis eo inunxeris ac fricueris, cernes cutim pinguem non aliter ac ſi oleo fricuiſſes. Præterea ſi mortui animalis corium aridum eo inunxeris, eundem cernes effectum. Quin imo homines in pleriſque frigidis regionibus, in quibus oleo carent, in balneo butyro utuntur. Cernitur præterea ſi ignitis carbonibus ipſum infundas, non aliter ac pinguedo flammam excitare, denique utimur ipſo in illis in quibus utimur adipe, cataplaſmatibus, aliiſque medicamentis ipſum permiſcentes.* Hæc ille qui lib. 10. ſimplicium aliena ab iſtis non protulit; nec à Galeno diſſentanea docuerunt, Paulus Æg. Oribaſius, Aëtius, nullam quoque illi facultatem nutriendi concedentes. Attamen Dioſcorides lib. 2. notat in obſoniis pro oleo addi, & pro adipe in dulciariis admonuit: *μίγνυται δὲ*, inquit, *καὶ ἐν προσοψήμασιν ἀντὶ ἐλαίου τὸ νεαρὸν, καὶ ἐν τοῖς πέμμασιν ἀντὶ στέατος.* Plinius lib. 28. cap. 9. barbararum gentium laudatiſſimum cibum aſſeruit, quique divites à plebe diſcerne-

Plinius explicatus.

ret. Quæ postrema verba sic intelligenda docet Mercurialis variar lection. lib. 10. cap. 16. ut *butyrum* cibus potius fuerit vulgarium hominum quam Nobilium. In quo certe hallucinatus est. His enim verbis significat Plinius, ut Dalechampius observat, divites plurimum *butyri* quotannis è suis armentis reposuisse; quod venderent: plebeios vero parum, & quod in usum quotidianum tantum satis esset: Itaque locupletibus in censu & reditu erat,

Porro quod ad facultates ejus attinet, modice & temperate calidum est & nutrit *butyrum* Symeone Sethi assertore: pectus & pulmonem juvat, sputumque facilè educit, & ad frigidas aridasque tusses confert: abunde sumptum ventrem lubricat, facultatemque digerendi & discutiendi habet, concoquendi etiam ac leviter educendi. Plinius dixit ipsum *adstringere mollire, repiere*, & *purgare*. Quæro quomodo adstringit si molliat? An cum Mercero pro *adstringere*, legemus *digerere*? An cum Dalechampio dicemus ipsum *adstringere* propter additum salem? Nequaquam: nec enim salitum fuisse olim butyrum ad custodiam ostendet umquam Dalechampius, emendatio Merceri paulo crassior: quid ergo? repone *abstergere* pro *adstringere*. Loquitur Plinius de inveterato *butyro* proinde calidiori (*quanto enim vetustius est tanto calidius*, inquit Symeon) imo etiam acriori. Notum vero est, acribus vim detergendi insitam esse. Experimur quotidie inveteratum butyrum & caseum, acrimoniam quamdam non modicam sibi comparare, à qua si quis ipsum abstergere dicat, puto à ratione alienum nihil pronuntiare. De *butyro* præter

Butyri vires.

Plinius correctus.

nominatos egit Pincierus lib. 2. parergorum. cap. 20.

Serum lactis. Ad ſerum lactis quod attinet quia medicamenti potius quam alimenti rationem obtinet, quodque de eo Coſtæus, Baricellus, Claudinus, Geſnerus fuſiſſimè egerint opere proprio de lacte & ſero, idcirco longiorem diſputationem non poſtulat. Inſuper animadverto mihi poſt hanc prolixam & diffuſam de cibis diſſertarionem atque diſquiſitionem, paululum eſſe quieſcendum; ut reparatis animis & recreatis ſpiritibus erectior & alacrior aſſurgam ad reliquum opus Deo bene favente peragendum.

FINIS.

INDEX RERUM MEMORABILIUM.

T

FINIS.

